IN CATHOLICAS EPISTOLAS D D. IACOBI, PETRI, IOANNIS, IVDAE APOSTOLORVM. D. Rodolphi Gualtheri Ministri Ecclesiæ Tigurinæ Homiliarum syluæ vel archetypi.

Nunc recens editi opera & studio Heinrichi Vuolphij Tigurini, vna cum indice, & præfatione, in qua artis Logicæ ad rationis normam reuocandæ breuis ratio Lectori proponitur, suo tempore Deo dante pluribus verbis & exemplis, magisq́; accuratis, illustranda.

Sum Johannis Heidfeldii
ex donatione Dn. Ludovici Hofii.
Ao. 90

IESVS

Ecce agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi.

TIGVRI

IN OFFICINA FROSCHO.

ANNO M. D. LXXXVIII.

NOBILI ET AMPLISSIMO VIRO D. IOANNI HEINRICHO SCHMIDIO Senatori Tigurino, & in Lucanensi prouincia transalpina Heluetiorum Præfecto, Domino suo honorando.

SVNT *quidem hæc D.R. Gualtheri P.M. homiliarum compendia, Vir Amplißime, si verborum splendorem & ornatum spectes, homilijs eius & scriptis alijs, ab ipsomet editis, haud conferenda: Quid enim archetypos vmbratiles operibus completis conferas? Si tamen rem ipsam penitius inspicias, & quotam quantamq; dicendi materiam, ordine optimo dispositam, quam paucis verbis proposuerit, tecum ipse cogites: in contracto & Laconico dicendi genere tantum potuisse eum, cuius oratio quotidiana ferè tam copiosa, ornata, fluensq; fuit, & vnum in vtroq; excelluisse, sat scio, miraberis. Et sane vix alio charactere sermonis hæ epistolæ conuenientius exponi po-*

tuissent, quam eo, qui propter rotundam breuitatem, Catholicorum nomen ipsis dedit. Verum tamen quia postrema manus authoris his scriptis defuit, & magna solet esse multorum hominum in censendis aliorum scriptis temeritas & iniquitas: patrono mihi opus fuit magni nominis, dignitatis, & authoritatis, quibus in defendendo Gualtheri nomine, mihi atque alijs amicis eius adesset. Quem alium autem ad hoc officium, præter te vnum delegissem, quem scio non ipsum authorem tantum, vt amicum summum, sed scripta eius omnia, & quidquid à Gualthero profectum fuit, maximi semper fecisse, & rursus apud ipsum fuisse vicißim in maxima existimatione atque authoritate? Cuius quidem ego testis esse possum, qui eum non tantum ingenij tui dexteritatem, industriam, diligentiam, & sapientiæ aliarumq́ virtutum studium, quæ se ab ineunte ætate tua, qua in eius conuictu fuisti, cum admiratione in te obseruasse dicebat, sed etiam (quæ laudes in homine Christiano sunt omnium maximæ) in religione & pietate integritatem, & iuris & æquitatis amore constantiam tuam, sæpe audiui prædicantem. Quæ non ideo dico, quod hasce virtutes tuas latere putem, nec enim adeò sum cæcus, vt in qua luce versentur, non videam: Sed quod de his Gualtheri etiam publicum aliquod

quod testimonium extare volui, vt quod in vera amicitia, qualẽ inter vos fuisse nosti, quamq; mors ipsa nequit abolere, mutuum esse solet, etiam post obitum eius appareret, dum ille quidem virtutum tuarum praeconem, tu vero vicissim nominis eius patronum ageres. Quod ego, vt more tuo, animo (inquam) bono, amico, candido recipere digneris magnis precibus abs te peto, & pluribus verbis peterem, nisi iam antea tuam, & Nobilium atq; integerrimorum virorum D. Caspari Senatoris Tigurini & D. Ioan. Iacobi, (in eius ipsius, de quo agitur, cognatione affinitate quadam mihi iuncto,) fratrum tuorum summam erga me beneuolentiam perspectam cognitamq; haberem.

Quare te nunc vt etiã alteram consilij mei partem patienter audias, etiam atque etiam oro.

Praeter explicationem Catholicarum Epistolarum, breuem & facilem, nec inutilem futuram Theologis, duo alia in his scriptis habentur, tyroni S. Theologiae summè necessaria, nempe sacrarum concionum materia & forma. Materiam copiosam & amplam quidem, sed ita tamen suppeditant, vt ne quenq; ignauum & inertem reddant, Lectorẽ remittant ad ipsos fontes, ad sacras inquam literas, in quibus solis Theologus nascitur. Formam quod attinet, homilia

singulæ singulas concionum ideas habent, ità remotas ab omnibus Rhethoricorum ornamentorum ambagibus, vt veram concionandi rationem modumq́ in nudis exemplis contuenda proponant. Quæ quidem ambo, vt S. Theologiæ studiosis, quibus in primis consultũ volui, vsui maiori essent: materiam quidem, indice adiecto, promptam expeditamq́ feci, formam autem, vt & illis planam perspicuamque redderem, quos ab artium logicarum studijs vel rei domesticæ vel temporis angustia nondũ maturos auocat, summã artis dicendi Theologo necessariam, reuocatam ad naturæ normã, à qua per luxuriem subtilium ingeniorum plurimum defecisse constat, paucis verbis adumbratam proponere volui. Sed veniam mihi dabitis, vos ô qui veterem philosophiam admirari soletis, (è quorum numero ego nolim excludi) si in Logica Theologica Theologum egero, hoc est, solis Diuinis præceptis ad vnguem astrictus, humana omnia imperfecta, corruptioni & mutationi obnoxia duxero, & in nullius Magistri humani iuraro verba. Nostis Platonem in Phædro suo, de arte dicendi scribendiue sub Socratis persona differentem, ab Oratore suo hoc in primis requirere, vt animorum species singulas habeat cognitas, vt qualem auditorem, et vt affectum, quali genere & charactere sermonis persuadere

dere & flectere poßit probè norit. Quis vero hominum animos & ingenia cum tempore muri nesciat? Quis orationes prolixas densas & plenas, quibus olim Rethores vsi sunt, hodie fastidiri ignoret? Quis breuitatem, plusquam Laconicam, hoc seculo requiri non videat? Quod si qnis igitur humanis animis tam mutabilibus tractandis firmam æternam & immutabilem artem præscribere velit, obsecro te, nõne perinde fecerit, ac si quis sutor puero pusillo calceum consuat, quem eidem per omnes ætates, si posset durare, aptum esse velit.

Sed (vt ad rem ipsam tandem veniam) Logica seu Dialectica, est ars rationis. Rationis autem opera varia quidem sunt, sed horum omnium duo præcipua capita, Notititia, & Fides, (duo huius artis officia) ad quæ referenda sunt cætera, quæ tu ratione tua perficere cupis, sermone vel calamo interprete.

Quia verò non de ipsis rebus, quas in capite hominis tanquam in arce sedens percipere nequit, sed earũ ideis seu idolis, per sensus à rebus ipsis abstractis & animo conceptis agit: in duobus hæc ars versatur. Primum in abstractione idearum, qua sibi materiã comparat, quæ rectè ab authore λόγος *vel* Ratio *dicitur: Deinde in rationum œconomia & dispensatione, qua iusta forma rationibus collectis induitur.*

Apprehensionis ars fit per sensuum ministeria, dum vel sensus externi quæ percepere foris, vel interni quæ aut per legem naturæ, aut prophetico more diuinitus inspirata habent, rationi contemplanda offerunt.

Quæ rationis instrumenta Testimonia *dicuntur, & quia authoritatem aliquam Diuinam, aut humanam, vel etiam propriam secum afferunt, primum locum inter rationes obtinent. Nolo hic commemorare humanorum testimoniorum genera varia, inter quæ præter leges & statuta publica, ferè excellunt (quia homo mendax est) sensus proprij, & oculati testes. Quales Apostoli suo tempore fuere, ea hominibus annuntiantes, quorum ipsi auditores & spectatores fuerant. In S. Theologia solum Dei verbum locum habet, idq; hoc tempore, quo reuelationes Diuinæ silent, duntaxat scriptum. Sacræ literæ sunt huius scientiæ principia, quibus meritò sensus, statuta hominum, concilia, traditiones humanæ, Patrum authoritas, Lex naturæ, ipsa deniq́ue ratio, & quæ sunt alia huius generis, quia fallere possunt, cedent. Vnde etiam de interpretatione S. scripturæ statui potest, quæ teste D. Petro, non est interpretationis* ἰδίας*, vel propriæ, quam ex suo quisque capite petere & in suum sensum torquere poßit, (ne fiat transitio in aliena principia)*

cipia) sed ex ipsius sancti Spiritus, qui sui ipsius interpres est optimus, scriptis alijs peti debet. Id quod in his scriptis factum esse facilè lector deprehendet.

Iam, quoad modum apprehensionis, cum quæ in rebus singulis consideranda occurrunt, varia sint, simul omnia rationi non possunt obijci, sed sigillatim comprehendenda sunt.

Primum igitur discrimen est, quod quædam per se, quædam alterius rei respectu considerari solent.

Omnibus commune Nomen est, quo appellantur, eoq; præmittendum. Sed huius duo tantum, origo eius, & cognatio vel allusio, huius loci sunt, cætera ad Grammaticos pertinent. Ratio ex origine nominis, quam Etymologiam vocant, nota est ex mysticis illis nominibus IESV CHRISTI Domini & Seruatoris nostri, in quibus totius salutis et redemptionis nostræ ratio & religionis veritas latet.

Ad cognationem vel allusionem celebre illud Domini dictum pertinet: Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c. Hoc est, Rectè dictus es à me Petrus, quia petrã illam modò confessus es, super quam Ecclesiam meam extruam.

Rationes per se consideratæ aut essentiam vel substantiam rerum, aut eius accidentia con

tinent. Accidentia voco, quæ salua essentia tolli, aut aliter habere possunt (vnde etiam quid substantia sit intelligere licet.) Dicuntur etiã Adiuncta quatenus essentiæ insunt, vel adiunguntur, eaq; ratione substantia rei vel essentia Subiectum vocatur, & quoad paßiones, Obiectum.

Accidentia, quia percipiuntur ab externis sensibus, priora in considerationem veniunt. Et septem generibus continentur, quæ sunt, Mensura, Modus, Locus, Tempus, Situs, Habitus, Mutatio.

Mensura, Quantitas vulgò dicitur. Est spacium vel interuallum rei intra fines vel terminos suos, qui sunt aut puncta aut vnitas, aut aliquid his correspondens. Omne quantum, & quotum huc refertur.

Modus, Qualitas dici solet. Estq; persona rei, vel ipsa rerum apparentia, vel facies externa & interna. Huc pertinent lineamenta, figuræ, colores, soni, sapores, odores, qualitates tactiles, qualitates primæ, temperamenta. Vires seu facultates naturales, & impotentiæ, Passiones & perturbationes animi, affectus, habitus, virtutes & vitia, &c.

Locus est spacium subiecti, complectens rem adiunctam, seu locatam. Naturale est aut artificiale, vt insula, domus, cœlum, terra, &c. Horum an-

rum autem non eſſentia, ſed accidens hic conſi-derat ur,quod rem locatam continet, quæ alibi eſſe potuiſſet.

Tempus,*eſt rei à mundi principio diſtantia, ſecundum totum & partes,tam ſui quàm interualli. Vbi ſeculum,anni,menſes,æra,ætas, &c. conſiderantur.*

Situs,*eſt rei tam ſecundum partes mundi & res vicinas, quàm ſecundum partes ſuas poſitio. Vt Orientale, Occidentale,ſurſum, deorſum, dextrum,ſiniſtrum,pronum,ſupinum eſſe. Stare,ſedere, iacere, & quæ ſunt alia huius generis.*

Habitus, *indumenta & ornamenta complectitur.*

Mutatio, *continet omnes operationes naturæ & paßiones,quibus aut eſſentiam, aut menſuram,aut modum, aut locum,aut tempus, aut ſitum,aut habitum mutari contingit.*

Notabis hæc accidentia in deſcriptionibus ſacris tabernaculi,templi, Ieruſolymæ, &c.

Horum vmbræ quædam ſunt factorum, & rerum geſtarum accidentia, quas circumſtantias *vocant,quæ ſunt: Perſona,Factum, Tempus,Locus, Modus,cauſa, Inſtrumēta. In ſacris narrationibus obſeruanda.*

His perceptis ad eſſentiam pergit ratio,eiuſque principia primum, tum exiſtentiā contemplatur.

Principia dicuntur Causæ, *quæ rem quis fecerit, ex quo, quomodo, & quamobrem exponunt. Suntq́ duæ externæ, & totidem internæ.*

Causa efficiens *prima dicitur, authorē & conseruatorem vel auctorem rei notat. Multiplicem considerationem habet.* Procreans *dicitur, quando rem nouam facit, quæ antea nusquam extitit, vt Deus Creator vniuersitatem, Pater aliquis Filium.* Conseruans, *quando iam antea factam conseruat, tuetur, auget. Sic Dei Filius redemit humanum genus, Spiritus sanctus consolatur & docet, &c.* Solitaria, *cùm fecit sine ope alterius, vt Deus creauit. Christus saluauit credentes, Fides salutem partam apprehendit.* Adiuuans, *cùm habet causas iuuantes, aut ipsa iuuat alias. Vt in bello Imperator & duces sunt causæ adiuuantes principales, milites verò ministrantes, cooperariæ. Huc pertinent omnis generis instrumenta & media.* Rationalis *dicitur, quæ ratione & consilio agit, vt Deus, angeli, homo.* Naturalis, *quæ sua natura agit, vt bruta, arbores, plantæ.* Necessaria, *quando ad agendum cogitur, vt reus confitetur culpam.* Voluntaria, *quæ suapte voluntate agit. Sic pro nobis passus est Christus.* Fortuita, *quæ casu aliquid facit, vt qui arborem excindere volens, elapsa securi, occidit proximum.* Mouens, *lacessens, impulsiua (quam medici*

dici

dici vocant προκαταρκτικὴν *& προκατάρχοντα, quando extrinsecus accedens causam aliam mouet & impellit ad agendum, vt hæreses, scandala, irritamenta, & aliæ occasiones corruptionem hominis, ad errandum & peccandum incitant.* Interna *deniq; dicitur, & Medicis* προηγουμένην, *præcedens, quæ proxima causa est & intrinsecus agit, qualis peccati causa est naturæ nostræ corruptio, & morborum corruptio humorum corporis, &c.*

Altera causa externa Finis *dicitur, cuius gratia vel propter quam res fit. Est scopus & intentio causæ efficientis. Hominis finis est Dei gloria. Summus omnium finis Deus est. Huius causæ ignoratio aut neglectio, est fons miseriarum omnium.*

Prima causa interna Materia *dicitur, ex qua res fit. Hominis materia sæpe inculcatur, vt humiles simus. Alia communis est rebus multis, vt rude lignũ, alia propria est, quæ iam præparata est, ad opus aliquod peculiare.*

Forma *dicitur, altera interna causa & postrema, quia hac accedente, perfecta res est. Hæc est, quæ dat essentiam rei, & eam ab alijs rebus differre facit. Vnde à Logicis simul specifica & diuisiua, seu* Differentia *dicitur. Differentia autem formam propriam notat, exclusis ijs quæ cum speciebus alijs communia habet.*

Ratio est hominis forma, per quam homo est, & eius differentia, qua differt à bestijs. Forma fidei est fiducia in Deo, quæ per particulam IN *in symbolo Apostolico exprimitur, quæ facit eam esse, & differt à fide historica, cui etiam inest assensio animi verbo Dei adhibita (quæ est materia fidei) sed sine consequente spe & timore.*

Plurimum ad rei notitiam hæc causa facit, quia simul cum illa generatur & perit, sed est difficillima cognitu. Vno verbo rarißimè potest exprimi. Nam ratio non totam hominis formam, sed partem eam continet, qua differt à brutis, cui adijcienda sunt ea quæ cum bestijs & creaturis alijs, quoad formam habet communia, quæ si sustuleris, etiam salua materia, hominem sustuleris. Igitur non aliunde facilius quàm ex differentia & collatione cum rebus cognatis hæc causa elici potest. Ad quod sequentia facient.

Sequitur existentia rei, quæ est communis, aut propria. Hanc Philosophi substantiam primam, illam secundam vocant.

Existentia propria partim in rei integritate, partim in effectis apparet.

Integrum dicitur Totum, *quod constat ex omnibus partibus, vt corpus humanum ex omnibus membris.* Pars est, *quæ pertinet ad totum*

tius integritatem, vt radix ad arboris.

Effecta, *sunt fructus essentia, quæ ex vi, efficacia, energia, è causarum congerie constituta nascuntur. Et propria effecta energiā propriā, communia communem arguunt. Fidei effecta sunt opera charitatis, vel ipsa charitas, per quam sese exerit, Gal.* 5.

Atque hæc existentia consideratur in re vna indiuidua, à qua iam sursum ascendit ratio ad substantias communes seu secundas.

In quibus primum occurrit Species, *quæ est essentia communis multorum indiuiduorum. Vt si pinum, malum, buxum, prunum, & arbores alias consideres, mox ex his elicueris communem essentiam, quæ species, & in hoc exemplo arbor dicitur.*

Ex multis speciebus rursus altius ascenditur ad Genus, *quod est essentia communis multarum specierum. Vt animal essentiam illam significat quæ homini, leoni, vrso & cæteris animalibus est communis.*

Iam si rursus ad altiora genera pergas, eodem nomine appellabuntur, sed huic subiecta genera dicentur species. In hac igitur gradatione species infima *vel specialissima dicitur, quæ proxima est indiuiduis, reliqua genera, vsque ad* summum genus *quod generalissimum*

etiam dici ſolet, ſupra quod nulla eſt eſſentiæ communio, dicuntur ſpecies & genera media & ſubalterna, *genera quidem reſpectu ſubiectarum ſpecierum, ſpecies autem reſpectu ſuperiorum generum.*

Habes eſſentiæ rationes omnes, in quibus vnum adhuc notandum eſt, quod Accidentia per ſe conſiderata, ſubſtantiæ perſonam induunt, & ſuas etiam cauſas, partes, ſpecies, genera, &c. habent, & in his ſubſtantias imitantur.

Reſtant collatæ rationes, quæ Relata dicuntur & τὰ πρός τι, quarum ratio non ex vnius, ſed plurium rerum reſpectu conſtat. Quæ relatio vel naturalis eſt, vel rationalis.

Naturalia relata *propriè ſic dicta, ſunt, quæ reſpectum mutuum naturalem habent, quo fit, vt ſimul ſint natura, vnoq́ ſublato, relatio omnis euaneſcat. Vt* Pater *& Filius, Maritus & Vxor. Dominus & ſeruus. Magiſter & diſcipuli. Redemptor & redempti. Cauſa & effectus, &c.*

Relata rationalia ſunt, quæ à ratione conferuntur. Quæ relatio fit circa vnum, & diuerſum. Vnum *enim &* idem *dicuntur, non tantum quæ numero vnum ſunt, ſed etiam quæ genere τὰ ὁμογενῆ, & quæ ratione & ſimilitudine τὰ ὁμόλογα. Sic aliquis etiam eſſe dicitur, qui fuit hoc eſt, ſibi ſimilis.*

Diuer-

Diuerſum *autem in genere dicitur, quicquid non eſt idem. Quod rurſus diſtinguitur in diuerſum in ſpecie, & oppoſitum. Diuerſæ ſubſtantiæ* Diſparata *dicuntur. Quæ diuerſam quantitatem habent* Imparia, *eaq; maiora aut minora, quibus opponitur* Par. *Quæ diuerſam qualitatem habent*, Diſsimilia, *quibus opponuntur ſimilia. Diuerſa in reliquis accidentibus varia, diſiuncta, diſtantia, &c. dici poſſunt.*

Oppoſita *ſunt, quæ quaſi è regione ita inter ſeſe pugnant, vt vnum alterum deſtruat. Et ſunt oppoſita aut ſua natura, aut ratione ſubiecti.*

Quæ ſua natura oppoſita ſunt, Contraria *dicuntur, eaque vel mediata, quæ medium aliquod admittunt, vt dies & nox, quibus intercedit crepuſculum, vel immediata, vt ſalus & mors æterna, &c.*

In ſubiecto oppoſita duplicia ſunt Priuantia & contradicentia, quorum illud in eſſentiali, hoc in accidentali ſubiecto hæret. Priuantia *dicuntur, quæ in vno ſubiecto ita pugnant, vt horum vnum ſubiecti ſalutem & incolumitatem, alterum eiuſdem interitum aut infortunium notet, & ſi vicerit, afferat, vt cæcum eſſe & videre, diuitem aut pauperem eſſe, electum aut reprobum, &c. Quæ ſi abſque ſubiecto con-*

ß

ſiderentur ferè ſunt contraria. Contradicentia dicuntur, quæ pugnant in ſermone, cui accidit affirmatio, & negatio. Vt, credit, non credit.

Habes in his paucis omnem artem apprehenſionis rationum Theologo neceſſariam. Iam ſequitur vſus & artis forma.

Secunda pars huius artis eſt, Rationum œconomia vel diſpenſatio vel diſpoſitio, quam alij ab vſu iudicium vocant. In qua ratio themati applicatur, œconomia vel ſimplici vel compoſita.

Eſt autem thema vel quæſtio, res ipſa de qua dicendum eſt.

Simplex œconomia libera vel ſoluta eſt, aut ligata, quorum illa ad τὸ τί, *altera ad* τὸ ὅτι *Ariſtotelicum pertinere videtur. Libera propriè ad eam Rationis facultatem pertinet, quam Philoſophi* ἐπιστημονικὴν *vocant, quia vim ſciendi habet, ſcientiam notitiamq́ rerum venatur, diſcit & docet. Fit autem componendo & diuidendo, per* συναγωγὴν *&* διαίρεσιν, *Platonicas illas docendi rationes.*

Prior Definitio *dicitur, & à Græcis* ὁρισμὸς, *quia fines ſeu terminos rei colligit. Eſt collectio earum rationum, quæ ad deſcribendam rei eſſentiam faciunt, potiſſimum autem generis & differentiæ. Omnium genera haberi poſſunt, ſi*

pluribus

pluribus describan tur, quando nomine proprio destituuntur. Differentiæ plerunq; sunt pluribus describendæ. Inuestigantur autē collatione specierum eiusdem generis.

Si verò definiendū sit totum aliquod indiuiduum, tunc vera differentia describenda est ex causis, effectis, partibus (quæ definitio inductio dicitur) vel etiā ex accidentibus, vbi illa haberi nequeūt, vt in herbarū descriptionibus. Christianorū definitionē hab e in hoc lib. fol. 50. Vbi genus, quia notū, omittitur, differentia aūt quæ est Electi, *à causa efficiēte Deo Patre per Christum, et forma, quæ in sanctificatione sita est. Itē à finibus duobus, fide & obedientia illustratur.*

Definitio Fidei quæ Heb. 11. habetur, ex causis ducta est, materia & forma.

Descriptio *definitionis vmbra est, & congeries multarum rationum, (omisso genere & differentia) quibus res describitur, & amplificatur. Quales descriptiones multæ in S. literis extant.*

Diuisio, *Platoni* διαίρεσις, *alterum scientiæ instrumentum, pars huius artis non postrema est, & Theologo in primis necessaria, à quo Apostolus præter cætera requirit* τὸ ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, *rectè secare, hoc est, diuidere, sermonem veritatis. Et Plato in Phædro dicit, si quis possit* εἰς ἓν καὶ ἐπὶ πολλὰ πεφυκότα ὁρᾶν, *hoc est, in*

vnum, & ea quæ multa, [illegible]t videre, vnum videlicet in multa diuidere, & à multis ritè discernere. huius se tanquam Dei, vestigia sequuturum esse.

Est autem diuisio, vnius in multa sua æqualis distinctio. Vnum voco quodlibet thema, & multa quaslibet eius partes.

Virtus autem diuisionis in duobus consistit. Primum est, vt res in multa sua (non aliena) diuidatur, eaq́; si fieri possit, inter se contraria, (quemadmodum rectè docuit C. V. Petrus Ramus, cui plurimum hæc ars debet:) alterum, vt diuisio fiat æqualis, quæ multa proferat æqualiter ab vno distantia. Quod Plato in Phædro suo præclarè expressit per τὸ κατ' εἴδη, speciatim vel in species, & τὸ κατ' ἄρθρα, articulatim. In species dicit, non quod omnis diuisio fiat in species, sed quod ita instituenda est, vt ne partes assumantur alienæ à toto, verum vnum illud totum omnibus partibus multis commune sit, perinde vt genus speciebus. Primum igitur vnum diuidendum perpendas, quale sit, aut quo modo consideretur, vt quas qualesue species habeat certò constet. Si consideratur vt genus diuidetur in species, si vt totum in partes, si vt causa in effecta, si vt effectum in causas, si vt subiectum in adiuncta, si vt adiunctū in subiecta, eaq́; per omnia sua non aliena. Si rerum vniuersitatem

tem in causas diuidas, assumes species alienas, quae non ad summum illud genus, sed ad singula eius indiuidua pertinent, itaq; tautologias infinitas multiplicabis.

Sic in scripti alicuius diuisione scopus & intentio authoris ante omnia spectanda sunt, quo vno inuento facile erit inuenire partes eius, si quae per se, quae propter aliud dicta sint, diligenter obseruetur. Quod si fecisset qui D. Iacobi epistolam strammeam vocauit, forsitan obseruasset, D. Iacobum militiam Christianam informare, & primum de hostibus, cruce, tentatione, errore vincendis, tum de subiugandis subditis ad hostes deficientibus, lingua nimirum, affectibus, & iudicio, & tandem, vt politiam turbatam instauret, de Christiana couuersatione praecepta tradere, quae propriae sunt militiae partes.

Articulatim diuidere cur Plato docuerit, ipse explicat dicens: Ne mali coci more partem vllam confringere aggrediatur. Alludit ad corpora animalium, quorum membra singula articulis terminantur. Articulatim autem haec diuides, si in ipsis articulis, iisq; suis, sectionem feceris, & dextram alam aut armum non sinistro lateri, sed alam alae opposueris, nec inter articulos disruptam, sed integram integrae. Sic cognationem aliquam aut familiam malè diuiseris, si in vno latere patruum, in altero fratrem, in me-

dia linea fortè nepotem iuxta se collocaueris. Substantiam malè diuiseris in spiritum & elementa, nam est aliud genus superius, nempe corpus, quod spiritui correspondet. itaq; partes omnes æqualiter à toto distare debent. Non benè igitur diuiditur S. Theologia in fidem, & opera fidei, quia causa prior est quàm effectus. Forte, quia doctrina est de salute hominum, rectius diuidatur in salutem amissam & restitutam, & hæc rursus in promissam & præstitam, quibus sunt cõmunia verbum & signa, eorumq; apprehensio per Fidem.

Ex his duabus legitimæ diuisionis notis optimè colligit V. Cl. Petrus Ramus διχοτομίαν inter diuisiones palmam ferre.

Hæc autem diuisionis doctrina latius patet quàm possim hoc loco explicare. Nam dici vix potest quantum vnius & multi notitia vera luminis, ignorantia contrà obscuritatis pariat. Si quis vnà cum D. Petro dicat, Iesum Christum D. N. (quem totum esse simul & semper quis sanus negabit?) carne passum esse, statim audiet occlamantes contentiosos homines, heus tu in passione dimidium Christum statuis. Quasi verò si capiti non insidens, dimidius sederis, si manibus humi non repseris, dimidius iueris. Sed quid totius sit, quid partium, homines isti nesciunt.

1. Pet. 2.

Sequitur Oeconomia rationum ligata. Quæ

pertinet ad alteram Rationis facultatem, quam Philosophi λογιστικὴν *vocant, quia ratiocinatur, delibérat, probat, persuadet, dissuadet, etc. Prudentiæ vim complectitur, & Fidem venatur.*

Ligata autem hæc œconomia dicitur, quia rationi iam non liber, sed certus locus aßignatur, aut primus qui Antecedens *dicitur, quod priore loco legitur, aut secundus, qui dicitur* Consequens, *quod legitur posteriore. Estq́; aut recta aut rotunda.*

Recta dicitur Propositio, *in qua ratio vna cũ themate ita cõponitur, vt ferè sit Cõsequens. Constat enim duabus partibus,* Subiecto, *quod antecedit, &* Prædicato, *quod sequitur. Sic dicuntur, quod illud prædicatũ instar subiecti recipit, hoc verò de subiecto dicitur. Hæ connectuntur nexu aliquo mutuo, aut vnius verbi, aut particulæ alicuius consignificatiuæ. Nam subiectum aliquando hypothesi quadam, & pluribus verbis exponitur, & tunc nexus in coniunctione habetur, & propositio composita dicitur. Vt,* Fides est donum Dei. *Hæc est propositio simplex, in qua causa efficiens de effecto prædicatur. Et verbo substantiuo connexa.* Si peccator conuersus fuerit, recipietur in gratiam. *Hæc est cõposita, & effectus de causa prædicatur. Sed nexus est in præpositione Si.*

Trifariam autem propositio distinguitur.

1. *In* Affirmantem,*quæ aliquid ait, &* Negantem,*quæ aliquid negat. Illa subiectum cum prædicato componit, quod hæc ab eodem separat. Vt,* Sancti sunt inuocandi,*affirmatiua est.* Sancti non sunt iuocandi,*negatiua est.*

2. *In definitam, & Infinitam.* Definita *est, cuius prædicatum de certo subiecto dicitur, aut de omni, aut de vno. Illa prædicatio* καθόλου,*generale, vel vniuersale, hæc* καθ' ἕκαστον,*singulare vel proprium dicitur.*

Vniuersalis *propositio est, cuius prædicatũ de omni subiecto dicitur, quamuis signum vniuersale, vt omnis, nullus, &c. non semper addatur. Vt,* Omnis traditio humana vana est.

Propria *vel singularis est, cuius prædicatum de vno tantũ dicitur, vt* Iudas fuit proditor.

Infinita *dicitur* Particularis,*est, cuius prædicatum de aliquibus speciebus subiecti dicitur, non definitis, vt,* Quidam homines saluantur. *Hæc prædicatio dicitur,* τὸ ἐν μέρει, τὸ ἀδιόριστον, *indefinitum.*

Huic distinctioni accedit ἀντίφασις, contradictio,*quæ est eiusdem de eodem affirmatio & negatio.*

1. *In definitis propositionibus, inuicem oppositis, est contradictio. In infinitis nulla.*

2. *Particularis & propria, vniuersali oppositæ, contradictionem habent.*

Et hæc

Et hæc contradictio arguit paralogismos in materia.

3. *Distinctio propositionis tertia ex hominum vitio nata est. In* veram *sc.* & falsam.

Quibus adhæret alia, non negligenda, in necessariam, & contingentem. Necessaria *dicitur, quæ semper vera, aut semper falsa est. Vt* Deus est æternus. *In qua prædicatum semper & de omni subiecto verè dicitur. Vnde dicitur* κατὰ παντὸς, *de omni. Cui opponitur, necessariò falsa, vt,* Homo merus non peccat, *quod de nullo homine verum est.*

Contingens *dicitur, quæ ita vera est, vt aliquando falsa esse possit.* Vt mulier est timida & imbellis, *est contingenter vera. Sic,* Vir est imberbis, *contingenter falsa.*

In his habetur iudicium de vero & falso. igitur huc referendæ sunt, nobilissimæ illæ Leges Rameæ, castigandis artibus, & doctrinis omnibus adhibendæ.

1. *Lex veritatis est, quam vocauit* κατὰ παντὸς, *quia postulat vt prædicatū de omni subiecto semper verum sit. Hæc omne falsum & dubium ex artibus eijcit.*

2. *Lex proprietatis est, quam* καθ᾽ αὐτὸ *vocauit, quia postulat, vt prædicatum de suo, non alieno, subiecto & per se dicatur, non propter aliud, vt sint homogenea. Itaque omnium eo-*

rum quæ aliena et πάρεργα sunt euerriculum est.

3. Lex ordinis seu methodi, καθόλου πρῶτον ab ipso dicitur, hoc est vniuersaliter primū, quod ita de omni subiecto dicitur (quod est vniuersalium) vt vicißim subiectum de ipso, eoque omni, dici poßit, quod arguit inter vniuersalia primum locum ei deberi. Nam lex ordinis iubet vnumquodque quo generalius est, eo loco priore ponere. Diciturque eiusmodi propositio reciproca. Vt, Sola fides in Christum iustificat, Quod iustificat est sola fides in Christū. *Hæc lex omnem confusionem tollit. Sic igitur per propositionem veritas, proprietas, & ordo examinantur.*

Rationum œconomia rotunda Syllogismus *dicitur, In quo ratio cum quæstione quasi in orbem ducitur per duas propositiones, vt in tertia fiat in quæstionem reditus, sed iam conclusam. Est orbis & vinculum veritatis, in quo non examinatur, vt in propositione, sed iam munitur & armatur veritas, vt inuicta fiat. Et traduntur in hac doctrina regulæ in ipsis definitionibus, quæ omnes paralogismos in forma argumentationis ἐλέγχειν, hoc est, redarguere poßunt.*

Primo autem de partibus, tum de speciebus syllogismi dicendum.

Partes syllogismi duæ sunt, Antecedens, & consequens. Antecedens *continet propositiones duas. Prima dicitur propositio, &* proposi-

tio maior, *differentiæ gratia. Ea est, in qua prædicatū quæstionis cū ratione componitur. Secunda dicitur* Propositio minor, *&* *Assumptio, quia aliquid ad maiorē assumit. Hæc est, in qua subiectū quæstionis cum ratione componitur.*

Consequens *dicitur* Conclusio, *& complexio, quæ aliquid ex præmissis colligit & concludit. Est ipsa quæstio iam confirmata, quæ antea in dubio & quæstione fuerat. Vt,*

Qui seipsum probat, non iudicatur.
Vere pœnitens, seipsum probat, Ergo
Vere pœnitens, non iudicatur.

E partium ratione nascuntur qualitates syllogismi, secundum quas dicitur, Affirmatus, *cuius omnes partes affirmantur.* Negatus, *cuius vna pars antecedentis cum consequente negatur.* Vniuersalis, *cuius vtraq; pars antecedentis est vniuersalis,* Particularis, *cuius vna pars particularis est.* Proprius, *qui vtramq; habet propriam, &c.*

Syllogismi species, non ex oratoribus, qui hoc instrumento pro suo arbitrio vtuntur, nūc vna parte omissa, nunc altera geminata, nunc aliter, sed ex artis ratione peti debet. Quidam subtiliter hac in re versati sunt, quorum diligentia laudanda est, sed fructus nō item. Nam si multiplices sylogismos, rixas & contentiones disputantium multiplicaueris. Syllogismos

compoſitos laudo, ſed quia ad ſimplices reduci poſſunt, ſuperuacaneam diligentiam habent. Vellem etiam duæ poſteriores figuræ ſimplices abijcerentur, quando reductione opus habent. Sed quia in vſu frequenti ſunt, nolo illos hic excludere.

Syllogiſmus igitur alius eſt primarius, omnium ſyllogiſmorum & ratiocinationum regula, alius ſecundarius.

Primarius eſt, in quo ratio in maiore ſubiectum in minore prædicatum eſt: cuius maior non eſt particularis, minor non eſt negatiua, concluſio non ſimilis nobiliori. Eſt autem affirmans nobilior quam negans, Definita, quam infinita. Vniuerſalis quam propria. vt.

Quod Chriſti meritum adprehendit, Saluat.
Fides Chriſti meritum apprehendit, Ergo
Fides ſaluat. Item
Credentes ſaluantur.
Abraham credidit. Ergo
Abraham eſt ſaluatus.

Secundarius ſyllogiſmus eſt, in quo ratio in vtraq; propoſitione antecedentis vel ſubiectum eſt, vel in vtraque prædicatum, non alternis, vt in prima. Huius igitur duo ſunt genera.

1. In quo ratio in vtraq; prædicatum eſt, cuius maior non eſt particularis, & vna tantum antecedentis negata, cum concluſione negata, vt.

Chri-

Christiani non sunt idololatræ
Antichristiani sunt idololatræ. Ergo
Antichristiani non sunt Christiani.

2. *In quo ratio in vtraque subiectum est, cuius maior non est negata, vna tantùm antecedentis aut nulla particularis, conclusio particularis tantùm.*

Omnes pij sunt beati
Quidam pij sunt pauperes, Ergo
Quidam pauperes sunt beati.

Syllogismum imperfectũ complere, aut compositum in iustum ordinem redigere, hoc modo poteris. Quæstione posita, argumentum deprome, & huic primum prædicatum quæstionis à dextris, postea subiectum à sinistris applicato, & prodibit iustus syllogismus primæ figuræ, si ratio constat.

Hæc pauca de nobilissimo veritatis instrumento sufficere possunt Theologo, plura autem exempla in hoc libro pag. 61. & passim alibi reperies.

Superest œconomia rationum compositæ quæ vsum præcedentium continet, & λογος vel oratio dicitur, Opus ipsum Logici. Nihil autem hic de artificiosa collocatione & ornatu verborum, quibus animi auditorum mirifice affici solent (quæ sunt Rhetoris) sed ordine solum vel Methodo agitur quæ logici propria est.

compositos laudo, sed quia ad simplices reduci possunt, superuacaneam diligentiam habent. Vellem etiam duae posteriores figurae simplices abijcerentur, quando reductione opus habent. Sed quia in vsu frequenti sunt, nolo illos hic excludere.

Syllogismus igitur alius est primarius, omnium syllogismorum & ratiocinationum regula, alius secundarius.

Primarius est, in quo ratio in maiore subiectum in minore praedicatum est: cuius maior non est particularis, minor non est negatiua, conclusio non similis nobiliori. Est autem affirmans nobilior quam negans, Definita, quam infinita. Vniuersalis quam propria. vt.

Quod Christi meritum adprehendit, Saluat.
Fides Christi meritum apprehendit, Ergo
Fides saluat. Item
Credentes saluantur.
Abraham credidit. Ergo
Abraham est saluatus.

Secundarius syllogismus est, in quo ratio in vtraq; propositione antecedentis vel subiectum est, vel in vtraque praedicatum, non alternis, vt in prima. Huius igitur duo sunt genera.

1. In quo ratio in vtraq; praedicatum est, cuius maior non est particularis, & vna tantum antecedentis negata, cum conclusione negata, vt. Chri-

Christiani non sunt idololatræ
Antichristiani sunt idololatræ. Ergo
Antichristiani non sunt Christiani.

2. *In quo ratio in vtraque subiectum est, cuius maior non est negata, vna tantùm antecedentis aut nulla particularis, conclusio particularis tantùm.*

Omnes pij sunt beati
Quidam pij sunt pauperes, Ergo
Quidam pauperes sunt beati.

Syllogismum imperfectũ complere, aut compositum in iustum ordinem redigere, hoc modo poteris. Quæstione posita, argumentum deprome, & huic primum prædicatum quæstionis à dextris, postea subiectum à sinistris applicato, & prodibit iustus syllogismus primæ figuræ, si ratio constat.

Hæc pauca de nobilissimo veritatis instrumento sufficere possunt Theologo, plura autem exempla in hoc libro pag. 61. & passim alibi reperies.

Superest œconomia rationum compositæ quæ vsum præcedentium continet, & λόγος vel oratio dicitur, Opus ipsum Logici. Nihil autem hic de artificiosa collocatione & ornatu verborum, quibus animi auditorum mirifice afficisolent (quæ sunt Rhetoris) sed ordine solum vel Methodo agitur quæ logici propria est.

Hæc autem eſt generalis aut propria.

Generalis ordo, quē Cicero 2. de Orat. naturalem vocat, omnium orationum hic eſt: vt 1. Exordio aliquo auditorum animos præparemus, præmiſsis illis quæ vel orationi ſequēti lucem afferunt, qualia ſunt illa Theologis vſitata exordia, à præcedentibus ducta, in quibus intentio authoris & ſcopus concionis præſentis exponitur, vel rei vtilitatem & neceſsitatem commendant, vel auditorum animos demulcent & conciliant. Laudanturq́ illa exordia, quæ orationi ſunt propria.

2\. *Vt rē ipſam, de qua dicturi ſumus paucis exponamus, quaſi Theſei filū auditori tradentes, quo ductus, ſeſe ex omnibus verbis noſtris expedire poſsit. Itaq́ comprehendit hæc pars non tantū propoſitionem, ſed etiā ſi paucis hæc abſolui non poſsit, narrationē, & orationis diuiſionē.*

3\. *Vt rem ipſam tractemus, quæ pro argumēti, ſeu propoſiti noſtri ratione variat. Et hæc quidem regulā generalem propoſitam habet, vt ab vniuerſalibus per minus vniuerſalia ad ſingularia gradatim procedat, ſed ab hac nonnunquā diſcedere cogitur. Qua in re ſingulari prudentia opus eſt, quam ex præſtantium oratorum exemplis ſtudioſi excerpere poterunt.*

4\. *Concludimus repetitis per* ἀνακεφαλαίωσιν *præcipuis argumētis, et denſis rationibus ſic amplifi-*

plificatis, vt animos auditorũ cõmonere poßint.

Quod ad ordinem specialem, dictum est supra pro duplici facultate rationalis animæ, duo esse huius artis officia notitiã & fidem: Vnde iam colligi potest esse etiam duo orationum genera. Vnum quod rem animo perceptam & cognitam alijs exponit, alterum quod deliberat, confirmat probat, &c.

Primum genus rursus distinguitur in Exegesin, aut orationem expositoriam, & doctrinam.

Exegesis, Expositio, dicitur oratio quæ rem animo comprehensam ita exponit, vt se habet. Ideoq; iam non artis, sed rei methodũ atq; ordidinem sequitur. Exprimuntur aut res vel gestæ, vel existentes. Prior exegesis Narratio dicitur, & temporis ordinẽ sequitur, nisi more poetico, auditorẽ fallere aut suspendere libeat. Fabula narrationis simia est. Altera expositio Descriptio dicitur, quæ rem existentem ita exponit, vt auditori quasi oculis inspicienda proponatur. Itaque is ordo hic tenendus est, quo res à spectantibus cõtemplari solent, aut is quo factæ sunt. Pertinent huc ὑποτυπώσεις & εἰκόνες rerũ, quæ sunt quasi picturæ logicæ. Itẽ tabernaculi, templi Ierosolymæ descriptiones, &c. Item personarum descriptiones veræ & fictæ, &c. Quin etiã scripti expositio, quæ aut ἑρμηνεία, interpretatio dicitur, aut si liberior est, Paraphrasis.

Doctrinam voco expositionem artium & scientiarũ, quod genus dicendi didascalicum dici solet. Et hic locum habet illa Methodus generalis, quæ definiendo & diuidendo à generalibus per intermedia ad singularia progreditur.

Concio vel homilia ex his duobus mixtũ est, simul enim scripti interpretationem, & doctrinam continet. Quin etiam frequenter ex secundo orationum genere probationes mutuatur, prout vsus postulat, Methodum ex his homi liarum ideis pete. Primum summa, genus, scopus ex præcedentibus plerũq; petita in exordio proponuntur. Deinde diuisio textus ad summã scopumq; accommodata subijcitur, tertio singulæ partes breuiter explicantur adiecto vsu & applicatione ad nostra tempora, quod est in concione præcipuum, vt patet ex Domini concione Nazarethi habita, tandem sequetur conclusio, de qua supra.

Luc. 4.

Alterum orationum genus, quo fidem alijs facere, vel quod nobis probatur, alijs quoq; probatum reddere nitimur Dialogismum vel Probationem vocare possumus. Est autem duplex, Placidus, aut contentiosus.

Placidus Amplificatio dici potest, qua aliquid simpliciter bonum aut malum esse osten dimus, hoc est laudamus vel vituperamus. Idq;

vel

vel in genere, nullis locorum aut personarum indiuiduis adiectis, quæ Locus communis *dicitur. Et methodo naturali tractatur, vel prout vsus postulauerit. Vel in specie, quo pertinent personarum laudationes Hymni & Encomia, in quibus temporis & ætatis ordo videtur optimus. Item laudationes rerum animatarum, & inanimatarum, factorum, sententiarum, Chriarum, &c. Et obliquæ illæ laudationes Genethliaca, Epithalamia, Epinicia, Epitaphia, &c. Item collatæ duarum personarum.*

Contentiosa probatio est, qua aliquid bonum vel malum esse non simpliciter arguimus, sed contendimus, & probamus. Estque vel deliberatiua ἐπισκεπτικὴ, *vel* Demonstratiua ἀποδεικτικὴ.

Σκέψις *est Socratica ferè dicendi ratio minus incitata & vehemens, qua in vtramque partē rationes & argumenta adducuntur, non vt de victoria, sed de veritate certetur, vel deliberetur potius, quæ in dubio esse fingitur, vt liber sit assensus illi sententiæ, quæ rationum vi & multitudine vicerit. Hæc Thesis vel propositum dici solet. Et hodie in scholis vsitata est. Methodum sequitur generalem.*

Demonstratio est, de quæstione aliqua non consultandi, sed vincendi gratia suscepta contentio. Quales debent esse earum rerum omnes, quæ certæ, indubitatæ, & verbo Dei confirma-

ta sunt, Methodus generalis hic quoq; retinenda. Sed in eo dicendi genere, quod iudiciale vocant, non semper iuris & veritatis, sed causæ patrocinium sæpe suscipitur, quæ res artem peculiarem postulat, nempe eam qua sæpia vtitur, cum sese occultare studet, à qua abhorrent sacra studia. Duas autem partes demonstratio continet, Confirmationem, *qua nostræ sententiæ fidem facimus, rationibus ordine militari dispositis, vt firmiora quæq; aciem ducant, & eandem claudant, infirmioribus in medium repositis, &* Refutationem, *qua rationes aduersas rationibus solidis infirmamus.*

Hæc autem, quæ de oratione breuiter pro meo iudicio proposui, præstat ipso vsu & exercitatione, quam multis præceptis addiscere. Præcepta debent esse pauca, sed vsus infinitus.

Atque hæc sunt quæ de arte Logica Theologis necessaria, partim ex veteribus, partim ex recentioribus Philosophis excerpta, & in ordinem naturalem redacta, S. Theologiæ studiosis nostris proponere volui, vt illis ad ingenuam & liberalem præceptorum nostrorum imitationem, viam aliquam sternerem. Quæ quod exemplis non satis illustrata, & propter breuitatem obscura sunt, vt huius loci angustiæ & rationi tribuat, prudentẽ Lectorem oro. Et si quẽ vsum fructumq; tulerint, est quod Deo Optimo habeam

am gratias: si nullum, hortor & obtestor alios, vt tam hanc artem, quam alias omnes Theologis necessarias, ab omnibus subtilitatum impedimentis & inuolucris liberatas ijs, qui ad ministerium verbi Dei educantur, ita tradant, vt ne regnum Dei, ad quod promouendum omnes Christiani vocati sumus, impediant.

Te vero (Vir amplissime,) quem hæc scholastica non sine fastidio legisse non dubito, nunc iterum oro, vt boni hæc consulas, & quod interea dum, in scholas logicas expaciatus, artem tam amplam in pauca contrahere studeo, modum præfationis excessi, benigne mihi ignoscas, & amare me pergas. Deus Maximus te cum tota familia tua saluum & incolumem Ecclesiæ, Patriæq; nostræ longo tempore conseruet. Amen.

Tuæ Amplitudinis

Obseruantissimus

Heinrichus Vuolphius

Tigurinus.

RERVM VERBORVM ET LOCORVM COMmunium in hisce homilijs INDEX.

carint

Con-

Elati

Frustra

L

M

Mona-

FINIS.

D. RODOLPHI GVALTHERI Capitum seqnentium Episto=larum argumenta.

EPISTOLA IACOBI.

1

A Domino cœli sapientia sola petatur,
Quæ tristem doceat sustinuisse crucem.
Non tentat Dominus: factis ostende fidele
Pectus, id est veræ religionis opus.

2

Non tibi sit potior flauo qui splendet in auro,
Aequalis sancto pectore flagret amor.
Quidq; fidem iactas omni tu crimine plenus?
Hæc tua nempe fides mortua tota iacet.

3

Affectant multi doctorum nomina, qui non,
Quo doceant, possunt sustinuisse modum.
Labilis instituit quare moderamina linguæ,
Et quæ prudentem corda modesta decent.

4

Taxat auaritiæ studium nummiq; tenaces,
Et quorum multis lingua nocere solet.
Magnanimo elatos reprehendit corde superbos,
Qui spernunt vires consiliumq; Dei.

5

Turgida diuitijs reprehendit pectora magnis,
Et docet afflicto corde pericla pati.
Iuramenta vetat, infirmos edocet inde,
Et sancta teneant pondera quanta preces.

A EPIST.

EPIST. PETRI I.

FOrtia non moueat mordax afflictio corda,
  Multaq; pro CHRISTI nomine ferre iuuet.
Hic etenim æternæ fons est & origo salutis.
  Hic manet: humana at cuncta perire solent.

2

Denuo, qui CHRISTI fuerint per dogmata nati.
  Insontes mores obtinuisse decet.
Fac colito proceres, populi qui sceptra gubernant.
  Nec pigeat forti pectore ferre crucem.

3

Coniugij leges diuino dogmate docet.
  Sit tibi vita insons, sit pietatis amor.
Nec moueat, si quæ pro CHRISTI nomine damna
  Eueniant: hic est vnica nempe salus.

4

Tollite vesanæ fœdißima crimina vitæ.
  Quæ læto CHRISTVS sustulit ante suo.
Dispenses digne diuini dona fauoris.
  Tristia constanti corde pericla feras.

5

Dogmata proponit sanctis seruanda ministris,
  Et iuuenum leges officiumq; docet.
Sint humiles animi & vigiles, sit sobria vita.
  Vt satanæ poßint tela nocere nihil.

EPIST. PETRI II.

OMnia per CHRISTVM supremi rector Olympi
  Tradidit, illius nec dubitata fides.
Hancq; probant sancti, simul hanc pater ipse probauit.
  Cuncta igitur fidei nomine ferre decet.

2

Nec frustra hæc moneo, doctores nempe futuros
Aspicio falsos, qui mala multa ferant.
Qui fasto turgent, quęis cordi est sola voluptas,
Sed perdet fortis pectora falsa Deus.

3

Condatis memori, quæ dixi pectore verba:
Nam parient homines vltima sæcla malos.
Vltima quæ spernant venturæ tempora lucis,
Sed vobis vera sit pietatis amor.

EPIST. IOANNIS I.

NOn ego falso fero vobis, sed dogmata certa,
Et quæ præsentes vidimus ante simul.
CHRISTVS *enim est solus nobis peccata remittens:*
Si peccatorem te fateare modo.

2

Sit pietatis amor, vigiletis pectore cauto.
Nam falsos CHRISTOS *vltima sæcla ferent,*
Quorum arteis solus poterit vitare dolosq;,
Doctrinæ sanctæ qui pia iussa tenet.

3

Cernite quantus amor CHRISTI, *qui morte redemit*
Vos propria, & natos vos, dedit, esse Dei.
Non igitur vitam libeat tractare prophanam.
Fraternus casto pectore flagret amor.

4

Edocet vt poßint alienæ scita probare
Doctrinæ, & sanctam continuare fidem.
Denuo fraternum post hæc commendat amorem,
Qui sancto similes nos facit esse Deo.

5

Quæ fidei virtus sit, sancto differit ore,

Quæ,

Quæ firma in CHRISTVM credere mente, docet.
Totius hic etenim solus vita vnica mundi est,
Quo sine (crede mihi) non venit vlla salus.

EPISTOLA IOAN. II.

GRatulor ob propriam tibi nunc dilecta salutem,
Quæ docuit fortis dogmata sancta Dei.
Tu modo fac pergas non falso insignis amore.
Pseudoprophetarum verba dolosa caue.

EPISTOLA IOAN. III.

MActe animo, Gai, ceptum persoluito cursum,
Sit fortis Veri: sit pietatis amor.
Diotrephem taxat, Laudat Demetrion inde.
Et se venturum prædicat esse cito.

EPISTOLA IVDAE.

CRescat sancta fides, aliosq; iuuate fideles,
Conueniens fidei vitaq; sancta siet.
Doctores pingit digno sermone dolosos,
Illorum mores interitumq; docens.

IN D. IACOBI APOSTOLI EPISTOLAM CATHOLICAM D. RODOLPHI GVALtheri *pastoris Ecclesiæ Tigurinæ Homiliarum archetypi.*

CAPVT. I.

HOMILIA. I.

IAcobus Dei ac Domini Iesu Christi seruus, duodecim tribubus dispersis salutem.

EXPOSITAE sunt hactenus Diui Pauli ad Corinth. epistolæ, quibus eam quæ Iacobi extat subijcere libet: partim vt Apostolicæ doctrinæ in fidei & salutis nostræ articulis consensum videamus: partim quia ijsdem ferè morbis laboratur hodie, quibus olim Iacobus hac sua epistola mederi voluit. Priusquam verò ipsum contextum aggrediamur, de duobus dicendum est.

I. Quis author huius sit. Nam vt olim quidam de eius authoritate dubitarunt, ita hodie à nonnullis procaciter petita est. Quia verò nihil continet à doctrina Apostolica alienum, recipienda est omnino Euse-

Author epistolæ quis.

bij ſententia lib.2.ca.23.tribuit hanc Iacobo Alphæi ac Mariæ (quæ ſoror Mariæ virginis fuit) filio, qui & frater Domini dicitur, de quo Matth.10.Mar.6.Galat.1. Actor.15. Epiſcopus fuit Hieroſolymorum Eccleſiæ annis circiter 30. Vitæ ſanctimonia clariſsimus, & tandem ob Chriſti confeſsionem è templi pinna præcipitatus, & pro hoſtibus orans fuſte obtruncatus eſt.

Satan authoritati S. ſcripturæ inſidiatur.

NOTA. ¶. 1. Quod tanti Apoſtoli Chriſti ſcripti authoritati derogare conatus eſt ſatan. Factum idem in multis alijs Prophetis & Apoſtolis. Vide 3. Reg.18.22. Ier.44. Imò Paulum vide Gal.1.2.1.Cor.9. 2.cor.5.10.13.Actor.26. Quid, verba Dei detorquere audet? Matth.4. ¶. Excitemur ergo ad vigilantiam. Quid enim contra nos non audeat? 1.Pet.5.2.Cor.11.Eph.6. Memores ſimus verborũ Chriſti. Luc.22.Matt.26.

Pij eos habent infenſiſsimos quibus ſe totos impendunt

¶. 2. Sortem piorum. Eos infeſtiſsimos ferè habent, quibus ſe totos impendunt. Sic prædixit Chriſtus. Matth.10.Ioan.15.16. Idem accidere ſolet pijs, quod Miltiadi ab Athenienſibus accidiſſe legitur.

Non offendamur ergo, maximè cum idẽ ſanctiſsimus quibuſq; euenerit. Matth.6. Vide Moſem. Exod. 25. Chriſtum ipſum Ioan. 12.13. Paulum, qui quam amarit Iudæos, habes

bes Rom.9.10. Quales verò illi erga hunc Actor.13.14.21.22. Confortemur ergo in Christo.

II. ¶. Causa scribendi,& argumentũ.Patet ex contextu. Erant Apostolorum tempore duo genera hominum. Primum iustitiariorum erat, qui legem vrgebant,vt est Act.15.Contra hos Paulus disputat Rom.3.4.5.6.7.8.Gal.3.4.5. Col. 2. Alterum illorũ erat qui carnis affectibus & studijs dediti, licentiam peccandi sub fidei prætextu quærebant. Erant hi multis offendiculo. Sunt tales etiá hodie.Aduersus illos D. Iacobus agit,vt patebit. *Argumentum epistola.*

Interim Nota. ¶. 1. Mundi improbitatem, & quanto studio opus sit ministris. In vtroq; enim semper impegerunt homines. Circumspecti ergo & fideles sint. Mat. 24. 1. Cor. 4. Patet ex Prophetis & Apostolis. Nos grati simus & obedientes.His præmissis transeamus ad primam epistolæ partem. *Mundi improbitas.* *Quanto studio opus sit ministris.*

CAPVT. I.

Inscriptionem ponit more Apostolico, quæ tria habet. I. Inscriptionis prima pars est Author Iacobus Dei seruus, & Domini Iesu Christi.

Modestia Apostol. NOTA. ¶. 1. Modestiam Apostolicam. Poterat gloriari de genere, conditione, loco. Sed vnum hoc gloriatur, quod Dei & Christi seruus sit. Idem facit Paulus 2. Cor. 11. 12. 1. Cor. 15. Sic alij Actor. 3.10. Quam horum dissimiles sunt nostro tempore Episcopi.

Summa nostra gloria qua. ¶. 2. Omnium hæc summa gloria sit, vt serui Christi dicantur & sint. His enim paratum quod est Ioan.12.14. 12. 2.Timoth. 4.Requiritur abnegatio terrenorum.Mar. 16. Ioan.3.Humilitas & charitas.Ioan.13.15.

Israelitæ dispersi. ¶. II. Quibus scribit.Duodecim tribubus,quæ in despersione sunt. Israelitas fideles intelligit.Variè hi dispersi erãt,vt & patet Actor.8. Dein imminebat excidium per Rom.& infinita mala. Implebatur quod toties prędixeratChrist⁹.Mat.21.23.24.Lu.19.

Dei bonitas. NOTA. ¶. Dei Bonitatem, qui afflictis consolationibus adest.1.Cor.10.Psalm. 94.2.Cor.1.Non desperemus.

Salutatio. ¶. III. Imprecatio vulgaris, χαίρειν gaudere vel saluere. Discamus fidei fructus ferre,ne & ipsi dispergamur. Oremus.

HOMILIA. II.

2 *Pro summo gaudio ducite,fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis.*

3 (Illud) *scientes probationem fidei ve-*
stræ parere patientiam.
4 *Cæterum patientia opus perfectum ha*
beat, vt sit is perfecti & integri, ita vt
nihil desit.

DOminus noster Iesus Christus Mat. 16 ait: Si quis vult post me venire, ab neget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me. Consentiunt his, quę idem dicit Ioan. 15. & 16. Luc. 14. Paulus item Acto. 14. 2. Tim. 3. Porro, si carnis nostræ ingenium consideres, nihil ab hac magis alienum videtur quam crux: eo quod natura quietis, incolumitatis & voluptatum appetens sit. Quare spiritus sanctus multum & diligenter in hoc versatur, vt ad veram patientiam rite præparemur. Faciunt huc, quæ habentur Psal. 34. 46. 56. 27. &c. Zach. 2. 12. &c. Itē Mat. 5. 24. Ioan. 14. 16. Luc. 21. Heb. 12. 1. Cor. 11. &c. Obseruat hoc ipsum Iacobus: & quia dispersis & exulibus scribit, ab eodem argumento orditur.

A cruce exordiatur.

I. Pro summo gaudio ducite fratres mei, &c. Propositio est: Fidelis ob persecutiones, quibus tentatur, non dolere nec desperare, sed potius gaudere debet. Rationes postea subiungit. Propositionem verò sumpsit ex verbis Christi, Matth. 5. Ioan. 16.

Ingenium nostræ carnis alienũ est à Christi regula.

Interim in his Nota. ¶. 1. Quàm alienum sit à Christi regula carnis nostræ ingenium. Ille nos persecutionibus & aduersis propter nomen ipsius imissis gaudere vult. Et hoc postulat charitatis lex. 1. Cor. 13. Tales etiam videmus apostolos, Actor. 5. Rom. 5. 2. Tim. 4. Philip. 1. At caro vix aliud habet, quod magis abominetur & horreat, quod vel in ipso Christo cernitur. Ioan. 12. Luc. 22.

Arguuntur hic, qui carnis ingenio & viribus aliquid tribuunt in salutis suæ negotio. Impingit in primo limine. Pro regeneratione ergo soliciti simus & faciamus quod monemur. Ioan. 3. Col. 3. Psal. 51. Luc. 17.

Quomodo tradenda hominibus quæ carni sunt aduersa.

¶. 2. Quomodo agendum cum hominibus in ijs, quæ carni prorsus aduersantur. Iacobus non adulatur, nec concedit aliquid meticulosis, sed omnino gaudere iubet. Agnoscenda quidem est carnis infirmitas, sed sic vt nos peccare intelligamus, si quid illi secus quam decet, cõcedatur. Obseruemus hoc in toto pietatis studio, ne forte nos plus satis profecisse putemus. Phil. 3. Obseruent item qui in peccatis sibijpsis palpant. Psal. 36. Similiter qui mortis metum excusant, quo contra fidei & charitatis officium ferè peccatur.

II. Causas subiungit ab vtili, vt & Christus

ſtus Matth.5.Ioan.16.Luc.21. Exploratio fi dei veſtræ parit patientiam.Hęc opus perfe ctum reddit,&c.Sic ferè Paulus Rom.5.

NOTA. ¶. 1. Quod tentationes crucis vocat explorationem fidei.Metaphora ſum pta à Metallarijs.Ita exponitur etiam à Da uide.Pſal. 17.26.66.139.&c. Non aũt Deus explorat quaſi noſtri ignarus, ſed vt nos in noſtrum ipſorum agnitionem inducamur. *Exploratio fidei quid.*

Patet ergo hinc:¶.A.Crucem eſſe neceſſa riam.Vt enim homo philautus eſt, ita dum in ocio agit,placet ſibi & eximia de ſe polli cetur.Vide Pet.Ioan. 15.Luc.22. Probatio ne igitur opus eſt,qua excitemur. *Crux neceſſaria.*

¶. B. Officium noſtrũ.Præparemur & vigilemus,vt quãdocũq; nos probat Deus, digni & idonei reperiamur.Mar.13.Mat.25. *Officium noſtrum.*

¶. 2. Fructum crucis.Parit patientiam, id eſt, exercitatos facit & tolerantes quorũ uis laborum.Vnde ſequitur,vt in omni ope re perfecti eſſe poſsimus:eò quòd conſuetu do quaſi altera natura eſt. *Crucis fructus patientia.*

Patientiæ autem perfectionem noſtram tribuit, quia omnis vita laborum plena eſt, iuxta illud Gen.3.Pſal.90.Niſi ergo patien tia ſimus inſtructi,in omni vitæ genere im pingemus.Hæc enim:¶.A. Reprimit & co ercet omnes affectus, & proinde linguæ eti am vltricis rabiem frænat. *Patientiæ effecta.*

¶ B. Quosuis in suo officio conseruat, vt nec laborum mole superentur, nec periculorum difficultate, nec aliorum ingratitudine absterreri possint, &c.

¶ C. Vincit crucem & in confessione nominis Christi inuictos seruat, iuxta id quod est Mat. 10. Mar. 8. Rom. 10. Vere ergo Christus, Luc. 8. & 21. Huic ergo studeamus in omni loco, & vt Dominus hanc nobis largiatur. Oremus.

HOMILIA. III.

5 *Quod si cui vestrum deest sapientia, po*
stulet à Deo qui dat (eam) *omnibus*
benignè, nec exprobrat: & dabitur ei.
6 *Sed postulet cum fide, nihil disceptans,*
nã qui disceptat, similis est fluctui ma
ris, qui ventis agitatur & iactatur.
7 *Ne igitur existimet homo ille se quic-*
quam accepturum à Domino.
8 *Vir animo duplici, inconstans est in o-*
mnibus vijs suis.

QVemadmodum Deus in scripturis æterna regni sui bona fidelibus pollicetur: Ita vicissim multa de cruce, quam in hoc mundo ferre cogantur, disserit. Huc enim pertinent, quę sunt, Psa. 34. 73. Mat. 10. 16. Ioan. 15. 16. & 21. Acto. 14. 2. Tim. 3. Matth. 24. &c. HINC ergo constat, fidelibus nihil perin-

Patientia summè necessaria.

perinde necessarium esse atque veram patientiam. Luc. 8. 21. Quare & Iacobus hanc tam diligenter cõmendat, & eidem nostram perfectionem tribuit. *Patientia summè necessaria.*

Cæterum, quia carnis naturæ prorsus contraria est, in præsenti docet, quomodo hanc posſimus consequi.

I. Vnde & quomodo acquiri debeat. Hîc enim variè erratur, dum alij proprio, alij aliorum ingenijs fidunt. Dicit ergo Iacobus: Si cui deest sapientia & facultas illa ferendi crucem, postulet ab eo qui dat. Intelligit verò Deum, quem simul describit, &c, *Vnde & quomodo cõparanda.*

NOTA. ¶ 1. Quis in omni necesſitate inuocari debeat? Solus Deus. ¶ A. Solus in se omnia bona habet, & proinde solus potest dare quæ petimus. Gen. 17. Psal. 113. 24. 115. Reliquę creaturę omnes deficiunt. ¶ B. Solus videt & nouit nos. Ps. 12. 34. 56. Imò corda scrutatur & renes. Ps. 7. Ier. 11. 17. 20. Qui in cœlis agunt sancti, ignorant nos. Esa. 63. ¶ C. Nostri amans nos iuuare vult. Testatur hoc restitutio primi hominis. Genes. 3. Promisſiones, Psal. 50. Esa. 49. 65. Matth. 6. 7. Luc. 11. 18. Ioan. 16. 17. &c. Exempla item infinita. Rectè ergo ad hunc relegat Iacobus. Extendamus nos ad omnia nostra. *Quis inuocandus.*

¶ 2. Quàm turpiter errent, qui vel suis *Errores.*

viribus & meritis fidunt, vel ad creatutas conuertuntur. Primò peccant contra primum præceptum & Deo suam negant gloriam. Exod. 20. Esa. cap. 40. Deinde non inueniunt quod quærunt. Ier. 2. Nec excusabit eos, quod mediatorum duntaxat loco diuos se habere dicũt. Vt enim vnus Deus, ita vnus mediator est, Christus. 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2. Heb. 4. 5. Hic ad se omnes inuitat, & se solum viam ad patrem proponit. Ioan. 14. Matth. 11. Iniquissimi ergo in hunc sunt, qui ei suum honorem eripiunt. Simpliciter itaq; vnum Deum inuocemus in omni necessitate, iuxta illud Psal. 50.

Quomodo orandum. II. Vt fieri debeat oratio. Postulet inquit cum fiducia. Exponit, Nihil hæsitans, vel dubitans de Dei voluntate & potestate. Talis fides requiritur & Mar. 9. Talem requirunt prima verba orationis Dominicę Matthæi 6. In Christo autem hæc fides habetur, quare in suo nomine iubet petere, Ioan. 16. Vide item Luc. 18. Matth. 7.

Rationes. Addit rationes. ¶ A. Qui hæsitat similis est fluctui maris qui vento agitatur. Mirè exprimit vim affectuum. Nec spes est talem aliquid impetrare.

¶ B. Vir δίψυχος, animi duplicis & inconstantis, incertus est in omnibus suis institutis:

ſtitutis: ergo etiam in precibus.

NOTA. ¶ 1. Cur multi non exaudiantur in precibus ſuis. Quia ſine fide orant, & non niſi affectuum dictata ſequuntur. Hinc fit quòd indigna & noxia petunt. Exaudiuntur ergo dum ſe putant non exaudiri. *Cur non exaudiantur multi.*

Diſcamus precum regulam habere verbum Domini, & iuxta hoc ex fide orare, nec deerit Dominus. Vide exemplum Chriſti, Lucæ 22. Hoc vtinam imitaremur. *Precum regula.*

¶ 2. Quod de inconſtantis animi homine dicit. Alius enim eſſe nequit quicunque affectibus regitur. At hinc ſequitur neceſſariò infœlix ſucceſſus. *Inconſtans*

Singuli ergo conſtantiæ memores ſint in bono. Pertinet ad miniſtros verbi. Eſa. 58. Ier. 1. Ad magiſtratus. Ita ad ſingulos in fidei & ſalutis negotio. Luc. 9. Matth. 24. 2. Tim. 3. 4. &c. Oremus.

HOMILIA IIII.

9 *Porrò frater qui eſt abiectus glorietur*
in ſublimitate ſua:
10 *Contra qui diues eſt, in abiectione ſui:*
quoniã velut flos herbæ præteribit.
11 *Nam velut exorto ſole cum æſtu, exaruit herba, & flos illius decidit, &*

spectabilis decor ipsius perijt: ita &
diues in vijs suis marcescet.
12 *Beatus vir qui tolerat tentationẽ: quo*
niam cùm probatus erit, accipiet coro
nam vitæ, quam promisit Dominus
ijs à quibus diligitur.

QVemadmodum vita hæc temporaria curarũ plena est, nec quicquam boni absque labore & molestia acquiritur, Gen.3 47.Psal. 90. Ita nec æterna salus sine grauissimis afflictionibus obtingit. Quia enim mundus veritatis lucem odit, omnes etiam huius studiosos persequitur. Ioan.3. 7.Hinc fit,quod est Psal.34.Ioan.15.16. Matthæi 10.16.Acto.14.2.Tim.3.&c. Hic verò, nisi probè simus instructi,caro facilè offenditur.Matth.11.13.24.Quare diligens in hoc est Spiritus sanctus,vt veram patientiam & in fide perseuerantiam doceat. Facit idem per Iacobum, qui primò statim cruce gaudere iubet,& illius fructum indicat.Rom.5. Deinde vt patientiæ donum acquiratur, docuit.

Salus non obtingit sine afflictionibus.

Sequuntur & alia quæ huc pertinent.

Duo hominum genera.

I. Remouet ea, quæ patientiam impediunt.Inducit enim duo hominum genera,& singulorum obstaculis medetur.

1.Ino es.

¶1.Eo-

¶ I. Eorum est, qui iam laborant sub cruce & rerum inopia cum suis periclitantur. Impatientes hos reddit prioris conditionis memoria & præsens egestatis onus. Prou. 30. Psal. 37. 73.

Hos verò Iacobus gloriari, id est, gaudere & confidere iubet in sublimitate sua. Intelligit gloriā, quæ ipsis in Christo reposita est. Primò enim huius similes sunt Phil. 2. Deinde gloriam habebunt immarcescibilem, de qua Ioan. 12. 14. 17. Luc. 22. Mar. 8. 10. Eph. 1. 2. Phil. 3. 2. Tim. 4. &c. Huius consideratio animare & consolari debet, &c. *Hi glorientur in sublimitate sua.*

NOTA. ¶ Omnium esse, quod hic præscribitur. Sic exilium superarunt patriarchæ. Heb. 11. Sic graues illas calamitates Iob pertulit, Iob. 19. Sic reliqui sancti omnes, vt patet Psal. 31. Esa. 64. &c. Transferant ad se singuli in suis afflictionibus, & miram consolationem sentient, &c.

¶ II. Eorum est, qui diuitias suas difficulter amittunt propter Christum, quia in ijs spem multam habent repositam. Tales multi sunt, qui dum pericula nulla instant, nihil non de se pollicentur. Vide Matth. 19. *Diuites.*

Sed hos potius gloriari iubet in humiliatione, i. amissione opum. Addit parabolam ex Esa. 40. quæ duplicem rationem conti- *Hi glorientur in humiliatione*

net. Prima est, quia opes instabiles sunt & infidæ. Psal.49.37. Matth.6. Stultum ergo his confidere. Altera, quia diues in his marcescit, id est, perit, dum infinitas peccandi occasiones obijciunt. Psal.49. 1. Timoth.6. Prouerb.30.

Nō sunt infælicesqui propter Christum opibus spoliantur.

NOTA. ¶ Quàm fallantur, qui se infœlices fore existimant, si opibus suis spolientur propter nomen Christi. Cogita potius te è spinis liberari & exonerari sarcinis viã vitæ impedientibus. Matth.13.19. Consydera promissiones Matth.19. Mar. 10. Imitare exempla Iob.1. Exod.2. Hebr.11. Matth. 4.9. Lucæ 19.

HOC si possemus hodie, essemus fœlicissimi.

II. Concludit locum de patientia: Beatus vir, qui sustinet tentationem. Pronuntiat hoc contra carnem. Addit causas pulchrè figuratas similibus à metallis & certaminibus desumptis. Si probatus fuerit & constans repertus, recipiet coronam vitæ, &c. Dicit hoc secundum promissiones, Matthæi 5. Ioan.14.17. Lucæ 22.21. Similes loci sunt 1. Pet.1.2. Tim.4. Phil.3.

Corona perseuerantibus promittitur.

NOTA. ¶ Quòd non simpliciter quibusuis qui crucem ferunt, coronam hanc pollicetur, sed ijs, qui perseuerarint & probati fuerint.

fuerint. Inculcatur idē diligenter & à Christo Luc.9. Matth.8. 24. Hinc illud Pauli Apostoli 2.Tim.3.&c.

¶ Arguuntur, qui ipsi sibi modum crucis statuunt, & aliquandiu afflicti pedem referunt, interim ea quæ sustinuerunt, ceu meritum quoddam allegantes. Sed longè alios athletas Deus requirit, &c. Oremus.

HOMILIA V.

13 *Nemo cùm tentatur dicat se à Deo tentari: nam Deus tentari malis non potest, nec quenquam tentat.*

14 *Sed vnusquisque tentatur dum à propria cupiditate abstrahitur, & inescatur.*

15 *Deinde cupiditas, posteaquam concepit, parit peccatum: peccatū verò peractum gignit mortem.*

Quomodo nos Deus per crucē tentet.

DIacobus Apostolus hucusq; de cruce & patientia fidelium disseruit. Inter alia verò crucem tentationis vocabulo notauit, quod non sic accipi debet, quasi Deus nostri ignarus nos tentet: sed per crucem nosmetipsos in nostri cognitionem inducit, nostramque fidem alijs imitandam

proponit. Sic tentauit Abrahamum Gen. 22. Sic accipiendum quod est Deut. 13.

Porrò quia carnales, qui sub Euangelij prætextu licentiam quærunt (contra quos maximè Iacobus agere instituit) inter alia hoc etiam vitio laborant, quòd omniũ suorum scelerum authorem faciunt Deum, in præsenti contra ipsos sermonem instituit. Negotium verò breuiter tractat & commodissimo ordine.

Paraphrasis huius loci.

I. Proponit paucis, sic vt Deum omni culpa liberet. Nemo cùm tentatur dicat, se à Deo tentari. Quasi dicat: Scio quid dicatis, si quando sub cruce succumbitis, vel alia occasione inciditis in peccata: Vos scilicet ansam habuisse à Deo, & de hoc quiritamini. Atqui hoc iniquum est, nec inter Christianos audiri debet. Ratio: Quia Deus ipse malis tentari nequit, cùm bonus & sanctus sit. Similiter ergo & ipse neminem tentat, id est, nemini ansam præbet peccandi & pereundi, &c.

Grauiter peccãt, qui culpã peccatorũ suorum in Deum transferunt.

NOTA. ¶ Quid faciant, qui peccatorum suorum authorem faciunt Deum. Est hoc proprium ferè homini, vt in primo parente cernitur. Gen. 3. Sic autem peccatur in ipsam Dei maiestatem.

Cogitemus potius, Deum sanctum esse

& non

& non nisi sanctis gaudere, Leuit. 19. 20. Esa. 33. Psa. 15. &c. Amantem item esse hominum quos saluos velit. 1. Tim. 2. Ezech. 18. Luc. 15. Argumenta sunt in primi hominis restitutione & missione sui filij. Vide Gen. 3. Ioan. 3. Rom. 5. & 8. Eph. 1. Iustum item esse in suis iudicijs. Psal. 5. 145. 45. &c. Quod si quid latet nos; non altius scrutemur. Prouerb. 25. Roman. 11.

II. Anthypophora docet, vnde peccatum oriatur, & quis eius progressus sit. Obijciũt enim multi: Vnde ergo peccatum? Num Deo inuito & non valente prohibere peccamus? Ordinem ergo indicat. *Peccati origo & progressus.*

¶ I. Qui tentatur à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur. Quòd verò propriam vocat, ostendit peccati fontem in nobis esse, & corruptionem naturæ intelligit, de qua vide Gen. 6. 8. Psal. 51. Roman. 5. 7. Galath. 5. *Fons peccati in nobis est.*

NOTA. ¶ Hominem natura corruptum esse. Concupiscentiam enim omnes sentimus; quæ vel sanctissimos peccati arguit. Rom. 7. Inficit hæc etiam iustitias nostras, Esa. 64. Stulti ergo qui suis operibus nituntur, Rom. 3. Luc. 18. *Homo natura corruptus.*

II. Concupiscentia concipit. Allegoria ducta à generatione hominis. Cor enim ho- *Peccati conceptio.*

minis instar vteri auidum & capax est. Hic se extendunt cogitationes. Suggerit subinde mundus & sathan. Accedit delectatio, quæ ex blanditijs peccati & corrupto iudicio carnis oritur. Vide Psal. 36.

Partus. ¶. 3 III. Parit peccatō, ipsum scilicet opus, Non enim negare vult concupiscentiam per se esse peccatum, cùm legi repugnet. Exod. 20.

Porrò ordinem hunc videre est in exemplis, vt Cain Gen. 4. Dauidis 2. Sam. 11. & 12. Iuda Ioan. 12. 13.

Peccata declinandi ratio. NOTA. ¶ Rationem declinandi peccata. Mortificemus concupiscentias carnis, Coloss. 3. Psalm. 119. Non admittamus blanditias peccati, sed dissecemus gladio spiritus. Ephes. 6. Vigilemus contra sathanam & oremus indesinenter. Luc. 22. 1. Pet. 5. 1. Thess. 5. Psal. 51.

Peccati effecta. ¶ IIII. Peccatum gignit mortem. Gen. 3. Deut. 27. Rom. 5. Abstrahit enim à Deo, in quo solo vita est. Esa. 59.

NOTA. ¶ Quam fallantur, qui in mundi studijs & voluptatibus carnis vitam fœlicem quærunt. Matth. 7. Subijciamus nos Deo, & faciamus quod Paulus Galath. 2.

Oremus.

HOMI.

HOMILIA VI.

16 *Ne errate, fratres mei dilecti.*
17 *Omne munus bonum & omne donum est perfectum supernè descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio.*
18 *Is quia voluit progenuit nos sermone veritatis, vt essemus primitiæ quædã suarum creaturarum.*

QVandoquidem nullum homini maius periculũ incumbit, quàm quod ex peccatis est, quæ ipsum à Deo separant, Esa.59. Col.3. cumprimis etiam necessarium est, vt de peccato probè instructus sit. Nisi enim huius causas & originẽ norit, ferè fit, vt illud Deo imputet & pernitiosæ interim securitati inuoluatur. Erant tales multi Apostolorum temporibus. Diligenter ergo contra hos Iacobus disputat, & in præcedentibus quidem docuit à Christianis hominibus alienissimam esse debere opinionẽ, quæ Deum peccati authorem facit: eò quòd cũ Dei ingenio & natura pugnet. Ex.34. Leuit. 19. Ps.5.145. Esa.6.33. Deinde peccati fontes & progressum pulchrè exposuit, vbi simul quomodo peccatũ euitari possit, didicim⁹.

Causa & origo peccati probè tenenda.

Sequitur quod ad idē argumētū pertinet.

I. Vt ex homine malum, ita ex Deo nil nisi bonum prouenit. Præmittit hortatiunculam quæ præmissa præsentibus connectit: Ne erretis, &c. Nam omnis donatio bona è supernis est, &c.

In homine nil boni est proprium.

NOTA. ¶ 1. In homine nihil boni esse, quod ipsi sit proprium. Vide verba Iac. Omnis donatio bona, & omne donū perfectum. Nihil ergo excluditur. E supernis est: Non ergo è nobis. His consentiunt, quæ de hominis corruptione alibi habentur. Genes. 6. 8. Ps. 51. 14. Esa. 64. Mat. 19. Rom. 3. 5. 7. 1. Ioā. 1.

De merito hominis vana persuasio.

¶ Arguuntur, qui vt Pharisæus Lucæ 18. suis viribus & meritis nituntur. Ex nobis idonei nō sumus vt vel cogitemus quod bonum est. 2. Cor. 3. Quid habes, quod non accepisti? 1. Cor. 4. Rom. 11.

Deus author boni.

¶ 2. Vnde ergo bonum? E supernis. Et ne creaturam aliquam imaginaremur, addit: A patre luminum. Deus is est, vt patet Ioan. 1. Esa. 33. 1. Tim. 6. Sic autem dicitur, quòd vbi ipse non operatur suo spiritu, non nisi tenebræ regnant. Hinc illę preces sanctorū, Psal. 25. 27. 119. Eph. 1. Item illud Christi Matth. 11. 16. Ioan. 6. Ab hoc ergo & nos petamus, quę saluti nostræ inseruiunt. Ier. 2.

II. Argumentis probat, à Deo nil nisi bonum

num esse. ¶ I. A natura Dei desumit: Non est apud illum transmutatio aut conuersionis obumbratio, id est, obscuratio quæ vicibus cõuertatur. Alludit autem ad corpora cœlestia, quæ licet terrenis præstantiora sint, subiacẽt tamen vicissitudini, vt Luna & Sol. Sed Deus non talis, imò æternus est & stabilis. Num. 23. Exo. 20. 34.

NOTA ¶ Transferendum hoc ad omnia Dei verba & decreta, vt consolationi simul & institutioni nostræ seruiat. Pepigit fœdus nobiscum, & dedit promissiones. Gen. 17. Ps. 59. Esa. 65. Matt. 7. 18. 28. Ioan. 14. 16. Non fallet ergo. Pronuntiauit iam olim de religione, fide, peccatis item & horum pœnis. Ex. 20. Leu. 26. Rata sunt & hæc. Matt. 5. 24. Discamus ergo in afflictione & omnibus institutis huc respicere.

Dei verbũ & promissiones firmæ rataq; sunt.

¶ II. Ab externo Dei consilio, de nostra redemptione. Quasi dicat: Cùm is sit, qui ab æterno nos sibi delegit, num quid aliud quã bonum profert?

NOTA. ¶ 1. Ordinem nostræ salutis. Sumus omnes peccatores. Ro. 3. 7. Liberamur Dei beneficio. Esa. 43. Sed in ordine multi hallucinantur. Audi ergo Iac. ΒΟΥΛΗΘΕΙΣ, id est, destinata & libera volũtate Deus hoc consilij cœpit, nimirum amore nostri, vt est

Salutis nostræ ordo.

Ioan.3.1.Ioã.4.Rom.5. 8. Excluditur omne
meritũ.Progenuit nos,imò regenuit,vt de-
nuo efficeremur filij ipsius. Ioan.3. Arguit
hoc nostram defectionem.Sermone verita-
tis, Euang. quod Christum proponit vni-
cum salutis authorem.Ioan.1.17.6.

Finis. ¶2. Finis huius redemptionis:Vt primitię
essemus,id est,ipsi consecrati. Vide typum
Ex.13.34.Leu.27.Nu.8. Huc pertinent quæ
sunt Ex.19.Leu.19.20.Ps.15.Esa.33. Ioan.13.
Mar.9.1.The.4.Eph.1.5.1.Cor.5.6.2.Cor.5.
Arguuntur qui licentiam quærunt. His
vt studere possimus,Oremus.

HOMILIA VII.

19 *Itaq; fratres mei dilecti, sit omnis homo velox ad audiendũ, tardus ad loquendum, tardus ad iram.*

20 *Nã ira viri iustitiã Dei nõ exequitur.*

21 *Quapropter abiectis omnibus sordibus, & excremento malitiæ, cum lenitate recipite insitum sermonem, qui possit seruare animas nostras.*

QVemadmodũ homo natura corruptus & malus est, ita malitiã & peccata sua nunquam nõ prætextu aliquo velare studet. Exemplũ est in primo parente Gen. 3. Hinc fit, vt plerunq; peccatorũ nostrorũ causam

causam in ipsum Deũ reijciamus. Quia verò hæc enormis est blasphemia, diligenter contra hanc Iacobus disputat, & docuit: ¶A. Omnis mali causam & fomitẽ in nobis esse, cui doctrinę consentiunt quæ habentur Gen. 8. Psal. 51. Rom. 7 Gal. 5.

Causam peccati in Deũ reijcere blasphemiam esse vt probet Paulus

¶B. Omnis boni authorẽ & fontẽ esse Deum, quod argumẽtis probat. Vbi obseruanda præ alijs, quę de salutis nostrę negotio dicta sunt. Vide Eph. 1. 5. 2. Cor. 5.

Sequitur conclusio huius tractationis, in qua ijs occurrit, quæ huic doctrinæ cumprimis officere consueuerunt.

I. De linguę intemperantia & ira agit. Vt enim homo peccatis delectatur; ita si ob hæc vel corripiatur verbis vel etiam puniatur, iratus impatientiæ signa prodit. Hinc sermones impij in Deum.

Dicit ergo: Cùm ita se res habeant, vt modò audistis, tutissimum est, vt singuli ad discendũ quã ad loquendũ promptiores sint, nec ira ad impatientiã sese prouocari patiantur. Luc. 21. Causa: Quia ira iustitiã Dei non operatur. Iustitia Dei Christus est. 1. Cor. 1. 2. Cor. 5. Hæc nostra fit per fidẽ. Requiritur aũt vt imitemur exemplũ eius. Vide igitur de huius factis & doctrina Luc. 23. Matth. 5.

Paraphrasis.

NOTA. ¶1. Quod de linguę petulantia pri-

Linguæ incōtinentia

mum agit. Est hæc data ad exprimendos animi sensus. Quia verò hi varij sunt, mira est linguæ incōtinentia. Et quò magis indulgetur ei, eò magis flagrat instar ignis. Hinc multa in scripturis de hac præcipiuntur. Vide Psal.34. Prou.26. Matth.12. Iac.3. &c.

Discant ergo singuli adhibere remediū, cuius hîc Iac. meminit: Discant prius quàm loquantur. Extende ad omnia tam in religione quàm in reliqua vitæ conuersatione. Vtinam hoc obseruaretur.

De ira & vindictæ desyderio.

¶ 2. Quàm errent, qui magnanimitatis esse putant, Irę & vindictę desyderio indulgere. Sunt qui zelum Dei prætexant, vt discipuli Luc.9. Sunt qui ius suū volūt persequi. Sed ad omnes pertinet pręsens sententia. Meditemur potius quę sunt Matt.5. Luc.23. Deu.32. 1. Pet.2. Eph.4.

II. Quia superius regenerationis, quæ per verbum Dei fit, meminerat, nūc quales nos erga hanc gerere debeamus, docet.

Præstantia verbi Dei.

NOTA. ¶ 1. Præstantiā verbi Dei. Supra veritatis sermonē dixit, iuxta illud Ioan.17. Hîc dicit, quòd saluas posit reddere animas. Mundat enim nos Ioan.13. Illuminat & ducit, Ps.19.119. Regenerat, Ioan.3. Fœcundos reddit, Psal.1. Esa.55. Hinc illa præconia Matth.13. &c. Obseruent contemptores.

¶ 2. Quo-

¶ 2. Quomodo nos geramus erga hoc. Explicat allegoria rei rusticæ, sumpta ex Matth.13.Luc.8. ¶. A. Opus est fundo pur gato & idoneo. Tollenda igitur quæ cum verbo Dei pugnant, & inflammari oportet studio discendi. In primis autem auferenda superfluitas malitiæ. Tale est quicquid caro fingit. *Quomodo audiendũ verbum Dei.*

¶. B. Recipere oportet sermonem insitum, id est, curare vt in sinuetur animis, nõ auribus tantum. Et hic opus patientia, quia multa audiemus quæ carni displicent.

¶. C. Hinc fructus prouenit Deo gratus. Vide Esa 55.Psal.1.Luc.8.&c.

¶. 3. Cur hodie verbum plerique frustra audiant. Quia ferè animis impuris acce dunt & infectis, imò nil nisi peccandi licentiam quærunt. Psal.50.Sap.1. Alij curiosi vel ex consuetudine veniunt. Ezech. 33. Alij vt iudicent & traducant, &c. In omnes compe tit quod est Matth.10.2.Pet.2.&c. Faciamus nos quod hic monemur, vt bene res cedet. Oremus. *Cur verbũ Dei multi frustra audiant.*

HOMILIA. VIII.

22 *Reipsa vero, præstate sermonem: nec sitis auditores solum, fallentes vosmet ipsos.*

23 *Nam si quis audit sermonem, & eum*

*non præstat, is similis est viro conside-
ranti faciem suam natiuam in spe-
culo.*
24 *Considerauit enim seipsum, & abijt,
& statim oblitus est qualis esset.*
25 *At qui introspexerit in perfectam il-
lam legem libertatis, & in ea, perman
serit, quia non fuerit auditor obliuio-
sus, sed effector operis, beatus erit in
opere suo.*

Dei verbũ. QVamuis multa in nos extent Dei patris beneficia, nullum tamen post Christum datum excellentius est, quã quod verbum suum reuelauit. Per hoc enim mundat, regenerat, illuminat, fæcundat & saluat animas nostras. Ioan. 13. 3. 12. Ps. 1. 19. 119. Es. 55. Deniq; hic thesaurus ille est preciosissimus. Matth. 13.

Porro, vt circa omnia Dei dona homines peccant, ita maximè circa hoc. Alij enim ceu superuacaneum contemnunt, alij etiam odiunt. Sunt qui carnis licentiam huius prætextu quærunt. Diligenter ergo hic nos instruit scriptura, vt Esa. 55. Exod. 19. Matth. 13. Lucæ 8. Facit idem Iacobus, qui vbi docuit quomodo verbum hoc recipere debeamus, nunc contra otiosos huius auditores disputat.

I. Do-

I. Docet non sufficere, vt audiamus, sed requiri vt factis etiam præstemus: Quasi diceret. Non est quod in auditu verbi putetis salutem esse repositam. Factores vos esse conuenit. Addit rationem ab vtili: Alioqui paralogismis vosipsos falletis.

Loci huius paraphrasis.

NOTA. ¶. 1. Finem, qui in audiendo verbo debet spectari. Est is vt regeneremur in filios Dei & huius spiritum in nobis habitantem habeamus. Ioan. 3. 14. At hic requiritur non externus modo auditus & historica cognitio, sed obedientia vera. Mal. 1. Io. 14. Ideo tã multis hæc vrgetur. Vide Deut. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12. &c. Item Esa. 1. & 58. Ier. 4. 7. 31. Sic Matth. 7. 23. Luc. 11. Roman. 2. 1. Corinth. 4.

Audiendi verbi Dei finis.

¶. IN horum meditatione nos hodie versari decebat. Sed quam ignaui simus, nemo non videt.

¶. 2. Quàm fallantur, qui suæ carnis rationes admittunt. Fit illis idem qui rationes suas indiligentius subducunt. Caro enim leuissime de peccatis indicat. Psal. 36. Hinc Dei præcepta omnia transgreditur, nec animaduertit quo in statu sit. Sed quam fallatur exempla indicãt 1. Sam. 13. 15. 3. Reg. 13. Discamus ergo verbo Dei, ceu regulæ infallibili insistere. Deut. 4. 12. Num. 15.

Falluntur qui carnis rationes admittunt.

Auditores verbi Dei vani speculo comparantur.

II. Illustrat rem omnem simili, quod bimembre est, & duo genera auditorum verbi describit. ¶. 1. Eorum est, qui audiunt quidem, sed de prȩstando nihil sunt soliciti. Hos similes dicit ei, qui faciem in speculo contemplatus abit, nec curat vt vitia formȩ emendentur.

NOTA. ¶. 1. Quod verbum Dei speculum vocat. Docet vsum huius. Inducit in nostri cognitionem & arguit quæ latebant nos. Ioan. 16. Rom. 3. 7. Vide exemplum Dauidis 2. Sam. 12. Psal. 51. IN hoc igitur incumbamus, vt emendentur vitia.

Cur verbū Dei multis inuisum sit.

¶. 2. Cur verbum Dei multis inuisum sit. Quia nolunt argui, sed latere cupiunt. Ioan. 3. 7. Sic Adam Gen. 3. Sed pestilentissima hæc est arrogantia.

¶. II. Eorum est, qui verbum dignè audiunt. Qui intenderit (παρακύψας) in perfectam legem libertatis, & manserit in ijs quæ didicit, &c.

Lex Dei impijs non nisi speculū, pijs vero perfectionis & libertatis instrumentū est.

NOTA. ¶. 1. Quod prius legem speculum dixit, nunc perfectam & libertatis vocat. Lex Dei eadem & sancta est. Esa. 40. Matth. 5. Sed ad auditorum varia ingenia respicit. Alij enim non plus cōmodi quam ex speculo referunt. Ezech. 33. Pij verò perfectionem sui quærunt, & vt libertate fruantur

antur filiorum Dei. Ioan. 8. Qui tales veniunt, non discedent sine fructu. Luc. 8. Vides ergo quod nostrum officium esse debeat.

¶. 2. Quod ait: Beatus erit in facto suo. Hinc quidam iustificationem operum asserunt. Sed non de hac agit. Verbi studium verum tradit, quod non constabit sine fide. Ergo & obedientia hæc ex fide erit; sicque stat salutis dogma, quod est Rom. 3. Eph. 2. Galat. 2. 3. &c. Nunc vt verum accendatur nobis verbi studium. Oremus.

Non tribuit Iac. salutem operibus.

HOMILIA. IX.

26 *Si quis videtur religiosus esse inter vos, non frænans linguam suam, sed suum ipsius cor seducens, huius vana est religio.*

27 *Religio pura & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est, inuisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum: & immaculatum seipsum seruare à mundo.*

QVamuis Deus, qui spiritus est, non nisi spiritu & veritate coli possit. Ioan. 4. propter nos tamē externa quædam

In externis apparet corruptio carnis.

instituit, quibus religionem internam exerceamus. In ijs autem exerit sese carnis corruptio. Quia enim externa hæc præstitu faciliora sunt, multum illis occupatur caro, interim maiora prorsus negligens. Sic in Veteri Testamento factum, vt patet Psal. 50. Esa. 1. 58. Ier. 4. 7. Hos. 6. Mich. 6. &c. IN nouo inter externa maximè commendatur verbi Euangelici studium, vt Luc. 10. &c. Hic ergo ferè impingunt homines, dum audiunt quidem verbum, sed de præstando nihil sunt soliciti. Sæpius igitur de hoc Christus disseruit, vt Matth. 7. Luc. 11. Ioan. 14. Et in præcedentibus idem Iacobus fecit diligenter. Sequitur.

Ociosorum auditorum verbi Dei duo genera

I. Planius exprimit, qui nam otiosi illi auditores sint. Comprehendit vero totum hoc genus duobus ordinibus. ¶. I. Eorũ est, qui non frenant linguas. Sermo index est animi. Quisquis ergo animo religioso est prę ditus, idem religiose etiam in omni re loquitur: & contra. Hinc illa, quorum & supra facta est mẽtio. Ps. 34. Mat. 12. Eph. 4. 5. Col. 3.

¶. II. Eorum est, qui cor suum decipiunt. Fit hoc quando affectuũ carnis dictata & rationes admittimus. Vide Psal. 36. 14. 53. Hinc deinde effrenis oritur peccandi licentia. De omnibus istis pronuntiat, quod illorum religio vana sit, &c.

Nota

NOTA. ¶. 1. Quid hodie de plerisq; Christiani nominis professoribus iudicari debeat. Effrenis est linguæ licentia in re omni. Leuiss. pronuntiatur de religione & salutis negotio. Audiuntur blasphemiæ passim. Regnat turpiloquium & cantiones obscœnæ. Obtrectatio & calumnia. Deniq; omnium linguæ sunt quales describuntur: Psal. 52.64.140,&c. Cordis vero affectus turpissimos nemo non sequitur, vt plane dici possit quod est Esa.1.Ier.7. *Quid de plerisq; Christianis sentiendum, qui sunt effrenis lingua.*

¶. 2. Quæ causa sit malorum nostri seculi, quam multi quærunt. Sola religione Deo coniungimur & bonorum ipsius participes reddimur. Gen.17. Leuit.26. Deut.28. At nostra religio vana est, vt ex præmissis patet. Non potest ergo non nobis irasci Deus. Col.3. Meditemur pœnitentiam. Act.2. *Causa malorum nostri seculi.*

II. Comprælendit totum religionis negotium.

NOTA. ¶. 1. Quam religionem hic commendet? Puram, immaculatã & quæ coram Deo patre subsistat, qui pollutos non fert, Esa.1.33. Ps.15. Non ergo quæuis religio probatur, & falluntur, qui zelo animi quamuis religionẽ excusari posse existimant. Esa.29. Matth.15. 1.Sam.15. Col.2.&c. *Religio vera quæ?*

¶. 2. In quibus religio versetur. Duo

Charitas et misericordia exercenda.

facit capita. ¶. A. Inuisere orphanos & viduas in afflictione eorum. Charitatem & misericordiam commendat. Et quia hæc maximè exerceri debent erga afflictos & indigos opis (Luc. 10.) orphanorum & viduarum, quæ affliguntur meminit. Vt enim hic peccemus multa mouent: vel quia putamus posse negligi, vel etiam impunè posse affligi. Hinc toties commendantur. Exod. 22. Esa. 58. Psal. 68. Zach. 7. 8. Matth. 25. &c. Interim ad omnes alios extendi debet charitatis officium, vt docemur Matth. 5. 22. & 26. Hos. 6. Mich. 6. Gal. 5. 1. Cor. 13. &c.

Puritas vitæ & sanctimonia.

¶. B. Immaculatum se seruare à mundo. Puritatem vitæ & sanctimoniam requirit. Mundi verò meminit vt sciamus quid maximè cauendum. Vide de mundo Ioan. 3. 1. Ioan. 2. & 5. Item Ioan. 14. 15. 17. Extende hoc ad omnes carnis corruptos affectus. Pertinent huc quæ habentur Exod. 19. Leuit. 19. 20. Deut. 6. & 10. Iere. 4. 7. Esa. 1. &c. Psal. 15. 50. 51. &c. Ezech. 18. Matth. 3. 15. Ioá. 13. 17. 1. Cor. 5. 6. Ephes. 5. 1. Thes. 4. Roman. 12. &c.

Monachi quales.

¶. 3. Vanissimas esse omnes monachorum religiones & regulas. Quia his ferè tolluntur charitatis officia. Puritas qualis sit, omnes norūt. Vide 1. Tim. 4. 2. Pet. 2. HAEC

totis

totis animis complectamur & Oremus.

CAPVT. II.

HOMILIA. X.

1 *Fratres mei, ne cum respectu persona-*
rum habete fidem Domini nostri Iesu
Christi gloriosam.
2 *Nam si quis in cœtum vestrum ingre-*
diatur, aureum gestans annulum, ve-
ste splendida, ingrediatur autem &
pauper cum sordida veste.
3 *Et respexeritis ad eum qui vestem ge-*
stat splendidam, & dixeritis ei, Tu se-
de hic pulchrè: & pauperi dicatis, Tu
sta illic aut sede hic subter scabellum
meum:
4 *Nonne discrimen fecistis apud vos,*
& facti estis iudices peruerse deli-
berantes?
5 *Audite fratres mei dilecti, nonne De-*
us elegit pauperes mundi huius (vt fi
erent) *diuites fide, & hæredes regni*
quod promisit ijs à quibus diligitur?
6 *At vos contumelia affecistis paupe-*
rem. Nonne diuites per tyrannidem
opprimunt vos, et trahunt vos ad tri-

bunalia?

7 *Nonne blasphemant praeclarum illud nomen à quo estis cognominati?*

DIuus Iacobus apostolus hac epistola eos impugnare instituit, qui fidem Christianam professi parum Christiane viuunt. Ideo in primo statim capite contra otiosos verbi diuini auditores disputauit, simulq; verę religionis summam complexus est. Capita huius sunt: ¶.A. Charitatis studium, maximè erga opis nostrae indigos, iuxta id quod alibi pręcipitur, Esa.58. Luc.10. Matth.5.1.Cor.12.13.

Verae religionis capita. ¶.B. Innocẽtia & sanctimonia. Exigit hác cũprimis Deus. Leuit.19.20. Exo.19. Es.1.33. Ier.4.7.1.Cor.5.&6.1.The.4. Eph.1.4.5.&c.

IN praesenti vero ijs occurrere incipit, quae cum hac religione pugnant. Primum est, Respectus personarum, quo pauperes contemnebant. Procedit hoc ordine.

I. Sententiam suam paucis proponit: In fide gloriae, id est, gloriosa non habete personarum respectum. Quasi diceret: Longe gloriosior est fides in Christum & religio, quam vt vel ex hominum authoritate aestimari vel ipsa huic cedere debeat. Simul aũt

Expositio. rem explicat subiecto paradigmate. Addit: Annon haec facientes, intra animos vestros disce-

disceptatis, & vel vobisipsis testibus malas cogitationes præfertis?

NOTA. ¶. 1. A religionis negotio ceu pestem aceri debere personarum respectum. Rationes sunt: ¶. A. Euertit dignitatē fidei, quasi ab hominū authoritate pendeat. Quā vero hoc vanum sit, exempla nos docent: Exo. 5. 7. 8. 3. Reg. 18. 22. Ioan. 7. 11 Matth. 26. Act. 5. 7. Obseruemus hodie.

Personarū respectus à religione arceri debet.

Rationes.

¶. B. Cum charitate pugnat & exemplo Christi, qui non vult contemni pauperes. Vide hunc 2. Cor. 8. Phil. 2. Psal. 110. Luc. 2. Matth. 8. 26. Indignis. ergo hæc res est, &c.

¶ C. Omnis corruptionis causa est. Amittitur sanum de personis & rebus iudicium, quæ res omnium scelerū licentiā parit.

Peccāt qui fastu in tēplis vtuntur.

¶. 2. Peccare omnes, qui fastu vtuntur in tēplis. Ibi enim in conspectu Dei agimus, qui humilitatem amat. Iac. 4. 1. Pet. 5. Psalm. 51. Peccatur hic plurimum. IN papatu auro etiam emuntur eiusmodi prærogatiuæ in toto cultu. Inter nos luxus regnat & effrenis superbia. Hinc est, quod minus exaudimur. Luc. 18.

Rationes D. Iacobi contra respectum personarū.

II. Argumenta ducit à personis pauperū & diuitū. ¶. I. Deus eligit pauperes huius mundi, eos inquā, qui diuites sunt fide & hęredes regni, &c. Indignissimū ergo est hos contemnere. Matth. 25.

¶ II. Diuites tyrannidem in vos exercent, trahunt in forum vel propter debita vel propter fidem, & blaſphemant nomen illud ſanctum,&c. Similis locutio Gen. 49. Eſa. 4. &c. Senſus eſt: Authores ſunt, vt nomen Chriſti male audiat,&c. Quæ ergo inſania eſt tantum illis deferre?

Pauperes Domino qui probentur.

NOTA. ¶. 1. Qui pauperes probentur Domino? Qui diuites ſunt fide & hæredes regni. Matth. 5. Alioqui paupertas per ſe neminem Deo commendat, vt nec diuitiæ. Obſeruandũ hoc erat noſtris, qui ſolo paupertatis nomine ſe in re quauis excuſari putant: interim omnia ſacra negligunt. Tales non agnoſcit Eccleſia: interim benefacit iuxta præceptum Luc. 7. 10. Sed ipſi viderint vt accipiant.

Diuitibus quid maximè cauendum.

¶. 2. Quid maximè cauere debeant diuites. Nec enim per ſe damnant diuitiæ, vt exempla docent, Gẽ. 24. Iob. 1. &c. Damnat autem abuſus, in quo maxime repræhenditur cuius hic meminit.

1. Si tyrannidem exerceas per opes in reliquos. Pugnat hoc directe cum cauſa, ob quam diuinitus dantur. Fac potius quod eſt Matth. 6. Eſ. 58. Luc. 16. Pſal. 62.

2. Si ita viuamus, vt propter nos blaſphemetur nomen Dei. Luxus, faſtus, intemperantia,

rantia,&c. Diſcamus de rebus & perſonis digne iudicare,&c.Oremus.

HOMILIA. XI.

8 *Siquidem legem regiã præſtatis ſecun*
dum ſcripturam, Diliges proximum
tuum vt teipſum, benefacitis.
9 *Sin verò perſonam reſpicitis, peccatũ*
committitis, & redarguimini à legė
veluti tranſgreſſores.
10 *Quiſquis enim totam legẽ ſeruauerit,*
offẽderit aũt in vno, omnib⁹ tenetur.
11 *Nam qui dixit, Ne mœcheris: dixit e-*
tiam, Ne occidas, Quod ſi non fueris
mœchatus, occideris autem, factus es
tranſgreſſor legis.
12 *Ita loquimini & ita facite, vt per le-*
gem libertatis iudicandi.
13 *Nam damnatio abſq; miſericordia e-*
rit ei qui non præſtiterit miſericordi-
am: & gloriatur miſericordia aduer
ſus damnationem.

QVemadmodum homo in omni re externo ſplendore cumprimis mouetur, ita etiá in religionis & fidei negotio. Eſt vero hæc magnorum errorum cauſa, & ſæpius veritatis contemptum parit, vt videmus Ioã.7. Hinc illud Chriſti Matth.11. Bea- *Externum ſplendor.*

tus, qui in me non offenditur. Porro inter alia hæc iudicij nostri peruersitas persona-rum respectũ inducit, qui charitatis officio maximè obstat. Ideo de hoc tanta diligen-tia Iacobus in præsenti disputat. Summa do ctrinæ ipsius est; Ne vel pauper ob inopiam cõtemnatur, vel diues ob diuitias magnifi-at: sed ipsa fides per se probe examinetur.

Cæterum habent hic obiectiones quas-dam homines huius seculi, quibus nunc or dine respondet.

Lex regia quæ? cur sic dicatur. I. Quid ergo agendum hominibus opu lentis & dignitate mundana præditis? Num omnis honos illis negandus? Respondet: Si legem regiam secuti fueritis, charitatem proximi scilicet, bene agetis. Hæc enim re-gula est certa & infallibilis.

NOTA. ¶. 1. Quod charitatis legem regiam vocat. Causa est, quod omnes reli-quas leges in se complectitur. Rom. 13. Hinc illa Matth. 22. Gal. 5. 1. Corinth. 13. 1. Ioan. 3. & 4. &c.

Quomodo præstetur. ¶. 2. Quomodo præstetur hæc lex. A-mor animi affectio est, sed talis quæ non po test quiescere. Exerit itaque suum ingeni-um erga omnes homines, & per omnia præ cepta extenditur. Honorat parentes & o-mnes qui parentum loco sunt. Exod. 22.

Leuit.

Leuit.19.20.Rom.13.1,Pet.2. Ephes.6.Col. 3.&c. Neminem occidit, nec lędit alicuius corpus. Non violat alterius vxorem, filiam vel ancillam. Non bona aufert quocunque prætextu iniquo. Non lædit famam, &c. Denique cupiditatibus imperat, & omnes vires eò confert, vt multis benefaciat. Lucæ 19.

Non ergo inciuiles aut inhumanos esse vult Iacobus. Cauet autem ne in fidei & religionis causa προσωποληψίαν admittamus, quod hodie nimis vulgare est.

II. Annon charitatem retinere, & nihilo minus pauperibus benefacere licet, sic vt non simus culpandi? Respondent: minime: Dum enim personas respicitis, peccatis, & legis estis transgressores. Nec est quod reliquorum operum sanctimoniam allegetis, Si enim fieri posset, vt totam legem præstaretis, vno excepto, tamē essetis transgressores. Probat exemplo. *Personæ sine peccat respici non possunt.*

Interim in his NOTA. ¶.1. Iacobum nō in hoc esse, vt omnia peccata paria faciat, & laxet habenas libidini. Doçet potius eum, qui vel in minimo deliquit, non posse ceu iustum gloriari coram Domino. Sic corpus læsit qui minimum digitum vulnerauit. *Iacobus peccata non facit paria*

Omnes homines peccatores esse

Patet hinc: ¶. Omnes homines esse peccatores, nec habere quod glorientur coram Domino. Vide Matth.5.Rom.7.3.Esa. 64. Viderunt hoc omnes sancti, Psalm.51. 130.143,&c. Cedat igitur pharisaica superbia.Luc.18.2.Cor.3.1.Cor.4.

Quanto studio peccata cauenda

¶. 2. Quanto studio,ne peccemus,nobis sit opus.Infinitæ occasiones sunt.1. Pet. 5.Matth.12. Labuntur & iusti, Prouer.24. Horum ergo memores vigilemus, Matth. 26.25.&c.

III. Concludit, denuo ad charitatem astringens. Proponit autem ob oculos diem iudicij. Iudicabimini olim per legem libertatis.(Sic verò vocat, quia charitas libertatem animi operatur, vt non inuiti obediamus.Rom.13.1.Ioan.3.)Quare vnice erit obseruanda. Sola enim & vnica misericordia hic habebit quo glorietur aut confidat. Pertinent huc quæ sunt Matth.5.6.18.25.Lucæ 6.1.Ioan.3.4.1.Cor.13.&c.

Lex libertatis.

¶. HAEC vtinam obseruarent, qui hodie non nisi suis rebus studentes omnia Charitatis officia negligunt. Emendemur quæso, & Oremus.

HOMIL.

HOMILIA. XII.

14 *Quæ vtilitas fratres mei, si fidem dicat aliquis habere se, opera verò non habeat? num potest fides illa eum seruare?*

15 *Quod si frater aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu.*

16 *Dicat autem eis aliquis vestrum, Abite cum pace, calescite, & saturamini: non tamen dederitis eis quæ sunt apta corpori, quæ erit vtilitas?*

17 *Ita quoque fides, si opera non habeat, mortua est per se.*

18 *Quin imò dicet aliquis, Tu fidem habes & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.*

D Iacobus Apostolus Cap. 1. veram religionem per signa & proprios fructus descripsit, qui sunt charitatis & sanctimoniæ studium. Cõmendantur hæc per omnes scripturas Apostolicas. Ioan. 13. 15. 1. Cor. 5. 6. 12. 13. Ephes. 4. 5. 1. Ioan. 3. & 4. &c. Cæterum, quia his multa obstant, ijs etiam occurrere Iacob⁹ instituit, & primò de per-

ſonarum reſpectu egit, quo & fidei dignitas euertitur, & in charitatem grauiſsimè peccatur. Obſeruandum ibi præ alijs, quod ad charitatis legem nouiſsimi iudicij mentione nos obſtringit. Vide Matth.25.&c.

Sequitur noua contra inanes fideì iactatores tractatio. Ordo hic eſt:

I. Proponit ſuam ſententiam paucis, figurata interrogatione. Senſus eſt : Non prodeſt fidei profeſsio, quæ nõ ipſorũ operum argumẽtis probatur. Rationis loco ſubiungitur: Quia talis fides nõ poteſt ſaluare.

Porrò vt locum probè intelligamus, hæc NOTA. ¶ 1. Rationem noſtræ iuſtificationis & ſalutis, quæ per omnes ſcripturas diſertè traditur, cuius hic ordo eſt : ¶ A. Omnes homines peccatores ſunt. Pſ.51. Gen. 6.8. Rom.1.2.3.1. Ioan.1. &c. Suis ergo viribus iuſtificari nequeunt, vt patet ex Pſ.130. 143. Eſa.64.1.Cor.4.2.Cor.3.&c.

Iuſtificationis & ſalutis noſtræ ratio & ordo.

¶ B. Iuſtificamur per Chriſtum, qui peccata noſtra in ſe tranſtulit & pro ijſdem ſatisfecit. Vide Eſa. 63. Matth. 11. Ioan. 6. 1.Ioan.1.1. Cor.1.5. 2.Cor.5.Col.2.&c.

¶ C. Huius meritum nos fide percipimus, per quã Chriſto quaſi incorporamur. Ioan, 6.5.14.17. At quia fides Chriſto inſerit, qui de ſuo ſpiritu nobis communicat, non poteſt

test quiescere, sed assiduè operatur ea quæ Christus præcepit, charitatem scilicet, perseuerantiã, innocentiã, &c. Ioã. 15. Gal. 5. &c. De hac fide loquitur scriptura quando nos fide iustificari docet, Ro. 3. Gal. 2. Eph. 2, &c.

¶ 2. Cõtra quos Iacob. hic disputet. Quid prodest (inquit) si quis fidem dicat se habere, &c. Non ergo de ijs qui fidem habent, loquitur: sed vanis huius professoribus, & fidem vocat per Mimesim, huius professionem, cui res ipsa deest. *Contra quos Iacobus disputet.*

HÆC obseruata docent nullã esse contradictionẽ inter Apostolos, vt nec inter Christi verba quæ habentur. Ioã. 5. 6. & quæ sunt Matth. 7. 19.

II. Parabola illustrat sententiã: Vt nõ prosunt amica verba egenis, nisi simul reipsa iuues (quia Deus nõ benè precari modò, sed ijs benefacere iussit, Esa. 58. Luc. 6.) Ita nec fidei professio saluat, si inanis sit. Christus enim nõ hypocriticè fidẽ profiteri, sed reipsa credere, & fidẽ quæ verè adest nobis corã hominibus cõfiteri præcepit. Ioã. 5. Mat. 10. Mar. 8. TVA ergo fides hæc mortua est, & non alia ratione fides dici potest, quàm homo dicitur cadauer. *Parabola.*

Interim obiter NOTA. ¶ Si non prodest amicis verbis dimittere inopes, nisi simul & *Inopes afficere iniuria graue peccatum.*

iuues(1. Ioan.3. & 4.)quid de illis ſperabimus,qui eoſdem odiunt,conuitijs lacerant, verberant & iniqua ab alijs data eripiunt. Prou.17.21.&c.

III. Proſopopœia vtitur, vt res ſit illuſtrior. Obijcit aliquis: Tu fidem habes,ego facta. Reſpondet: Imò proba veris factis fidem,& ego idem de me probabo tibi. Nam ſi te credere dicas ſaltem, non præſtantior es dæmonijs,de quibus vide Lucæ 4. Marci 3.&c.

Quæ ſit connexio inter fidẽ & opera.

NOTA. ¶ Quæ ſit inter fidem & opera connexio. Fides probatur operibus. Sequuntur ergo hæc, non præcedunt. Sed quia fides eſt in homine,opera fidei facit, & quia fide iuſtificatus eſt homo, iuſta opera facit.1 Ioan.3.Hab.1.Nam ſine fide facta,peccata eſſent.Rom.14. Simile diuinitatis Chriſti & miraculorum. Hinc fit quod operibus interdum tribuitur iuſtificatio, ſed operibus fidei,vt nihil habeant hic prçſidij Papiſtæ,&c.Nos pro vera fide oremus.

HOMILIA XIII.

19 *Tu credis Deum vnum eſſe, rectè facis: & dæmonia credunt & horreſcunt.*

20 *Vis verò nosse, homo vane, fidem illam quæ est absq; operibus, mortuam esse?*

21 *Abraham, pater ille noster nonne ex operibus iustificatus est, quum obtulisset Isaac filium suum super altare?*

22 *Vides fidem administram fuisse operum ipsius, & ex operibus fidem perfectam fuisse?*

23 *Itaque impleta est scriptura quæ dicit, Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam, & amicus Dei vocatus est.*

24 *Videtis igitur ex operibus iustificari hominem, & non ex fide tantùm?*

25 *Similiter autem etiam Rahab illa meretrix an non ex operibus iustificata est, quum excepisset nuntios, & alia via emisisset?*

26 *Nam sicut corpus absq; spiritu mortuum est, ita & fides illa* (quæ est) *absq; operibus mortua est.*

DIacobus apostolus in præsenti cum ijs agit, qui nuda fidei gloriatione elati officia verè fidelium negligebant. Hinc fit, quod toties opera nominat, imò inculcat. NE verò hic impingamus, obseruandum est: ¶ A. Fidem à Iacobo non pro vera

iuues(1. Ioan.3. & 4.)quid de illis ſperabimus,qui eoſdem odiunt,conuitijs lacerant, verberant & iniqua ab alijs data eripiunt. Prou.17.21.&c.

III. Proſopopœia vtitur, vt res ſit illuſtrior. Obijcit aliquis: Tu fidem habes,ego facta. Reſpondet: Imò proba veris factis fidem,& ego idem de me probabo tibi. Nam ſi te credere dicas ſaltem, non præſtantior es dæmonijs,de quibus vide Lucæ 4. Marci 3.&c.

Quæ ſit connexio inter fidẽ & opera.

NOTA. ¶ Quæ ſit inter fidem & opera connexio. Fides probatur operibus. Sequuntur ergo hæc, non præcedunt. Sed quia fides eſt in homine,opera fidei facit, & quia fide iuſtificatus eſt homo, iuſta opera facit.1.Ioan.3.Hab.1.Nam ſine fide facta,peccata eſſent.Rom.14. Simile diuinitatis Chriſti & miraculorum. Hinc fit quod operibus interdum tribuitur iuſtificatio, ſed operibus fidei,vt nihil habeant hic prçſidij Papiſtæ,&c.Nos pro vera fide oremus.

HOMILIA XIII.

19 *Tu credis Deum vnum eſſe, rectè facis: & dæmonia credunt & horreſcunt.*

20 *Vis*

20 *Vis verò nosse, homo vane, fidem illam quæ est absq; operibus, mortuam esse?*
21 *Abraham, pater ille noster nonne ex operibus iustificatus est, quum obtulisset Isaac filium suum super altare?*
22 *Vides fidem administram fuisse operum ipsius, & ex operibus fidem perfectam fuisse?*
23 *Itaque impleta est scriptura quæ dicit, Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam, & amicus Dei vocatus est.*
24 *Videtis igitur ex operibus iustificari hominem, & non ex fide tantùm?*
25 *Similiter autem etiam Rahab illa meretrix an non ex operibus iustificata est, quum excepisset nuntios, & alia via emisisset?*
26 *Nam sicut corpus absq; spiritu mortuum est, ita & fides illa* (quæ est) *absq; operibus mortua est.*

D Iacobus apostolus in præsenti cum ijs agit, qui nuda fidei gloriatione elati officia verè fidelium negligebant. Hinc fit, quod toties opera nominat, imò inculcat. NE verò hic impingamus, obseruandum est: ¶ A. Fidem à Iacobo non pro vera

Ad percipiendũ huius loci sensum genuinũ tria obseruanda.

fiducia in Deum per Christum sumi : sed pro nuda fidei professione, quæ reijcitur & Matth. 7. 25. &c. ¶ B. Per opera hic intelligi ipsam fidem operantem iuxta Dei voluntatem & præcepta. Nec enim hic de humanarum traditionum operibus loquitur, quæ semper damnata sunt, Esa. 29. Matth. 15. ¶ C. Iustificationem accipi pro declaratione iustitiæ, quam in Christo per fidem acquirimus. Hinc patet Iacobi sententia: Inutilis est fidei professio, nisi ipsis rebus nos iustificatos esse probem⁹. Illustrat hanc modò duobus exemplis, quibus quæ vera sint, fidei opera & signa discimus, &c.

Loci expositio.

I. Abrahæ est, patris credentium, Rom. 4. Desumpsit ex Gen. 15. & 22. Repetit propositionem: Vis ne scire ô vanissime homo (sic vocat hypocritas, quia vt vasa vacua multum crepant, Matth. 6. 7. 23. Luc. 18.) quod fides sine operibus, id est, non operans, sit mortua? Vide Abrahamum, cuius fides tam probatur, & illá non otiosam fuisse cernes. Probat oblatione filij. Infert: Fidem ergo talem habuit, quę συνήργει, efficax fuit ædendis operibus, & sic se perfectam & veram esse probauit. Et sic propositionem denuo repetit, vt magis vrgeat hypocritas.

NOTA. ¶ Factum Abrahæ, & quæ in hoc potissi-

potissima fidei virtus maximè eluceat. Vide Heb.11. ¶ A. Se & omnia sua Deo consecrauit. Quis enim de hoc dubitet, cùm nec filium Deo negare voluerit? Est hoc ante omnia necessariũ. Quoad enim terrenis inhiamus, Deo fidere non poterimus. Luc.9.17. Hinc illa Matth.10. 8.16. Luc.14. Exempla item Hebr.11. Iob.1.& 2. Matth.9.19. Luc.19. Phil.3. In hoc ferè impingimus.

Quæ fidei virtus in Abraha facto maximè eluceat.

¶ B. Firmissimè credidit Deo, & quasi contra omnẽ spẽ, quod fidei est propriũ. Rom. 4. In Isaac enim promissionem acceperat, & tamẽ illũ iugulare nõ detrectat, nihilominus ratas fore intelligens promissiones Heb. 11. Hæc imitemur, si velim' esse filij Abra. Ro.9.

II. Rahab meretricis est, ex Ios.2. Idẽ scop' est qui supioris: Fidẽ scilicet nõ esse otiosã.

Interim NOTA. ¶ Quales in hac fidei effectus fuerint. ¶ A. Charitatẽ nõ habet fucatam. Excipit enim hospitio eos, quos ex Dei populo esse nouerat. Nec etiã terretur periculo, quod hinc poterat imminere. Implet ergo præceptũ Christi, Ioã.13.15. Huc faciũt quæ habentur Gal.5,1. Cor.13.1. Ioan.3. & 4.

Fidei effectus in Rahab.

¶ B. In hoc vno versatur, vt ecclesiæ populi Dei cõiungi possit, vbi Deũ ex operibus suis cognouit. Et ob hoc patriã & omnia aspernatur. Habet ergo gustũ eorũ quæ sunt Ps.84.27.91.

Quales nos IN hoc ſpeculo contemplemur nòs, qui hodie fide gloriamur,& videbis quid nobis adhuc deſit. Nemo ſe & ſua omnia Deo conſecrat, imò non niſi caducis rebus ſtudemus. Matth. 6. Nemo Deo nititur,niſi quatenus carnis rationes cum huius promiſsionibus conuenire videt. Nemo, vt verum ſit Eccleſiæ membrum, ſedulò curat. Nullum verbi ſtudium. Ioan. 8. 18. Charitatis officia planè negligimus. Audi ergo quid inferat Iacobus.

III. Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſi operibus, id eſt, viuificante illa & operante Spiritus virtute deſtituatur, mortua eſt. At quemadmodum mortuus homo,non eſt homo:ita nec fides mortua. Et proinde non iuuat.

Falluntur qui ſub fidei prætextu carnis licentiam quærunt. NOTA. ¶ Quàm fallantur, & qui ſub fidei prætextu carnis licentiam quærunt, & qui per fidem in Chriſtum bona opera prohiberi clamant. Nos cum Apoſtolis Luc. 17. Oremus.

CAPVT III.

HOMILIA XIIII.

1 *Ne ſitis multi magiſtri, fratres mei, ſcientes fore vt grauiꝰ iudiciū auferamus.*

2 *In*

2 *In multis enim labimur omnes. Si quis in sermone non labitur hic perfectus est vir, vt qui possit fræno moderari totum etiam corpus.*

3 *Ecce equis fræna in ora immittimus, vt obediant nobis, & totum corpus eorũ circumagimus.*

4 *Ecce naues quoq; cum tantæ sint, & à ventis sæuis agantur, circumaguntur à minimo gubernaculo quocunq; libido gubernatoris voluerit.*

5 *Ita & lingua pusillum membrum est, et magna iactat.*

QVemadmodum primus parens noster Adam superbia lapsus est, Gen. 3. Ita superbiæ & ambitionis malum omnibus agnatum est. Parit ex se infinita alia, quibus tam in Deũ quàm homines peccamus, &c. Hinc est, quòd Christus discipulos suos toties ad humilitatem hortatur, vt Matt. 18. 20. Luc. 22. Ioan. 13. Faciunt idem Apostoli, vt 1. Cor. 1. 2. 3. &c. 1. Pet. 5. Idem facit & Iac. Quia enim ijs vitijs mederi instituit, quæ pręcipuis religionis capitibus aduersa sunt, charitati scilicet & sanctimoniæ, nunc cõtra ambitiosos ecclesiastici muneris affectatores stylũ stringit, idq; ordine & ratione commodissima. *Superbia & ambitio.*

Magistri multi. I. Proponit sententiam suam παραινετικῶς. Nolite plures magistri fieri, id est, ne temerè affectetis docendi munus. Addit rationes ab inutili & difficili. ¶ A. Maius enim iudicium subibimus. Nec enim pro nobis modò, sed etiam pro alijs erit reddenda ratio. Ezech. 3. 33. Huc pertinent quę sunt Esa. 56. Zach. 11. Matth. 24. Ierem. 1. ¶ B. Quia in multis omnes labimur. Abundè satis est peccatorum propriorum, vt alienis communicare non sit opus. 1. Tim. 5.

Errãt qui primatum affectant. NOTA. ¶ 1. Quàm errent quicunq; aliquem primatũ affectant. Nec enim vspiam alibi maior est alios offendendi occasio. Matth. 18. Et alios negligere est facillimum, cùm nosmetipsos parum curemus. Obseruent hoc ministri 1. Tim. 3. Tit. 1. Magistratus item & cogitent quod est Psalm. 82. 58. Rom. 13. 2. Par. 19. Psal. 2. Quàm verè ergo Rex ille de quo Val. lib. 7. cap. 2.

Grauius iudicium paratum ministris. ¶ 2. Ministris grauius & seuerius paratum esse iudicium. Agnouit hoc Amoz, vt patet Cap. 3. Paulus Actor. 20. 1. Corinth. 9. Debent hæc ipsis seruire, vt constanter suo munere fungantur. Ierem. 1. Esa. 58. Auditoribus quoque seruiat, ne se verbo Dei opponant. Matth. 10. Ioan. 13. 2. Par. 36. Vtinam dignè meditaremur.

¶ 3. Falli

¶3. Falli eos qui suæ innituntur iustitiæ. Si enim in multis labimur omnes, quomodo subsistemus coram Deo? Leuit. 19. 20. Esa. 33. & 64. Psal. 15. Pertinet huc quod est Prouerb. 24. Agnoscamus hoc, pœniteamus & amplectamur Christum. Lucæ 18. Acto. 2. 2. Cor. 5. *Falluntur qui sua iniustitia nituntur.*

II. Docet qui nam ad hoc munus sint idonei. Qui linguam coercere norunt. Signum euidens. Sermo animi index. At quia hic velocissimus & varius est, Ierem. 17. talis etiam sermo est. Hinc illa Psal. 34. Iac. 1. Porrò, vt magis constet, quare de lingua potius admoneat, in huius descriptionem digreditur per similitudines. *Qui sint ad ministeriũ idonei.*

NOTA. ¶1. Vsum linguæ. Confert fræno & clauo nauis. Vtrumq; seruit ad impellendum & coercendum. Sed in vtroq; etiam certus finis & scopus est. Eundem ergo in homine etiam respicere oportet. Huius scopus est beatitudo. 1. Tim. 2. Ad hunc tenditur vera religione, quæ per omnem vitam extenditur erga Deũ & homines. Vide decalogum Exod. 20. Ioan. 4. Matt. 22. Iacob. 1. &c. Iuxta hanc ergo moderanda lingua. *Vsus linguæ.*

¶A Confiteamur Dominũ & laudemus. Psalm. 50. Pertinet huc doctrina de Deo & confessio fidei. Mar. 8. Rom. 10. &c.

¶ B. Proximum Deo adducamus, nec noceamus ei per linguam, ne illa gladius fiat. Psal. 57. 64. 140. &c. Excluditur turpiloquium. Eph. 4. Col. 3.

Corruptio hominis. ¶ 2. Corruptionem hominis, qui tanto dono abutitur planè in cōtrarium. Sed de hoc postea sequetur. Discamus humilitati studere, verbo Dei parere, & secundum hoc linguam vitamq; omnem moderari. Psal. 119. Oremus.

HOMILIA XV.

5 *Ecce exiguus ignis quantam materiam incendit?*

6 *Lingua etiam flamma est, & mundus iniquitatis: ita inquam lingua constituta est inter membra nostra, maculans totum corpus, inflammans orbem conditum, & inflammata à gehenna.*

7 *Omnis enim natura & ferarū & volucrum, serpentiūq; & marinorū, domatur & domita est à natura humana.*

8 *Linguā aūt nullus hominū domare potest, malum est quod coercere non possis, plena est veneno mortifero.*

9 *Per ipsam benedicimus Deo & Patri, & per ipsam maledicimus hominibus*

qui ad

qui ad similitudinē Dei conditi sunt.
10 *Ex eodē ore prodit benedictio et maledictio. Non oportet fratres mei, hæc ita fieri.*
11 *Numquid fons ex eodem foramine manat dulcem & amaram aquam?*
12 *Numquid potest fratres mei, ficus oleas edere, aut vitis ficus? ita nullus fons salsam ac dulcem aquā potest edere.*

DAuid rex & Propheta piæ & sanctæ vitæ præcepta propositurus Psal.34. sic ait: Quicunq; vitæ cupidus es & videre dies bonos optas, Obserua linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum, &c. Similia ferè sunt & alibi, vt Ps.39.141. Prou. 18. Tam studiosè verò de lingua præcipitur, quia sermo animi index est, Matt.15. & proinde in animis mouendis plurimū potest. 1. Cor.15. Ideo Iacobus etiam contra ambitiosos muneris ecclesiastici affectatores disputans ex sermone agnosci vult huic muneri idoneos. Et quia similib⁹ ré expolire cœperat, in instituto pergit, hoc modo & ordine.

I. Similitudinem ignis adducit, vbi NOTA ¶ 1. Quanta linguæ vis & rabies. ¶ A. Ignis est. Incendit enim animos, quod in ijs cernitur qui aliquo affectu laborant, &c. *Linguæ vis & rabies quanta.*

Hinc illud 1.Cor.15. Deinde vt ignis serpit & augetur. Fama. Præterea tragœdias excitat, quæ interdum vix sanguine sedari possunt, &c.

¶ B. Mundus, id est, apparatus est omnis iniquitatis, & quasi instrumentum. Patet hoc in religione & in alijs negotijs.

¶ C. Maculat & inficit, imò incendit rotam natiuitatis, id est, naturam per se corruptam. Constat hoc ex quotidiana experientia. Finis verò omnium est, vt linguam coerceamus, Eph.4. Col.3.

¶ 2. Vnde hæc vis linguæ? Inflammatur à gehenna, diabolo. Deus enim bonam condidit, & vsum eius destinauit sanctum. Indicat hoc situs. Expone hunc. Diabolus verò qui calumniator est (Ioannis 8. Genes. 3.) sui similes reddere cupit. Obseruent ergo hic blasphemi, calumniatores, obtrectatores &c. cuius serui sint. Vtinam obseruarent.

Linguam effrene malum esse & veneni plenum.

II. Collatione & effectis probat linguam effrene malum & veneni plenam esse. ¶. A. Deus omnia hominis imperio subiecit. Genes. 1. 2. 3. &c. Ideo nulla creatura tam ferox est, quæ non homini inseruiat, & aliqua ratione cicuretur. Expone per species. Solam liguam nemo vnquam domare potuit,

vt

vt non aliquando erumperet, &c.

¶ B. Lingua ſolet benedicere Deum & profitetur ſe religioſam. Interim eadem hæc proximum qui ad Dei imaginem conditus eſt, execratur. Veneni ergo & fraudulentiæ plena eſt.

NOTA. ¶ 1. Hominis corruptio quanta ſit. Nec enim domari modò poſſunt creaturæ omnes, ſed & ſingulæ ſuum faciunt officium. Vide Eſa. 1. Ierem. 8. Solus homo ſui immemor, ſubinde exorbitat. Pſalmo quadrageſimo nono. Agnoſcamus hoc & emendemur, *Corruptio hominis quanta.*

¶ 2. Quales iudicandi ſint obtrectatores, & qui execrantur proximum. In ipſum Deum peccant perfidè & ſimulatione venenifera. Eoque grauius peccant, quod abutuntur nomine Dei, contra id quod eſt Exod. 20. Leuit. 24. Quid ergo de homicidis dicemus? Exod. 20. Geneſ. 4. 9. Num. 35. &c. *Obtrectatores quales.*

III. Infert hortatiunculam, figuratam parabolis, quæ docent cum naturæ legibus pugnare eos, qui Chriſtianos ſeſe pollicentur, interim verò linguæ rabiem non coercent. Non debent hæc fieri ô fratres. Videte arbores & fontes, & facilè conſtabit ipſam naturam ab eiuſmodi hypocriſi abhor-

tere. Apologus Satyri huc maximè pertinet. Discamus nos hinc lingua Deum colere & laudare, proximo prodesse & sale condire sermones, &c. Col. 4. Oremus.

HOMILIA XVI.

13 *Quis sapiens & scientia præditus inter vos est? demonstret ex bona conversatione opera sua, cum mansuetudine sapientiæ.*
14 *Quod si invidiam amaram habetis, & irritationem in corde vestro, ne gloriamini, & ne mendaces estote adversus veritatem.*
15 *Non est enim ista sapientia supernè descendens, sed terrena, animalis, dæmoniaca.*
16 *Vbi enim est invidia & irritatio, ibi tumultuatio & omne opus pravum.*
17 *Quæ autem supernè est sapientia, primum quidem pura est, deinde pacifica, moderata, tractabilis, plena misericordia & fructuum bonorum, absque dijudicatione, sine simulatione.*
18 *Fructus autem iustitiæ cum pace seritur pacificis.*

Diuus Iacobus hoc tertio Capite contra ambitiosos muneris ecclesiastici affectatores disputare instituit. Quia vero huius potissima pars est docendi officium, de lingua multis disseruit, & parabolis docuit quanta sit huius rabies. Finis omnium est, vt singuli linguas frenare discant, (Psal. 34.39.141.Pro.18.) & ecclesiæ non nisi linguæ continentes præficiant.1.Tim.3.Tit.1. Porro affectatores illi sapientiæ laudem sibi vendicantes contentionibus miscebant omnia, si qui ipsis consentire nollent. Quales hodie Scholastici theologi & Anabaptistæ sunt, Ideo in præsenti Iacobus illis occurrens de ipsorum præmio, deinde de vera sapientia disputat. *Scopus.*

I, Antypophora docet ipsos sapientes non esse. Quis sapiens,&c. Quasi diceret: Audio quidem multos gloriose sapientiam iactare, Sed non quid quisque loquatur, sed qualem sese gerat, spectandum est. Hinc duo tradit: ¶. A.Ipsos non habere sapientiam veram. Probat: Quia non estis mansueti, sed æmulatione & contentionibus agitamini. Hinc incertitudo quædam rerum omnium & omne malū oritur. At quomodo sapientia regnare dicetur, vbi illa regnare solent? *De vana sapientia quæ dicat.*

¶. B. Qualis sit ipsorum sapientia. Terrena. Animalis. Sumitur vt 1. Cor. 2. & 15. Dæmoniaca, quia cum huius ingenio cōuenit. Ioan. 8. Ex his vero colligi vult, tales indignos esse, qui huic officio præficiantur.

Aemulationis & contentionum studiosi quales.

NOTA. ¶. I. Quid iudicari debeat de æmulationis & contentionum studiosis. Carent sapientia, & proinde etiam religione. Prou. 1. Ideo toti carnales sunt. 1. Corin. 1. 3. Hinc illæ adhortationes, Psal. 137. Matth. 5. Iohan. 15. 13. 17. Ephes. 4. 1. Corinth. 12. 13. 16. 2. Corinth. 13. Vtinam has maioris faceremus hodie.

Sapientia vana qui nituntur, falluntur.

¶. 2. Quare fallantur, qui talium sapientia nituntur? Tam abest vt sapientes fiant, vt etiam scindantur inuicem. Vide gentium philosophos Ro. 1. Scholasticos theologos & monachos, qui idem faciunt in ecclesia quod Corinth. scioli. 1. Corinth. 1. & 3. Discamus igitur verbo Dei inniti & Christo. Psal. 19. 119. Es. 40. 55. 1. Cor. 1. 2. Ioan. 1. 5. Col. 1. 2. 2. Tim. 3. &c.

Vera sapientia vnde.

II. Describit veram sapientiam, vbi NOTA. ¶. 1. Vnde ea sit? E supernis, id est, diuinitus. Homo enim ex se non sapit. 1. Cor. 2. Contundit hoc iustitiariorum fiduciam. Luc. 18. 2. Cor. 3. Excitat item ad preces. Iac. 1. Psalm. 25. & 119.

¶. 2.

¶. 2. Propria huius: ¶. A. Casta est. Pertinēt huc & vltima, ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος. Non dubitat de Dei verbo, & proinde nihil huic contrarium admittit. Numer. 15. Deut. 4. 12. Exemplum huius in Michea habetur 3. Reg. 22. *Eius proprietates.*

¶. B. Pacifica est. Comprehendit hoc & misericordiā & beneficentiā. Habet enim charitatem coniunctam, & cœlestis patris ingenium imitatur. 1. Corinth. 13. Matth. 5. 1. Tim. 2.

¶. C. Modesta & tractabilis. Per hanc hanc enim nouit seipsum homo, & proinde non gloriatur 1. Cor. 4. Nouit item quid debeat proximo, & proinde omnia potius suffert quam pugnas moueat. 1. Corinth. 13. Rom. 12.

O quàm paucos sapientes hodie reperimus: Plerique vel præfracti sunt, vel ignaui & diuini Verbi negligentes, &c.

III. Concludit epiphonemate. Fructus iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem. Quasi diceret: In Ecclesiā omnium finis esse debet, vt iustificemur coram Deo. At is pace delectatur. Matth. 5. Psalm. 137. Pacificis ergo & mansuetis opus est. *Pij pacifici.* *Contra mercenariam militiam.*

NOTA. ¶. In republica idem obser-

uandum. Si bellorum & militiæ mercenariæ studiosos euehas, seminabis & metes maledictionem. Num. 35. Deut. 27. Pro vera igitur sapientia Oremus.

CAPVT. IIII.

HOMILIA. XVII.

1 *Vnde bella & lites inter vos? Nonne hinc* (nimirum) *ex voluptatibus vestris, quæ militant in membris vestris?*

2 *Concupiscitis, et non habetis: inuidetis & studiose affectatis, nec potestis assequi: pugnatis & bellatis, non tamen obtinetis, propterea quod non petitis.*

3 *Petitis & non accipitis, eò quod male petatis, vt in voluptates vestras insumatis.*

Scopus. QVemadmodum homo natura temporariæ fœlicitatis & priuati commodi amans ac studiosus est: Ita in religionis negotio ferè hæc ipsa quærere consueuit. Parit hoc studium infinita mala. Hinc enim cauponatio sacrorum prodijt. Ioan. 2. Matth. 15. 23. Actor. 8. Hinc æmulatio, inuidia.

dia, discordiæ, bella etiam, &c. Inter omnia vero nocentissimũ malũ est, quod mundo dediti homines hac occasione arrepta turbas & dissidia euangelicæ doctrinę accepta ferũt, & ideo ferè huius ministri prò seditiosis accusantur. Frequens hoc fuit apostolorum temporibus, vt patet Actor. 6. 13. 14. 16. 17. 21. 24. &c. Quare de hoc Iacobus commode & diligenter disserit, hoc CAP. IIII. Ordo hic est:

I. Diserte docet vnde lites & pugnæ sint. Proponit per interrogationem: Vnde bella, &c. Quasi diceret: Scio quæ multorũ sit hac de re sententia, qui euangelio hæc omnia accepta ferunt. At ego aliud possum dicere. Affectus & voluptatum studia intra vos tumultuantur, & quasi bellum exercent contra rationem & Christum Dominum. HINC vero oriri turbas omnes eleganti gradatione docet: ¶. A. Concupiscitis & non habetis, id est, non contenti estis vestra sorte. Sic enim nihil vobis deesset. 1. Tim. 6. Rursum vero concupiscentiam omnis mali fontem constituit, vt & Cap. 1. &c. ¶. B. Hinc, vbi non obtingit res cupita, accenditur æmulatio contra proximum, quasi is indignus ea potiatur. Psalm. 37. 73. ¶. C. Huic dum indulgetur, tandē ad aper-

tas pugnas & bella deuenitis. Atqui hunc ordinem videre eſt in Cain Gen. 4. In Saul 1.Sam.18.19.20.&c. Hodie item in principibus & priuatis. Ioan.3.15.

NOTA. ¶. 1. Quam errent, quicunque euangelio & religioni turbas acceptas ferunt. Sic enim incredulitati & inobedientiæ blaſphemiam iungunt, Deo tribuentes quod diaboli eſt. Ioan. 8. Deinde ſocij fiunt Achabi (3.Reg.18.21.22.&c.) & omnium impiorum. Videamus potius regulam euangelij. Ioan.15.13. Matth.20.5. Epheſ.4.1.Cor. 12.& 13. Hanc ſequamur. ¶. 2. Affectibus & concupiſcentiæ carnis reſiſti oportere, ſi maiora mala velimus vitare. Poteſt his pulchre blandiri peccatum. Pſalm. 36. Hinc illud Pſal. 119. Auerte oculos tuos, ne videant vanitatem. Diduc ad omnia carnis ſtudia.

II. Reſpondent obiectionibus quæ adduntur à mundo deditis. ¶. I. Non temere æmulamur & impatientius ferimus noſtrá ſortem. Quia non habemus quæ neceſsitati ſeruiunt. Talis eſt querimonia Ierem.12. Hab.1.&c. Reſpon. Noui hoc. Sed videre oportebat, quæ veſtræ inopiæ cauſa ſit. Hęc ſcilicet, quod non petitis à Deo, ſed veſtris curis & laboribus vultis omnia conſequi.

Non

Non immerito igitur egetis.

NOTA. ¶. Quomodo rei domesticæ & necessitati prouideri possit. Peccatur hic plurimum curis carnalibus quæ multorum scelerum causa sunt. Psal. 49. 1. Tim. 6. Damnantur ergo Matth. 6. IN primis autem religione opus est, vt intelligamus ex Dei benedictione omnia obuenire. Deut. 28. Psal. 127. Huius vocationi insistendum & iungendæ preces. Sic nihil deerit. Matth. 6. 7. Ioan. 16. Psal. 37. 112.

Quorum necessitati prouidere debeamus.

¶. II. Imò petimus indies, sed frustra. Respon. Et hic in vobis culpa hæret. Partim enim male petitis, partim in malum finem, vt insumatis, &c.

NOTA. ¶. Cur non exaudiamur semper precantes? Deus non fallit in promissionibus suis. Sed peccatur à nobis. Primum, quod non rite precamur. Sine fide. Iacob. 1. Sine perseuerantia. Luc. 18. Ore duntaxat & humanis infecti traditionibus. Esa. 29. Matth. 15. Deinde finis voti nostri non pius est, sed carnis cupiditates sectamur. Esa. 1. Ierem. 7. Ex fide ergo & sancte Oremus.

Cur preces nostra non semper exaudiantur.

HOMILIA. XVIII.

4 *Adulteri & adulteræ, nescitis amicitiā mūdi, inimicitiā esse cū Deo? Quicunq; ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.*
5 *Annon putatis scripturam inaniter dicere, Ad inuidiam fertur spiritus qui habitat in nobis?*
6 *Sed maiorem offert gratiam, quia dicit, Deus superbis resistit, modestis autem dat gratiam.*
7 *Subijcite igitur vos Deo, resistite diabolo, & fugiet à vobis.*
8 *Appropinquate Deo & appropinquabit vobis.*

DOminus noster Iesus Christus à discipulis suis hoc potissimum requirit, vt spretis mundi huius studijs ipsi in fide, innocentia & charitate seruiamus. Mat. 6.16.& 22.Luc.9.14.&c. Constat ergo cum huius regula nihil perinde pugnare, atque priuatæ rei & temporariæ fœlicitatis studium. Ideo toties nos ab hoc dehortantur Christus & apostoli, vt Matth.6.19.Luc.21.17.1.Tim.6.Phil.3.&c. Idem facit hoc Cap. Iacobus. Primo autem, quia ex priuatæ rei

studio

ſtudio contentiones & diſsidia oriuntur, docuit quomodo religioſe & tutò,imò etiàm cum quæſtu magno rebus noſtris poſſimus conſulere,Deut.28.Pſalm.127.112. Sequitur.

I. Grauis increpatio,qua grauitatem peccati illius indicat, quo mundi ſtudia ſectamur.

Adulteros vocat.

NOTA. ¶. 1. Quod adulteros & adulteras vocat,mundo deditos.Alludit ad pactũ, quo nos ſibi iunxitChriſtus,de quo legitur. Hoſ.1.2.Ezech.16.Eph.5.2.Cor.11. Matt. 9. 15.Vere ergo adulteri ſunt,qui hoc violant.

Vitia ſuis nominibus appellanda

Interim patet : ¶. Manſuetudinem, quam à miniſtro ſupra requiſiuit, non obſtare quò minus ſuis nominibus appellentur vitia. Idem enim faciunt, Moſes, prophetæ.Imò Chriſtus Matth.15.21.&23. Ioã. 2.8.&c.Omnino enim in Eccleſia retinenda peccatorum redargutio & reprehenſio. Eſ. 58.Ioan.16.2.Tim.4.

Qui mundo ſe dedunt Dei inimici fiunt.

¶. 2. Dei inimicos fieri, qui mundo ſeſe dedunt. Mundus enim & Deus conuenire non poſſunt. Matth. 6. 2. Corinth. 6. Ioan.3.

HVC pertinent quæ de regeneratione dicuntur Ioan. 3. De abnegatione ſuijpſius

& mortificatione carnis. Matth. 16. Colos. 3. Item quæ sunt Luc. 9. 1. Cor. 5. 6. Gal. 2. & 5.

¶. Extendendum hoc ad omnia mundi & carnis studia, propter infinitas illecebras, quæ obijciuntur nobis. Psal. 36.

II. Probat quod dixit, Dei inimicos fieri eos, qui mundi amicitiam quærunt. Præmittit autem scripturæ authoritatem: non vnũ aliquem locum citans, sed omnia intelligi volens, quæ in hanc sententiam dicuntur in

Spiritus ad inuidiam concupiscit

scripturis. Spiritus qui in nobis habitat cõcupiscit ad inuidiam. Loquitur aũt de spiritu Christi, quem suis dat loco arrhabonis, vt est 2. Cor. 1. 5. Eph. 1. Hui⁹ propriũ est, quod ad inuidiam, id est, fastidium vsq;, & pertinaciter petit ea quæ Dei gloriæ seruiũt. Nouit enim Deũ zelotem esse. Exod. 20. Nah. 1. Et Deus maiorem dat gratiam, vt huic studio possimus sufficere, &c. IN ipsum ergo spiritum peccant, qui mundi amicitiá sequũtur.

Studium rerum diuinarum vnde.

NOTA. ¶. 1. Vnde in nobis sit studium rerum diuinarum. Non vtiq; ex nobis, vt patet 1. Cor. 2. 2. Cor. 3. Sed Deus est, qui hanc gratiam largitur per spiritum suum. Ioan. 3. Matth. 11. 16. Agnoscit idem Dauid. Ps. 25. 51.

¶. Refutatur illorum superbia, qui suis viribus & meritis aliquid tribuunt. Luc. 18. 1. Corinth. 4.

¶. 2.

¶. 2. Quales censeri debeant, qui mundi amicitiæ sic student, vt gloriæ Dei & fidei coniugalis, quam huic debent, nullam habeant rationem. Inimici Dei sunt & huius spiritum minimè habent. *Amicitiæ mundi studentes quales.*

III. Summam suæ doctrinæ infert. NOTA. ¶.1. Officium Christiani hominis. ¶.A. Deo subijci. Requirit hoc, quia pater & Dominus est. Mal. 1. Extendi debet ad omnia præcepta aduersus carnis rationes. *Christiani hominis officium.*

¶. B. Resistere diabolo. Quia is Christi & omnium nostrum hostis est. Ioan. 8. Matthæi 4. Pertinent huc quæ sunt Ephes. 5. 1. Pet. 5.

¶. C. Appropinquare Deo. De corde hoc intelligitur. Esa. 29. Ioan. 4. &c. Auocandus animus à terrenis & Deo consecrandus. Rom. 12.

¶. 2. Promissionem fœlicis successus. Diabolus fugiet. Matth. 4. Deus appropinquabit vobis sui spiritus gratia. Matth. 7. Ioan. 14. 16. &c. Oremus. *Promissio.*

HOMILIA. XIX.

8 *Mundate manus ô peccatores, & purificate corda* (vos) *duplices animo.*

9 *Affligimini, & lugete, & flete, risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.*

10 *Summittite vos in conspectu Domini, & extollet vos.*

11 *Ne alij aduersus alios loquimini, fratres, qui loquitur contra fratrem, quique damnat fratrem suum, loquitur contra legem & damnat legem, quod si damnas legem, non es obseruator legis, sed iudex.*

12 *Vnus est legislator qui potest seruare & perdere: tu quis es, qui iudicas alium?*

DIuus Iacobus Apostol⁹, postquã multis & varijs vitijs fidei veritatem impedientibus occurrit, ad fidei & vitæ præcepta conuertitur .Incipit autem ab ijs, quæ Deum religionemque concernunt. 1. Subditi estote Deo, quod veram requirit obedientiam, & ad omnia præcepta Dei debet extendi, iuxta illud quod est Deut. 4. 12. 2. Resistite diabolo, qui hostis Christi est. Ephes. 6. Requirit hoc officium, quod Christo debemus. 2. Corinth. 11. 3. Appropinquate item Deo. Animus hic postulatur iuxta illud Esa. 29. Matth. 15. In primis tamen hic Christo opus est. Iohannis 14. Matth. 11. Sequun-

Sequuntur nunc præcepta quæ ad externam vitæ conuersationem potissimum spectant.

I. Mundate manus ô peccatores,&c. Primo autem de munditia & puritate tractat, quia immundi cum Deo commertium habere non possunt. Leu.19.20. Esa.33. Psal.15.

NOTA. ¶. 1, Quæ vera sit munditia & puritas,& in quibus consistat. ¶.A. Mundate manus. Manus actionū symbola sunt. Has mundas esse conuenit: quod nunc fiet, quando secundum Dei præcepta institutæ fuerint. Hinc illud Deut. 6, Extendi ergo debet ad omnia quæ facimus. Vide Psalm. 26. Esa. 1. 59. Ephes. 4. 1. Thes. 4. 1. Tim. 2. Matth. 15. O si hoc obseruaretur. *Munditia vera qual? Manus.*

¶. B. Purificate corda. Cor actionum quasi fons est. Matth. 15. Hic nisi purus sit, manus mundæ non erunt. Hinc illa Deut. 6.10. Ierem. 4. Psalm. 15.51. Matth. 15.23.&c. Purificatur verò, si Christo consecretur. Huc pertinent quæ sunt, Ierem. 7. Mich. 6. Hos. 6. Roman. 12. Matthæi 18. 1. Corinth. 5. 6. &c. *Cor.*

¶. 2. Quales nominet, qui hac munditie carent. Primos peccatores vocat, non quod alteri peccatores non sint, sed quod præ cæteris etiam actu peccent. Vide ordi- *Hac munditie carentes quales sint.*

nem peccati supra Cap.1. At peccatũ à Deo separat, Esa.59. Col.3.

Alteros vocat διψύχους, quasi bicordes. Religionem enim quam ore profitentur vita negant. Tit. 1. Similes ijs qui claudicant in vtrumque latus. 3. Reg. 18. O quantus vtriusque ordinis hominum numerus est hodie. Quid ergo miramur Dei irati ferulam? Zach. 1. Col. 3. &c.

Quibus hæc dicantur.

II. Affligimini, lugete & plorate, &c. Contra opulentos & fortuna ebrios agit. Hi enim ferè efferuntur fortunæ bonis. Inde insolentia & peccandi licentia. **Gůt macht můt. Můt bringt übermůt/der selb thet nie gůt.** Vult ergo vt ipsi humilientur, & memores suæ conditionis incertæ lugeant potius. Eccl. 7. Addit præmium: Humiliamini corã Deo, & exaltabit vos. Vide Luc. 14.18.

Fortunis crescentibus decrescat animus.

NOTA. ¶. 1. Quò magis abundamus fortunis, eò magis deprimamur. Quia eò periculosior est nostra conditio. Prou. 16. 17. Hinc illud Prou. 30. Cogitemus ergo quod est Psal. 62. 1. Pet. 5. Item quod lubrica est omnis opum & mundi fortuna. Esaiæ 40. Psal. 49.

Elati animi in omni fortuna.

¶. 2. Quàm in hoc peccetur hodie. Non in lætis modo fortunæ successibus eferimur, sed etiam inter famem & inopiam, plane si-

ne similes ijs, de quibus legitur. Es.5. Amoz. 6. Ez.16. Faßnacht. Cogemur ergo aliquando vel inuiti lugere. Vide Luc.6.&16.

III. Ne detrahatis inuicem,&c. Ex aliorum enim fortunis ferè inuidia oritur,& obtrectatio. De hoc igitur monet, interim non tollens officium ministrorum & magistratus, de quo Esa.58.2.Tim.4.Rom.13.

NOTA. ¶.1. Quantum sit obtrectationis malum. ¶.A. Peccatur in proximum, cōtra charitatis legem, quæ est. Exod.20. Hinc infinita mala, Iac.3. **Obtrectatio quantum malum.**

¶. B. In ipsum Deum peccatur. Sic enim legem Dei, cui nos subditos esse oportebat, temere iudicamus, imò Dei munus nobisipsis vendicamus, qui dixit: Mihi vindictam. Deut.32.

¶.2. Quomodo vitari queat? Tu quis es qui iudicas alium? In nosmetipsos descendamus,&c. Matth.7. Oremus. **Quomodo vitanda.**

HOMILIA. XX.

13 *Agite nūc qui dicitis, Hodie vel cras ibimus in illam vrbem, & agemus ibi annum vnum: & mercabimur, & lucrabimur.*

14 *Qui ignoratis, quid (futurum sit) postero die, quæ est enim vita vestra?*

vapor enim est qui ad exiguum tem-
pus apparet, & deinde euanescit.
15 *Pro eo quod dicere debuistis, Si Do-*
minus voluerit, & viuemus, facie-
mus hoc aut illud.
16 *Nunc autem gloriamini de arrogan*
tia vestra. Omnis eiusmodi gloriatio,
mala est.
17 *Igitur qui nouerit rectè facere, nec fa*
cit, hic peccato tenetur.

Auaritia. INter multa & varia vitia, quæ hominem à via regni cœlorum abstrahunt, nullum auaritia & priuati commodi studio est nocentius. ¶. A. Quia dum parantur opes, multa facimus inique & impie, vt videre est Psalm. 49. 1. Tim. 6. ¶. B. Quia partæ & acquisitæ reddunt insolentes & omni religione exuunt. Prou 30. Psalm. 37. 12. 94. Luc. 12. Verissimum ergo quod Dominus dicit Matth. 6. Iacobus igitur non immerito tanta diligentia de hoc malo disputat initio huius capitis, vbi ostendit omnem quoque concordiam & charitatem Christianam huius studio turbari. Sic ipsi apostoli rixati sunt, quoad temporarijs huius seculi rebus studuerunt. Matthæi 18. 20. Lucæ 22.

IN præſenti verò ad hoc ipſum rediens aliud vitium reprehendit.

I. Arguit inſolentiam & vana eorum, qui ditescere volunt conſilia. Pulchrè verò per proſopopœiam citat illorũ ſermones. Sunt hi planè turgidi & magnifici. Nil niſi lucrum & opes crepãt: interim nulla ibi mentio, nec ſalis euang. Col. 4.

NOTA.¶ 1. Ipſum peccatum per ſe, de quo hic agitur. Vocat gloriationem inſolentem, & omnem eiuſmodi gloriationem malam dicit, Quia animum arguit religione omninò vacuum. Habet verò id locum apud omnes hominum ordines, & à ſingulis plurimum peccatur. Principes victorias & regnorum auctionem crepant. Priuati, &c. *Gloriatio et præſumptio mala eſt.*

¶ 2. Rationem, qua Iacobus probat eiuſmodi gloriationes & præſumptiones ſtultas & abſurdas eſſe: Neſcitis num in craſtinum ſitis victuri. Illud verò rurſum probat per vitæ humanæ breuitatem. Hæc enim quid aliud quàm vapor quidam eſt. Vapor cùm videatur aliquid eſſe, tamen nihil eſt: deinde non eſt durabilis. Talis etiam eſt vita noſtra. Huc pertinet quod habetur Pſal. 39. & 90. Dicitur homo in imagine viuere. Conuerſio ei tribuitur in id quod prius fuimus, qualis eſt vaſis teſtacei. Gen. 3. 2. Cor. *Rationes.*

4.5.Breuitas similibus adumbratur,diei hesterni,vigiliæ nocturnæ(Matth.25.) pluuiæ quæ absorbetur à terra, Somnij(Iob.20.) herbę vel floris,Ps.37.103.129.Esa.40.Matth. 6.1.Pet.1.Iac.1.&c.Sed patet hic nostrę conditionis corruptio,quod tam pauci hæc meditantur dignè.

Quid faciendum. ¶ 3. Quid faciendum? Dicendum:Si dominus voluerit:Id est.Voluntati diuinę omnia subijci sciamus & ab hac toti pendeamus. Vide Prou.16. Matth.10.Acto.17.

Vsus. Seruit hoc multum: ¶ A. Institutioni,ne scilicet quid tentemus, quod cum Dei voluntate pugnat.

¶ B. Consolationi,si minus succedit quod instituimus.Cogita Deum noluisse.At is nostri amans est & saluti nostræ consultum cupit.1.Tim.2.Ioan.3.

II Cōcludit locū hūc epiphonemate,quo euangelij cognitione tumidos iugulat.Ei ergo qui nouit, &c. Quasi dicat;Sufficere putatis, quòd religionem profitemini & scitis quid fieri debeat. Sed adeò non sufficit,vt potius hoc vobis ad pernitiem cedat. Ideo enim vobis peccatum imputari meretur. Vide Luc.12.

De nostri seculi moribus quid iudicandum. NOTA. ¶ 1. Quid de nostri seculi moribus iudicari debeat. Norunt omnes quid debeat

debeat fieri in religione & vita reliqua. Interim nemo facit. Quid ergo mirum si vapulamus? ¶ 2. Quàm necessariũ sit verbi studiũ, vt per hoc officij subinde admoneamur. Ps. 1.19.119. Magnus illorũ error qui illud contemnunt. Ioan. 8. Oremus.

CAPVT V.

HOMILIA XXI.

1 *Agite nunc diuites, flete, vlulantes super miserijs vestris superuenturis.*

2 *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimẽta vestra obnoxia tineis facta sunt.*

3 *Aurum & argentum vestrum ærugine vitiatum est, & ærugo eorum testabitur aduersum vos, & exedet carnes vestras velut ignis: thesaurum congessistis in vltimos dies.*

4 *Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, à vobis intercepta, clamat: & clamores eorum qui messuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt.*

5 *In delitijs vixistis super terram, & lasciuistis: enutristis corda vestra vt in die mactationis.*

6 *Condemnastis, occidistis iustum: non restitit vobis.*

QVemadmodum homo natura rerũ terrenarum & opum huius seculi appetens est: Ita si has consequatur mirè efferri solet. Parit ea res in homine perniciosam suijpsius ignorantiam, vt teterrima quoq; vitia non agnoscat, sed opum abundantia nihil non excusari existimet. Ideo toties in scriptura sacra de diuitum moribus & vitijs Spiritus sanctus differit. Et Iacobus in præsenti eadem ceu in speculo cernenda proponit. Primum fuit præsumptuosa & insolens in suis institutis diuitum gloriatio. Sequuntur hæc;

I. Securitas & intermissa in egenos charitatis officia. Vtrumque ferè opes comitatur.

Expositio & ordo huius loci. Ordo hic est: ¶ A. Pœnam minatur. Quasi dicat: Vos nũc gaudetis securi, sed potius plorandum erat. Dicit hoc ad Christi imitationem. Luc. 6.

¶ B. Causam subiungit: Quia opes vestræ computruerunt, vestes à tineis corrosæ sunt, &c. Hæc corruptio opum contra vos testatur, habuisse scilicet vos vnde subveniretis pauperibus, & tamen neglexisse chari-

charitatis Christianæ officium:

¶ C. Denuo infert pœnam. In hac etiam vita ignem conscientiæ sentietis, & in nouissimo die videbitis quem thesaurum congesseritis.

NOTA. ¶ 1. Quàm fallantur qui opibus coaceruandis inuigilant. Extende ad omnes partes. Natura paucis contenta est. 1. Tim. 6. Quid ergo quæ alijs debebant prodesse ipsi occupamus? Pertinent huc, Esa. 5. Amoz 4. 6. Luc. 16. *Falluntur auari opibus inhiantes.*

¶ 2. Quid fieri debeat? Thesauricemus in cœlis. Matth. 6. Luc. 16. Fit hoc per charitatis officia. Matthæi 25. 1. Tim. 6. Act. 10. Esa. 58. &c. *Quæ opes colligendæ*

II. Fraudes & iniustitiam accusat, qua defraudabant etiam egenos. Sub vna specie omnes vult intelligi. Sumpsit ex Deut. 24. Idem faciunt, qui minus æquo persoluunt. Item qui corruptas merces aut monetam insolitam obtrudunt. Qui cibum negant sufficientem, &c. Hæc omnia clamant ad Dominum Zebaoth, id est, exercituum. HVNC opponit confidentiæ diuitum, qui nihil periculi ex pauperibus metuunt. Quasi dicat: Is poterit punire & vindicare suos. Vide Exod. 22. 34. Deut. 32. Nah. 1. &c.

NOTA. ¶ Non euitari pœnam, licet in-

Pœna non euitatur quamuis nemo accuset.

tor homines nemo accuset nos. Ipsa peccata clamant, & gemitus oppressorum ascendit in cœlum. Vide Psalm.12. 56. Exod.22. Exempla sunt Genes. 4. 18. Ierem.22.Ion. 1. &c.

III. Luxũ & prodigalitaté reprehẽdit,quã exercebant fame interim pereuntibus egenis. Vobis semper est dies occisionis, id est, festus. Pertinent huc Esa.5. Amoz 6. Luc.16.

Luxuriam non excusat opum abundantia.

NOTA ¶ Opum abundantia non excusari luxum. Quis alius opum finis est, vt nimirum necessitati seruiant & pauperibus. Luc.16.

Pauperes luxu grauius peccant.

¶ Quod si verò diuites luxu peccant, quid de illis dicemus, qui in paupertate luxuriantur, interim iniqui in creditores, vxores, liberos? Magnus hodie horum numerus, qui vtinam discerent resipiscere.

IIII. Crudelitatem in pauperes obijcit. Condemnastis & occidistis iustum,&c. Intelligitur omnis violentia & oppressio. Sunt qui iuris prætextu hoc faciunt. Mich. 3. Amoz 5. &c. Alij ius belli habent quo se defendant. Sed audi Deuteronom. 27. Quocunque tamen titulo fiat, peccatum est,&c.

Oppressi qualem habeant vindicem.

NOTA. ¶ Qualem & quantum patrem & vindicem oppressi omnes habeant. Vide

Psalm.

Psalm. 68. 12. Exod. 22. Deuteron. 16. &c. Non igitur terreamur impiorum minis. Pertinent hæc ad Ecclesiam quoque. Zach. 2. 12 Matthæi 10. 28. Vtinam in horum consyderationem maiori diligentia intenderemus, &c. Oremus.

HOMILIA XXII.

7 *Patientes igitur estote fratres, vsque ad Domini aduentum. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter eum expectans, dum accipiat pluuiam matutinam & serotinam.*

8 *Patientes estote & vos, & stabilite corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquat.*

9 *Ne ingemiscite alius aduersus alium, fratres: vt ne condemnemini, ecce iudex ante ianuam astat.*

10 *Sumite, fratres mei, pro exemplari afflictionis ac patientiæ, Prophetas qui loquuti sunt in nomine Domini.*

11 *Ecce beatos pronuntiamus eos, qui* (afflictionem) *sustinent. Tolerantiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, nam valde misericors est Dominus & commiserans.*

QVemadmodum in acquirendis & parandis opibus variè peccatur (1. Tim.6. Psal.49.) Ita eædem dum possidentur multis & varijs peccatis occasionē præbent. Inter alia verò, quæ iniquè faciunt diuites, cumprimis detestabilis est insolentia, qua pauperes affligunt & premunt. Primo enim sic peccatur in ipsum finem, propter quem opes dantur à Domino. Luc.16. Deinde inter pauperes impatientiam & acerbam æmulationem excitat. Psal. 37.73. Ierem.12. Ideo tam diligenter de his Iacobus agit: & quia quæ diuitibus dicenda fuerunt præmisit, nunc pauperum quoque vitijs medetur.

Scopus.

I. Impatientiam prohibet, & ad longanimitatem hortatur, ne in Deum peccent, &c.

Longanimitas.

NOTA. ¶ 1. Quid suadeat & iubeat Iacobus. Longanimes estote. Est hoc aliquid amplius quàm patientia, imò patientiæ quasi fons est. Quia impatientiam animi præcipitantia parit, & vindictæ cupiditas. HOC igitur vult, vt animis compositis & mansuetis expectent aduentum Domini, id est, Ipsius iudicio omnes iniurias vindicendas permittant. Deut. 32. Eodem pertinent quæ habentur Matth.5. Eph.4.

¶ 2. Ra-

¶ 2. Rationes, quibus hoc suadet. ¶ A. Exemplum vel simile adducit, quo docet nihil sine labore & spe pertinaci nobis obtingere. Agricola arat & seminat, sed sub spe. 1. Cor. 9. Deinde tempestates commodas expectat cœlitus, nec ipse has in sua habet potestate. Quod si ergo hæc facit agricola in temporarijs, quid opus est in æternis tumultuari? Potest idem ad ægrotantes vel alijs modis laborantes extendi, &c.

Rationes. Spes alit agricolam.

¶ B. Aduentus Domini appropinquat. Potest de quouis iudicio Dei, vel de postremo Christi aduentu exponi. Inter alia enim huius signa & hoc commemoratur à Domino. Matt. 24. Luc. 21. &c. Huc pertinent quæ Paulus Heb. 10. adducit ex Hab. 2.

Domini aduentus.

Interim hic obiter cerni potest nostra securitas, qui aduentum hunc minimè curamus. 1. Thess. 5. 2. Pet. 3. Matth. 25. Mar. 13.

II. Æmulationi medetur, qua egeni ferè laborant contra diuites. Psal. 37. 73. Ne ingemiscatis contra vos inuicem, &c. Gemitum verò nominat, quia æmulatio hæc doloris maximi causa est, quia animum totum excruciat. Exemplum est in Cain Gen. 4. In fratribus Iosephi Gen. 37. Perinde ergo loquitur Iacobus ac si innuat stultum esse hoc facere quod tibi doleat, alteri verò nihil obsit.

Aemulationem vocat gemitum.

Rationes aliæ. *Iudex.* Sed alias quoque rationes NOTA. ¶ 1. Iudex est ante ianuam. Deus non dormitat, sed videt omnia & audit, Psalm. 12. 34. & 56. Vindicat iniurias. Exo. 22. 34. Sic Caino quoque dicitur Gen. 4. &c.

Prophetarum exemplum & Iobi. ¶ 2. Exempla citat. Primò, prophetas. Amplificat comparatione. Hi missi diuinitus ea loquebantur in nomine Domini, quæ ad omnium salutem pertinebant. Quid verò retulerunt nisi contemptum & iniurias? Vide 3. Regum 18. 19. 22. 2. Paralipom. 36. Matth. 5. 23. &c. Deinde Iobem adducit. Vide Iob. 1. & 2.

¶ Applicent hæc sibi quicunque affliguntur, & consolentur se ijs, quæ sunt Iob. 19. Non primus es, cui hæc eueniunt.

Beati sunt afflicti. ¶ 3. A pronuntiatis: Scitis Christum beatos pronuntiasse eos, qui persequutionem sustinent, Matth. 5. Ioan. 15. & 16. Ea enim carnis natura est, vt ipsam corrigi & coerceri oporteat. Hebr. 12. Prouerb. 3. Huc pertinent quæ sunt Psalm. 34. 94. Roman. 5. 8. 2. Timoth. 3. 4. Deinde Deus ipse misesericors est, nec vltra vires tentari patitur. 1. Cor. 10. 2. Cor. 1. Psal. 94. &c. Oremus.

HOML.

HOMILIA XXIII.

12 *Ante omnia autem, fratres mei, ne iurate neq; per cœlũ, neq; per terrã, neq; aliud vllũ iusiurandũ: sit aũt vestrum est, est, & non, non: ne in condemnationem incidatis.*

DIacobus Apostolus hucusq; magna diligentia cõmunibus vitijs, quibus fidei Christianę puritas corrumpitur, occurrit. Scop⁹ & summa omniũ fuit, vt qui Christiani haberi volunt, charitatis & sanctimoniæ officia cũ fidei professione cõiungant. ne sub fidei prætextu carnis licentiã quęrere videantur. Huc faciũt quæ habẽtur Matt. 5.6.15.22.25. Ioan. 3.15. Ro. 6.12.13. Col. 3. &c.

HIS sub finem epistolę specialia aliquot præcepta de rebus peculiaribus ad omnes ordines ex æquo pertinentia subiungit.

Primum de iuramentis est, quod propter calumniatores quosdam diligenter tractari conuenit, hoc ordine.

I. Iacobus nõ de iureiurando, quod magistratui debemus, loquitur. Cõtendunt hoc Anabaptistæ, vt & in verbis Christi, Matt. 5. Imponit his: ¶ A. Iurandi vox, quæ Germanis ambigua est, & tam de iureiurãdo quàm deiurationibus vsurpatur. *Iacobũ nõ loqui de iuramẽto magistratui debito.*

¶B. Quod non obseruant scopum legis & totius suripturæ. Est hic, vt nec Deum offendamus nec proximum. At iureiurando rirè vsurpato neuter offenditur: Ergo &c. Maiorem probat decalogus Exod.20. Item Christus Matt.22. Minorem proba ex Deu. 6.& 10.Ios.23.Ier.5.Soph.1.Psal.15. 63. Heb. 6.Accedunt exempla sanctorum.Gene. 24. 21.25.31. &c.Imò ipsius Dei Hebr.6.Gen.22. Psalmo 110.&c.

Iusiurandum non est illicitũ Christianis.

Quare NOTA.¶. Falli turpiter eos, qui hæc de iureiurando sic interpretantur, quasi hoc sit illicitum. Christus enim legem implet, non soluit. Matth.5.&c.

II. Quid ergo prohibet hic Iacob. & Christus Matth. 5. Recurrendum ad alteram illam iurandi speciem, quæ in priuatis colloquijs temerè adhibetur.

Peccatum Iudæorum quod hic reprehenditur.

Peccabant enim hic Iudæi bifariam.¶.A. Si nomen Dei non sumi debet in vanum, licet vtique per illud iurare, quando vera dicimus. Sic autem crescebat diuini nominis contemptus, contra legem Exo.20. Leu.19.

¶B. Ne offendatur Deus iurabimus per creaturas: immemores & hoc in ipsius Creatoris contemptum cedere.

HANC ergo leuitatem prohibent Christus & Apostoli, quæ in lege etiam sub pœ-

na ca-

na capitali erat prohibita. Leu.24. Et Christianos veritati sic studere volunt, vt deierationibus illis minimè sit opus.

Interim NOTA. ¶1. Quid de nostri seculi moribus sentiendum. Frequentissimus est diuini nominis abusus, qui animum religione vacuũ arguit. Alij consuetudine peccant, quæ magna leuitas. Alij destinato animo, quæ est impietas. Alij se eò præstantiores putant. Vide Psal. 52. Alij se deuouent, cùm pro ipsis redimendis Christus sit mortuus. *Nostri seculi mores circa abusum nominis Dei.*

¶2. Non mirum ergo, si tot malis vexamur, qui Deum & omnes creaturas subinde prouocamus in nostri vindictam. Expende verba præcepti Exod.20. *Pœna.*

III. Vt eadem in iureiurando locum habeant. Licet enim Christianus veritati studeat, vt non opus sit ipsi iurare propter se, iurandum tamen propter alium, qui alioqui non credit. Sic Deus propter nos iurat, &c.

Sed NOTA. ¶1. Formulam iurisiurandi. Non alia sit quã per nomen Dei. Sol⁹ enim est καρδιογνώστης, potest & vult seruare. Psal.7. Ier.11.&c. Hinc illa Deu.6.10. Ier.5. Soph.1. *Iurisiurandi formula.*

¶2. In qua re iurandum? In sancta & diuina. Quia leuiculis non adhibendum no- *In qua re iurandũ.*

men Dei sanctum. Exod. 20. Peccant qui etiam ludicris adhibent. &c.

Quibus cōmittendū iuramentum.

¶ 3. Quibus committendum? Non nisi ijs, quos pios & religiosos nouisti. Alioqui sanctum canibus prosternitur. Matth. 6. HIS omnibus accedat fides.

¶ SED ô quàm leues sumus hodie. Iudicabunt nos, Regulus, Saguntini. Quę iuramus in sanctas leges, nō seruantur. Iuremus quęso in veritate, iudicio & iustitia. Ier. 4. Oremus.

HOMILIA. XXIIII.

13 *Affligitur aliquis inter vos? oret. Aequo animo est aliquis? psallat.*
14 *Infirmatur quis inter vos? accersat presbyteros ecclesiæ, & orent pro eo, vngentes eū oleo in nomine Domini.*
15 *Et oratio fidei seruabit laborantē, erigetq́ eum Dominus, quòd si peccata commiserit, remittentur ei.*
16 *Confitemini alij alijs offensas, & orate alij pro alijs, vt sanemini.*

QVandoquidem homini, dum in hoc mundo agit, multa occurrunt, quibus à via salutis ad peccandum abstrahitur: nō sufficit illum generali aliqua institutione de

ne de salutis via edoceri, sed specialib' quoque preceptis opus est, que quid in singulis rebus agendũ sit, monstrent. Obseruat hoc diligenter Spiritus S. in scripturis, id quod tum alibi, tum in Iacobi præsenti loco cernitur. Postquam enim & hic cõmunes nostræ fidei & cõuersationis Christianæ res tractauit, circa finem ad speciales præceptiones descendit. Præsens locus hæc habet.

I. Quid in omni fortunæ fieri debeat, bimembri sententia docet, cuius partes NOTA. ¶ 1. Affligitur quis inter vos? oret. Referri debet ad omnis generis aduersa, quæ varia sunt. Ps. 90. In omnibus orare conuenit. Ps. 50. Huc faciunt promissiones. Ps. 12. 34. 57. 27 Matth. 6. 7. 18. Luc. 18. Ioan. 16. Exempla item, vt Exo. 3. 14. 17. 32. 1. Sam. 1. & 2. & ci Matth. 15. Sed de his post. *In afflictione quid faciendum.*

Excluditur hic: ¶ A. Impatientia, quæ æmulationem parit. Psal. 37. 73. Blasphemias item & conuitia. *Vitanda quæ?*

¶ B. Vsus mediorum illicitorum, quo multum peccatur. Licitis vtamur cum fide & piis precibus.

¶ 2. Benè quis habet? psallat. Intelligitur omnis rerum nostrarum incolumitas. Solet ferè hac ferocire caro, & obliuisci Dei. Prouerb. 30. Hinc arrogantia, quæ sibi *Res secundæ quomodo ferendæ.*

tribuit homo quod bene habet, vt Nabuch. Dan.4. Exempla alia quoq; sunt, Gen.13.18, 19. Ezech.16. Esa.5. Amoz 6. Luc.16. Vult ergo, vt potius Deo gratiæ agantur, & diuinitus concessis ritè vtamur ad Dei honorem & proximi commodum.

Hodie vtrinq; peccatur mirum in modū. Probè ergo tenenda hæc sententia.

Aegrotantes quomodo tractandi.

II. Ægrotantes instituit. Vt enim morbis omnes subiacēt, ita maximè in his peccatur.

Seniores.

Quare singula ordine NOTA. ¶1. Accersat seniores. Sunt hi in ecclesia, qui pietate & peritia rerum fidei cæteris præstant, de quibus 1.Tim.5. Tit.1, &c. Quia verò hos vocari vult, primam animæ curam in morbis habendam esse monet: quia hæ peccatorum pœnæ sunt. Deut,28. Sic Dauid, Psalm.6.38, 39.41. &c. Peccant qui magos & incantatores consulunt.

¶2. Quid facient Seniores? ¶ A. Orent pro eo. Requirit hoc charitas. Psal.41. Matt. 25. Addit promissionem, quòd preces efficaces futuræ sint tam ad causam morbi, peccata scilicet, repellendam, quàm ad morbū. Matth.18.1. Ioan.5.

Olei vsus.

¶ B. Vngant oleo. Huius vsus apud orientales in medicina & corporū curatione multus fuit, vt patet ex Mat.6. Luc.7. Ioā.11. &c. Hinc

Hinc discipuli adhibuerunt morbis sanandis Mar. 6. Commendat ergo medicinæ vsum, sed cui præcedat religio, ne peccemus vt Asa 2. Par. 16.

¶. B. Confitemini inuicem τὰ παραπτώματα. Ea sunt quibus in se inuicem peccant homines. Vult vt in periculo mortis constituti maximè deponamus iniuriarum memoriam, & nobis inuicem condonemus, vt docetur Matth. 6. & 18.

Arguuntur: ¶. I. Qui extremam vnctionem hinc stabiliri putant. Iacobus enim de ijs qui sanari debeant, loquitur: Illi hanc non nisi iamiam morituris exhibent. *Contra vnctionem extremam et confeßionē auricularē.*

II. Confessionis auricularis patroni. Confitemini inuicem, inquit. Ergo & sacrificulus confitebitur laico. Sed hoc illi non concedent. Non igitur ipsis seruit locus hic. Nos in omni fortuna diuinę gloriæ consulamus. Oremus.

HOMILIA. XXV.

16 *Multum enim valet deprecatio iusti efficax.*

17 *Elias homo erat ijsdem quibus nos obnoxius, & precibus precatus est ne plueret: & non pluit super terram*

annos tres, & sex menses.

18 *Et rursum precatus est, & cœlum de dit pluuiam, & terra protulit fructũ suum.*

19 *Fratres mei, si quis inter vos aberra- rit à veritate, & cõuerterit eum quis piam,*

20 *Sciat eum qui auerterit peccatorem ab errore viæ suæ, seruaturum ani- mam à morte, & obtecturum multitu dinem peccatorum.*

QVemadmodum Deus omnis boni summus & vnicus author est, Gen. 17. ita solus à nobis in omni necessitate in- uocari vult, & aliò confugientes odit. Psal. 50. Es. 55. Ier. &c. Ideo Iacobus in hesternis, primo in omni calamitate preces com- mendat, deinde easdem ab ægrotantibus magno studio requirit. Porro precaturis multa obstant, cumprimis autem, quod vel rem desideratam impetratu impossibilem, vel se indignos putant, qui exaudiantur. Quare in præsenti de Oratione & eius effi- cacia Iacobus disserit.

Precatio- nis effica- cia.

I. Generali promissione animos con- firmat: Multum valet precatio iusti efficax. Opponitur hoc ijs, qui impossibile putant vt im-

vt impetrent quæ volunt: quaſi diceret. Vt Deo nihil eſt impoſsibile, Mar. 10. Ita nec fideli precationi, quæ Deo vnicè nititur. Promiſsiones ſimiles ſunt, Pſalm. 34. 68. Eſa 65. Matthæi 6. 7. 18. Luc. 18. Ioan. 14. 16. Iac. 1. &c.

Interim ſingulas huius promiſsionis voces NOTA. ¶. 1. Precatio iuſti. Deo enim impuri non appropinquant. Eſa. 33. Pſalm 5. 15. &c. Hinc illa Pſal. 50. Eſa. 1. & 58. Ier. 7. Prou. 21. 28. Ioan. 9. Puræ ergo manus leuari debent ad Dominum. 1. Tim. 2. *Iuſti.*

Porro cum omnes ſimus natura peccatores, quomodo exaudiemur? Ibi ad Chriſtū confugere oportet, qui mundos & iuſtos facit. Ioā. 13. 1. Ioan. 1. 2. Cor. 5. 1. Cor. 1. 5. Rom. 8. Ideo in Chriſti nomine iubemur orare Ioan. 16. &c.

¶. 2. Precatio ἐνεργουμένη gwirbig / operans, feruens. Aſsiduitas & pertinax ſtudium precandi requiritur. Non enim illico exaudit Deus, ſed ſæpe differt propter nos. Vide Matth. 7. Luc. 18. Exemplum Matthæi 15. *Efficax.*

HINC patet cur ſæpe non exaudiamur in precibus, &c.

II. Exemplo confirmat eos, qui ſe indignos putant qui exaudiantur. Elias ὁμοιοπαθὴς

ἡμῶν auditus eſt: ergo & nos, &c. Vide 3. Reg. 17. 18. Poſſunt & alia exempla adduci, vt Iſraelis. Exod. 3. Iud. 3. 7. 10. &c. Moſis Exo, 14. 17. Annæ 1. Sam. 1. & 2. Samuel. 1. Sam. 12. Dauid. Pſalm. 12. 27. 56. 34. &c. In nouo teſtamento: Matth. 15. 14. Actor. 12. &c.

Elias ὁμοιοπαθής. NOTA. ¶. 1. Quid de Elia dicat. Fuit ὁμοιοπαθὴς, id eſt, iiſdem affectibus obnoxius, quibus & nos. Patet id ex 3. Reg. 19. Ex gratia Dei ergo habuit omnia. Tales ſe agnoſcunt omnes ſancti. Acto. 10. 14. &c.

¶. Arguuntur ergo qui aliud ſibi perſuaſi illis tribuunt quod ſolius Dei eſt.

¶. 2. Finis exempli huius, vt Iacobus doceat Deum inuocare vt Elias fecit, non ipſum Eliam. Sic Dauid ratiocinatur Pſal. 34. Paralogizant ergo papiſtæ, qui ſanctos ideo inuocant, quia hi olim exauditi ſint, &c.

Errantes reuocandi in viam. III. Tranſit à morbis corporum ad animas: vbi NOTA. ¶. 1. Quid requiratur? Vt conuertamus eos, qui à veritate deuiant. Fit hoc multiuariam in religione & tota vita. Sed vbique aliorum quoque ſalus curari debet. Vide Exod. 23. Deut. 22. Pertinet huc etiam, quod Chriſtus docet Matthæi 18.

¶. 2. Pollicetur ſucceſſum & premium.

Lucri-

Lucrifacies animam, quod non poteſt non gratum eſſe Domino. Vide enim eius ingenium. Eze.18.1.Tim.2.Ioan.3.Rom.8.Dein deoperies multitudinem peccatorū. Hoc enim teſtabitur te fidem & zelum Dei habere.

Interim obſerua. ¶. A. Noſtrum eſſe vt nos in viam reduci patiamur. Alioqui propriæ ſaluti nos opponimus.

¶. B. Quam atrociter peccent, qui alios offendunt, & à veritate abſtrahunt. Matth.18. Scandala.


Didicimus ex epiſtola hac, quæ ſit vera & viua fides, quæ huic propria. Hanc vt in nobis regnet, Oremus.

IN D. PETRI APOSTOLI EPISTOLAM PRIOREM D. Rodolphi Gualtheri Pastoris Ecclesiæ Tigurinæ Homiliarum sylvæ vel archetypi.

CAPVT. I.

HOMILIA. I.

1 *Petrus Apostolus Iesu Christi.*



QVAMVIS omnis scriptura sacra propter nos data sit & nostræ institutioni atque consolationi seruiat (Rom.15.2.Tim.3.) constat tamen pro temporum & locorum circumstantijs, alias interdum alijs accommodatiores & lectu magis necessarias esse. Iudicio igitur opus est, cum singulis fidelibus, tum ministris maximè. Matth.24.1.Cor.3. Porro vt pateat, quam nostro seculo vtilis & necessaria sit hæc epistola, initio nos & tempus quo scripta est, & statum principalem considerare oportet.

Statum ipse Petrus circa finem Cap.5. indicauit his verbis: Hæc paucis scripsi, adhortans

tans ac testificans hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis. Hortatoria ergo est, vt fideles in agnita veritate & fide Christiana cōstanter ac fideliter perseuerent. Vnde patet persecutionem fuisse grauem, qua Christiani tentabantur, cum Petrus hæc è Roma scriberet. At satis constat ex Galat. 2. Petrum annis 14. à conuersione Pauli Hierosolymis adhuc fuisse, & proinde sub Nerone demum venisse Romam. De Neroniana igitur persecutione tēpus hoc debet intelligi, cuius causas scripsit Cor. Tacitus li. 15. Christianis crimen incensæ vrbis Nero imputauit, vt se suspitione liberaret, &c.

Status huius epistolæ, & quo tempore scripta sit.

Sed in his NOTA. ¶. 1. Sortem communem Christianorum. Persequitur hos semper mundus, quia lucem non fert. Ioan. 3. Quia tamen iustus haberi vult, falsis criminibus grauat, & plerunq; publicorū malorum authores facit. Hinc illa quæ prædixit Christus. Matth. 5. 10. 24. Ioan. 15. 16. Exempla sunt omnibus seculis. Sic Mosi accidit, Exod. 5. Sic Eliæ 3. Regum 18. Ieremiæ, Iere. 44. &c. Christo, Ioan. 11. Apostolis Actor. 16. 17. 19. 24. &c. Vide Cyprianum contra Demetrianum. NON ergo offendamur, si eadem hodie fieri videamus.

Sors Christianorum. Persequutionem patiuntur.

¶. 2. Quod Deus in tam grauē afflictio-

Deus suis afflictis nō deest.

nem tantum consolatorem excitat, idq; in vrbe Roma. Discimus: ¶. A. Deum non deesse suis, etiam cum maximè illorum oblitus videtur. Psal. 56. Mittit consolationes quibus animentur. Psalm. 94. 1. Corinth. 10. 2. Cor. 1.

¶. B. Vanas esse principum deliberationes contra Christum. Psalm. 2. 33. 94. In Asia Christianos persequitur Nero, & in vrbe Roma tuto agit qui hos confortat Simile quid colligitur ex Phil. 4. Idem Pharaoni contigit, qui Mosem æducat. Exod. 1. 2. &c. Sic Achab Abdiam habet in aula. 3. Reg. 18. Benhadad Naamum 4. Reg. 5.

Sed inscriptionem videamus, & primam quidem huius partem.

Author indicatur, quod magnum liberæ professionis fidei argumentum est. Non pudet illum Christi, nec metuit in ipsa quasi laniena. Titulus vero est: Petrus Apostolus Iesu Christi.

D. Petri modestia, primatum sibi non arrogat.

NOTA. ¶. 1. Modestiam apostoli. Multa habuit quibus gloriari potuisset. Inter primos Christi discipulos. Matth. 4. Ioan. 1. Edidit confessiones claras, Ioan. 6. Matth. 16. Familiarissime cum illo egit Christus resuscitatus. Mar. 16. Iohan. 21. In apostolatu qualis fuerit, vide Actor. 1. 2. 3. 4. 5. 8 10. 15. 12. &c.

tz. &c. Nihil tamen ſibi primatus arrogat. Arguit hoc epiſcoporum & pontificum no ſtri ſeculi arrogantiam,&c.

¶. 1. Apoſtolum tamen ſe nominat. Ita Paulus, qui etiam ~~pertinaciter~~ depugnat pro ſui apoſtolatus gloria, vt legimus. 1. Cor 9.2.Cor.10.11. 12.Gal. 1.2.&c. Faciunt hoc non ſuperbia,ſed vt fidem inueniant. *Apoſtolum ſe nominat*

Docemur: ¶. Credere illorum doctrinę. Sunt enim teſtes Chriſti. Actor.1.&c. 1.Ioã. 1.Hinc ſalus promittitur in Chriſtum per illorum ſermonem credentibus. Iohan. 17. Mar.16. Chriſtum enim recipit, qui hos recipit,Ioan.13.Matth.10. Solos ergo audiamus.Gal.1.Oremus. *Doctrinæ illorum credendum.*

HOMILIA. II.

1 *Aduenis diſperſis per Pontum, Galatiam,Capadociam,Aſiam, & Bithyniam:*

2 *Delectis ex prænotitione Dei Patris ad ſanctificationem ſpiritus, per obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti: gratia vobis & pax multiplicetur.*

QVemadmodum Dominus noſter Ieſus Chriſtus de cruce ſuorum mul-

toties vaticinatur: Ita eosdem & consolationibus & præceptis diligenter instruit. Matth.5.10.16.24.Luc.21.Ioan.15.16. Opus est autem hac diligentia propter carnis nostræ ingenium. Vt enim hæc priuati commodi & terrenæ fœlicitatis natura appetens est: sic cruce & aduersis facilè offendi solet. Matth.13. HINC est, quod apostoli iuxta Christi exemplũ suos in eadem re tãto studio informant. Vide Actor.14.20.Rom.8.2.Tim.3.4.2.Cor.1.Iac.1.&c. In primis autem huius officij memor est Petrus, qui in grauissima persecutione Christianorum cõmunem hanc ecclesijs consolationem transmittere voluit. Sequitur.

I. Altera inscriptionis pars, docens quibus epistola scripta sit. Aduenis, id est, ijs qui ex gentilismo in rempubli. populi Dei transierant. Nunc vero sparsim hinc inde habitabant, nimirum propter persecutionem. Sic Iac.1. Mox vero definitionem Christianorum elegantem interserit, quæ in præsenti causa ipsos officij admonere poterat.

Boni pastoris officiũ. NOTA. ¶. 1. Quod Christianis hinc inde dispersis scribit. Vides: ¶. A. Officium boni pastoris: Non negligere oues dispersas. Si non potest colligere, saltem consoletur. Vide Zach. 11. Ezech. 34. Luc. 15. Ioan. 10.

Actor.

Actor. 20. Vides quid de ijs sentiendum, qui greges adhuc coniunctos primi desetunt. Ioan. 10.

¶. B. Non desperandum esse ijs, qui eijciuntur suis sedibus propter euangelium. Colligit illos in suum regnum Christus. Ioan. 12. 14. 17. Et dum hic agunt, consolationes dat, quibus animi illorum colligantur. Psal. 94. 2. Cor. 1.

Exulibus Christianis non desperandum.

¶. 2. Definitionem Christianorũ. Comprehendit hęc ordinem salutis nostræ & omnia illius mysteria.

Definitio Christianorum.

¶. A. Electi dicuntur, & quidem iuxta πρόγνωσιν. Versatur hæc circa misericordiam & iustitiam Dei. Et est plane gratuita. Eph. 1. Roman. 8. Tollitur omne meritum. 1. Corinth. 4. Et simul patet Christianos non esse qui electionem hanc gratuitam non agnoscunt.

Electio.

¶. B. Medium ponitur per quod Dei cõsortes facti sumus: Sanctificatio spiritus. Deus enim qui sanctus est, non nisi sanctis comunicat. Leuit. 19. 20. Esa. 33. Psal. 15. Sanctificatio autem hæc non nisi ex spiritu est. Ioan. 3. Tolluntur ergo omnes sanctificationes legales. Exod. 24. Heb. 9. 10. Hinc est, quod Christiani sancti dicuntur, & Ecclesia sanctorum communio, &c.

Medium.

Finis. ¶. C. Finis: Obedientia & aspersio sanguinis Christi. Sanguis Christi per euágelij prędicationem nobis aspergitur. Huic nos credere & obedire couenit. Mar. 1.16. Io. 17. &c. Christiani ergo sunt electi à Deo & per spiritum sanctificati, vt Christi sanguine se liberatos credant & eiusdem doctrinæ obediant. Facit hæc definitio multum ad institutionem & consolationem.

Trinitatis mysterium ¶. 3. Trinitatis mysterium. Deus enim solus est qui saluat. Esa. 42. 43. 44. &c. At hic salutis effectus & patri & filio & spiritui sancto tribuitur, &c.

II. Salutatio apostolica: Gratia & pax vobis multiplicetur. Imitati videntur morem Christi, Ioan. 20. Vel quia afflictis scribit, respicit ad dictum Christi, Ioan. 16. In me pacem, &c.

Christianis quid maximè sit in votis. NOTA. ¶. 1. Quid maximè optandum sit Christianis. Gratia, id est, fauor Dei. Ex hoc vera pax conscientiarum oritur. Vtrunque ex solo Christo est, & in ipso quæri debet. Matth. 3.17. Eph. 2.1. Ioan. 2.

Studium verbi Dei. ¶. 2 Multiplicetur. Quia nunquam hic perfecti sumus. Semper vltra tendendum est. Phil. 3. 2. Tim. 2. Commendatur assiduum verbi studium.

Vnde patet conditionem quę in Christo offer-

offertur. nequaquam socordiam & carnis licentiam parere. Oremus.

HOMILIA. III.

3 *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.*
4 *In hæreditatem quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in cœlis seruatam.*
5 *Qui virtute Dei custodimur per fidem, ad salutem, quæ parata est patefieri, tempore vltimo.*

DIuus Petrus apostolus hac sua epistola Christi fidelibus qui graui persecutione premebantur, communem consolationem & authoritatem proponere instituit. Commode igitur in ipsa inscriptione verè Christianos definit, dicens: Electos Dei esse iuxta præfinitionem, quos spiritu suo sanctificarit, vt Christi sanguine redempti ipsi obediant. Admonet enim hæc definitio fideles sui officij, & simul magná consolationem affert.

Exordium. Sequitur nunc Exordiũ, quod δοξολογίαν, id est, gratiæ & beneficiorum Dei gratam celebrationem habet, quæ ipsa præsenti instituto multum seruit.

Eius scopus ¶. I. Inuitat sic ad spiritualẽ lætitiã, quæ omnes crucis molestias & impatientiam absorbeat. Sic Paulus Phil. 3. 4. 1. Thes. 5.

¶. II. Commemoratione beneficij diuini ad constantiam inuitat: Quasi diceret. Deus singulari gratia nos ad mortem natos regenerauit per Christum ad vitam æternam. Et aliquis erit, qui ob breues afflictiones huius seculi à tanta conditione velit excidere? Simile quid habetur Mar. 8. 10. Roman. 8. Heb. 10. 12.

Sed vt magis hinc instituamur, singula ordine considerabimus.

I. Petrus persecutionẽ ferentibus scribẽs δοξολογία & gratulatione vtitur. Videtur hoc absurdũ carni, iuxta id quod iubemur Rõ. 12. Sed Spiritus sanctus nil temere agit.

Afflictis quid faciendum. Quare NOTA. ¶. Quid afflictos omnes facere deceat. Non modo præsentia mala obseruent, sed potius antea accepta bona considerent. Sic videbunt nondum querelis locum esse, sed se adhuc gratiarum actionem debere Domino. Transferendum hoc ad omnis generis afflictiones, iuxta illud.

Matth.

Matth.5.Ioan.16. Nos ordinem hunc inuertimus.

II. Deum patrem Christi prædicat. Sic Paulus Eph. 1. 3. Vt enim olim Deus Abrahæ dicebatur ad differentiā deorū gentilium: Ita nunc Deus pater Christi dicitur, vt solum hunc Deum agnoscamus, qui Christum dedit redemptorem, per quem solum nobis ad ipsum patet aditus. Ioan.14. Matt. 11. Heb.4.5. Rom.8.

NOTA. ¶. Falli Turcas & Iudæos, qui se Deum habere putant cum Christo careant. Ioan. 5. 8. Non plus credunt quam dæmones. Iac.2. *Turcæ & Iudei non habent.* *Papistæ.*

Arguuntur item, qui alijs mediatoribus ad Deum tendunt. Vide 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2. Ioan. 14.

III. Exponitur beneficium illud per partes. NOTA. ¶. 1. Regenuit in spem viuam. Arguit corruptam naturam. Psal. 51. Gen. 6. 8. Rom. 3. 5. Fit regeneratio hæc per verbi semen & spiritum. Matth. 13. Luc. 8. Ioan. 3. *Regeneratio.* *Spes viua.*

Spes viua certitudinem salutis significat. Ioan. 5. 1. Ioan. 3. Ingens bonum, quod non modo saluat, sed salutis facit capaces.

¶. 2. Causa: Per multā misericordiā. Sic Ioan. 3. 1. Ioan. 4. Probat idem electio. Ephe. 1. Rom. 9. Cōtra meritum. 1. Cor. 4. Interim *Consolatio.*

consolationis plenum est, quod Deus multam misericordiá habet. Sic Exo. 34. Psal. 51, 102. 145. 1. Cor. 1. Quid ergo hunc adire timemus? Psal. 130.

Resurrectio Christi. ¶. 3. Medium: Per resurrectionem Christi. Comprehendit omnia Christi, sed resurrectionis meminit: quia per hác declaratus victor. 1. Cor. 15. Hos. 13. Sic Rom. 10. Rursum ergo probatur quod de Christo solo mediatore diximus. Col. 1. 2.

Hæreditas vel salus nostra qualis. ¶. 4. Finis ad quem regenuit: In hæreditatem. Salutem in cœlis significat, quam vt Christi cohæredes accipiemus. Rom. 8. Qualis hæc? ¶. A. Immortalis, & proinde certa. ¶. B. Incontaminabilis. Differt ergo ab omnibus terrenis, & officij admonet. ¶. C. Immarcescibilis. Non flores refert, vt caro. Esa. 40. ¶. D. Seruatur in cœlis, extra omnem fortunæ aleam. Ioan. 14. Huc confer Esa. 64.

Qui saluentur. ¶. 5. Quorum hæc est? Eorum qui virtute Dei custodiuntur per fidem. Fides sola hæc apprehendit. Heb. 11. Hæc ipsa vero ex Deo est. Eph. 2.

Quando. ¶. 6. Tempus quo dabitur. Patefiet supremo tempore. Anima mox percipit Ioá. 5. Sed plena erit beatitudo in resurrectione 1. Thes. 4. 1. Cor. 15. 13. Mar. 8. Hæc nos instituant & consolentur. Oremus.

Ho-

HOMILIA IIII.

6 *Qua in re exultatis, tristitia paululum nunc*(si opus est) *in varijs tentationibus affecti:*

7 *Vt exploratio fidei vestræ multò pretiosior*(exploratione) *auri, quod perit & tamen per ignem exploretur, comperiatur vobis esse laudi & gloriæ et honori, quum patefiet Iesus Christus.*

8 *Quem quum non videritis, diligitis: quem cum nunc nō cernatis, ei tamen credentes, exultatis gaudio ineffabili & glorioso.*

9 *Reportantes mercedem fidei vestræ salutem animarum.*

INter multa alia, quibus homines vt crucem Christi impatientius ferant mouentur, primas tenet quòd caduca mundi huius bona nimis admirari solent. Patet hoc in diuite, Matth. 19. Hinc verò colligitur nihil salutarius esse, quàm vt carnis iudicio cœlestium bonorum consyderationem opponamus, quæ patientiæ quasi radix est. Fecit hoc Petrus in hesterpis. Docent ea iniustos in Deum esse, qui hæc tanta bona per impatientiam amittere audent. *Patientiæ radix.*

Subiungit præſentem locum, qui hæc continet:

I. Infert ſcopum prioris expoſitionis & apertius patientiam ſuadet. Proponit verò rationes varias ab ipſis afflictionibus deſumptas, quas ordine NOTA. ¶ 1. Sumitur à temporis breuitate: quæ opponitur hæreditati æternæ. Matth. 6. Eſt autem certiſsima ratio: quia nec vita noſtra diu durat. Pſ. 90. &c. Habet & hanc Chriſtus ſub parabola parturientis mulieris, Ioan. 16.

Afflictiones non ſunt diuturnæ.

¶ 2. Conditionem notat, quæ à Deo obſeruatur. Si opus ſit. Quia enim Deus amat nos, non temerè immittit afflictiones: ſed parentes imitatur. Prouerb. 3. Heb. 12. Deinde etiam nec grauius nec diutius premi patitur, quàm nobis ſalutare eſt. 1. Cor. 10. Pſ. 94. 2. Cor. 1.

Non occidunt temerè.

¶ Interim arguuntur his, qui ipſi ſibi crucem imponunt. Hinc ferè omnis ſuperſtitio monachorum. Vide Eſa. 58. Zach. 7. Matth. 6. Baalitæ 3. Regum 18. Vocatio diuina expectetur.

Non ſponte contrahendæ.

¶ 3. Experimenta ſunt, quibus fides noſtra non modò exploretur, verumetiam reddatur purgatior. Sic alibi Roman. 5. Iacobi 1. Illuſtrat verò hoc per ſimilitudinem auri, quæ eodem ſenſu habetur, Pſalm. 65.

Explorant fidem.

65.Zach.13. Subest tamen argumentum à minori ad maius &c.

Interim admonemur: ¶ Christianorum esse,vt indies purgentur & proficiant. Nunquam enim hic perfecti sumus.Pro.24.Iac. 3.Rõ.7. Sẽper ergo vlterius tendendũ est. Phil.3.2.Tim.2.4. Cõmendat hoc studium verbi & preces. *Officium Christiani.*

¶ 4. A fine.Cedet hoc omne vobis in laudem & gloriã,quandoChristus reuelabitur. De hoc habes 1. Ioan.3. Phil.3.2. Thess.1.2. Tim.4.Mar.10.8.Lu.22.Mat.25.Sa.5.Ioã.14. &c.His rationib.cõsolemur nos.1. Thess.4. *Finis afflictionum.*

II. Quia de Christianorũ cõditione ferè secundũ externa iudicatur quæ misera & calamitosa sunt: breui digresſione in fidei descriptionẽ excurrit: *Christũ cùm nõ videritis, diligitis,etc.* Quasi dicat:Scitis,fidẽ non visibilibus niti, sed ijs quæ sperantur.Hebr.11. Nõ igitur de fidelium conditione secundũ externa hæc iudicare conuenit,

Interim NOTA. ¶.1.Ingeniũ fidei.Credit ea quæ nõ videt, sed Dei verbo proponuntur.Hoc est contra spem sperare, vt de Abrahamo dicitur.Rom.4. Tolluntur hic humanæ ratiocinationes. *Fidei ingenium.*

¶ Accedit autem dilectio Christi, per quam fides est efficax. Gal:5. Vide 1.Ioan.5.

Ioan.14.15.21.Extenditur autem hæc ad proximum quoque.1.Ioan.4.3.Ioan.15.Luc.10. Ad hæc examinemus nos.

Fidei fructus. ¶ 2. Fructus fidei.¶ A.Gaudium ineffabile & glorificatum. Esa. 64. Non polluta sunt gaudia regni cœlorum, vt hæc mundana, quæ ferè ignominiam habent. Deinde nec persequutionibus possunt excuti, vt in Apostolis patet Act.5.Rom.5.

Salus. ¶ B.Salus animarũ.Ioã.5.Luc.21.Matt.24. Animę verò potissimũ meminit,quia illa immortalis est, & hic etiam salutem percipit. Ioan. 5. Interim & corporum salus promittitur.1.Corinth.15.Ioan.5. Philip. 3. Pro his Oremus.

HOMILIA V.

10 *De qua salute inquisierunt, & quam scrutati sunt prophetæ, qui venturam in vos gratiam prædixerunt.*

11 *Scrutantes in quem, aut cuiusmodi temporis articulum prænuntius ille qui in ipsis erat spiritus Christi, declararet* (euenturas) *Christo perpessiones, & gloriam illas consequuturam.*

QVandoquidem caro quietis & voluptatum appetens est, nulla re magis quàm

quàm cruce offenditur. Matth. 13. Luc. 22. Imò de religione ferè iuxta temporarios huius seculi successus iudicat. Quamobrem Petrus ad constantiam fidei & patientiam hortaturus, subinde in hoc versatur, vt fideles non in huius seculi statu hæreant, sed vlterius in cœlestium bonorum consyderationem animum extendant. Et huc quoq; fecit, quòd ineffabilis gaudij & salutis animarum nuper meminit. Porro, quia ferè putamus vel solos nos infœlices esse, vel temerè hæc immitti, & proinde de ipsa salute dubitare incipimus, in præsenti, quæ dixit antea, Prophetarum testimonijs probat. Obseruemus hæc:

I. Quod de fide Christiana agens, veteris Testamenti scriptores allegare voluit: & ijsdem tribuit spiritum Christi.

NOTA. ¶ 1. Vnum & eundem esse vtriusque testamenti spiritum. Ideo etiam eadem vtrobiq; doctrina & fides. Probatur hoc: ¶ A. Promissionibus primis & fœdere. Gen. 3. 22. 15. Hinc illud Christi: Ioan. 8. Item vide Iacobum, Gen. 49. *Vnus & idem est spiritus vtriusque testamenti.*

¶ B. Lege, in qua disertè ad Christum relegamur, Deut. 18. Typi Exo. 12. 1. Cor. 5. Num. 21. Ioan. 3. Exo. 14. 16. 17. & c. 1. Cor. 10. Vide item Heb. 8. 9. & 10.

¶ C. Prophetarum oraculis, qui omnes huc respexerunt, vt postea clarè videbimus.

Vetus testamentum legendum esse. ¶ 2. Legi & inquiri debere scripturas veteres. Quia sine his fidei nostræ mysteria nunquam asseremus contra hostes Christi. Ideo Christus ijsdem vsus est Matthæi 22. Ioan.5.Luc.24.Apostoli,Acto.2.4.3.17.&c. Rom.1.3. Vehementer ergo ingrati sunt & in Deum peccant, qui eos contemnunt hodie. Vide Rom.15.2.Tim.3.

Prophetæ. II. Quid de prophetis dicatur. ¶ A. Scrutati sunt & exquisierunt. Notatur studium erga fidem Christi. Hinc Daniel vir desyderiorum.Dan 9.

¶ B. Fecerunt id non suo sensu,sed spiritu sancto duce. Ille de rebus hisce omnibus testatus est.

Maior gratia noui testamenti. NOTA. ¶ 1. Quantò maioris gratiæ nos simus participes. Offeruntur nobis sponte, quæ illi scrutando vix inuenerunt. Vide Matth.13.Luc.2.Idem fateberis, si nos cum multis nostri seculi conferas. Vtinam magis gratos nos præberemus Deo. Amoz 8.Matth.21.

Spiritus S. sit dux noster. ¶ 2. Spiritum ducem sequamur in scrutandis Christi mysterijs. Animalis homo nō percipit.1.Corinth.2.1. Magna nostræ fidei

laus

laus, & arguuntur qui de hac humanis rationibus statuunt, &c.

III. Quid scrutati sunt. ¶ A. Temporis articulum. De hoc enim certiores fieri cupiebant propter ardens illud desyderium. Nec hunc cælauit Deus. Vide Gen. 49. Dan. 2. 9. Zach. 6. Hag. 2. &c. Hinc est quòd Christi temporibus sapientiores quiq; Christũ saluatorem expectabant, Luc. 2.

¶ B. Afflictiones Christi. Debuerunt hæ prædici, ne offenderemur. Vide Psal. 22. 41. Esa. 53. Zach. 3. 13. Dan. 9. Typi item, &c.

¶ C. Glorias Christi & eius regnũ, de quibus Ps. 2. 45. 72. 89. 110. 15. Za. 3. 9. Dã. 7. 2. &c.

NOTA. ¶ 1. Certitudinem & vetustatem Christianæ fidei. Quæ de hac dicuntur, in nullam aliam competere possunt. Arguuntur, qui hanc nouitatis accusant. *Fidei Christianæ certitudo & vetustas.*

¶ 1. Statum regni Christi & Ecclesiæ. Afflictiones præcedunt gloriam. Sic in ipso Christo factum. Psalm. 110. Philip. 2. Manet idem membra. Ioannis 15. 16. 14. 2. Timoth. 4. Actorum 14. Non autem miseræ sunt afflictiones eiusmodi, cum propter Christum veniant, & gloriam habeant coniunctam. Matthæi 5. Et hic scopus Petri est, ad quem hæc referri vult. Nos pro hac fide per crucem retinenda Oremus. *Regni Christi status.*

HOMILIA VI.

12 *Quibus patefactum est, eos non sibi sed nobis ea administrare quæ nunc annuntiata sunt vobis per eos qui vobis prædicarunt Euangelium per emissum è cœlo spiritum sanctum, in quæ desiderant angeli introspicere.*

QVemadmodum Deus pater omnes salutis nostræ thesauros in solo filio suo Iesu Christo cōclusos proposuit (Ioan. 1. Col. 1. Acto. 4. Ephes. 1. 2. &c.) Ita eundem hunc ab ipsa mundi origine omnibus seculis promitti & reuelari voluit. Vide Gen. 3. 22. 49. Deut. 18. 1. Cor. 10. Item Psal. 2. 12. 45. 89. 110. Esa. 9. 11. 42. 43. 44. 53. Mich. 4. 5. Ier. 23. &c. Faciunt hæc ad certitudinem fidei Christianæ, & vt Christum vnicum & vniuersalem mundi redemptorem intelligamus. 1. Ioan. 2. Quamobrem ipse Dominus crebrò hisce testimonijs vtitur, vt Matt. 22. Ioan. 5. Luc. 24. &c. Et Apostoli iuxta huius exemplum idem faciunt, & commodissimè quidem in præsenti loco, quo contra eos, qui cruce offendi poterant, docet qualem Christum veteres agnouerint, &c.

Porrò, quia sunt qui vetus Testamentum

nihil

nihil ad nos pertinere dicunt,hos nũc duobus argumentis refellit. *Vetus Testamentũ ad nos pertinere probatur.*

I. Reuelatum fuit prophetis, quòd hæc deberent conſcribere,& ita nobis miniſtrare.Poterat enim ſufficere ipſis, hæc ſcire & credere.Sed vt nos ſciremus, hæc ipſos credidiſſe,& firmius tutiuſq; Chriſto poſſemus niti,hæc ab illis ſcribi oportuit.

NOTA.¶1. Quo loco ſcripturæ haberi debeant? Vt quæ propter nos datæ ſint. Sic Paulus Ro.15.1.Tim.3.1.Cor.10. Ideo Chriſtus has illis expoſuit.Luc.24. *Quid ſentiendum de S Scriptura.*

Extendamus hoc: ¶.A. Ad fidem & religionem.Propter nos huius myſteria deſcripta ſunt. Non ergo liberũ nobis noua quædam fingere. VideDeut.4.12.Eſa.29.Matth. 15.Pſal.50.Ioan.4.&c.

¶B. Ad inſtitutionẽ vitæ, vt ad nos transferamus quæcunq; præcepta & exempla in ſcripturis proponuntur.

¶2. Quàm curæ ſimus Deo,qui amicos ſuos & fideliſsimos prophetas nobis miniſtrare voluit. Imò ipſos angelos vt habetur Heb.1.Pſal.34. *Quàm Deo curæ ſimus*

Diſcamus nos gratis animis hanc Dei bonitatem amplecti. Ob oculos verſetur Prophetarum induſtria, ne nos in exhibita gratia recipienda ignauiores ſimus, quàm

ipsi erga promissam fuerint. Vide Matth.13. Meditemur item quod dicitur à Paulo, Hebr.10.&c.

II. Hæc ipsa,& non alia, per euangelij ministros vobis annuntiata sunt. Non poteritis ergo vetus testamentum reijcere, nisi & Euangelij prædicationem reijciatis.

Euangelij commendatio.

Interim NOTA. ¶ 1. Quæ hic in euangelij commendationem dicuntur. ¶ A. Hæc ipsa habet,quæ olim prophetæ tradiderunt: imò illa iam impleta docet,quę illis fuerunt tantum promissa. Non debet ergo nouitatis insimulari. Ioan.5.8.Act.26,

¶ B. Prædicatum est in spiritu sancto. Hic promissus apostolis, Ioan.14.16.Act.1. Datus etiam visibiliter, Act.2. Non ergo humanis traditionibus conferendum.

¶ C. Angeli desyderant videre bona,quæ ibi promissa sunt. Gaudent enim de gloria Christi,vt patet Matth.4.28.&c. Et quia boni spiritus Patris Dei naturam imitantur, gaudent de hominum salute Vide Luc.2. 15.Mar.16. Ps.34. De bonis his,Psal.32.Esa. 64.Luc.22.&c.

Vt peccent qui Euangelio contradicunt.

¶ 2. Quid faciant, qui Euangelio obloquuntur & illud oppugnant, vel violant humanis traditionibus. Contradicunt spiritui sancto. Deinde communibus omnium sanctorum

ctorum & angelorum votis reluctantur. Vnde & hos hostes habebunt. Ps. 34. HÆC expendant qui in hac causa sibi nimium permittunt. Nos in salute tam certa & solida stare & proficere studeamus, & vt id fiat, Oremus.

HOMILIA VII.

13 *Quapropter succincti lumbis mentis vestræ, sobrij, integrè sperate in eam quæ ad vos defertur gratiam, in patefactione Iesu Christi.*

HActenus de excellentia cœlestis hæreditatis & mysteriorum fidei nostræ disputauit: Quorum omnium finis fuit, vt hac spe accensi à tanta fœlicitate nos non auelli patiamur. SED quia hic tardiores, hortationem nunc infert disertè, cuius partes duæ sunt.

I. Præcipit & hortatur, vt magno studio ad hanc gratiam tendamus. Vbi quid ab omnibus nobis requiratur. NOTA. ¶ 1. Succincti simus lumbos mentis. Sumptum ex verbis Christi. Luc. 12. Metaphora sumpta ex vestitu veterum. Sensus est, vt remoueantur quæcunque nos in via salutis impedire possunt. Solet hic mirè diffluere

Gratia oblata quo pacto comparanda.

Impedimenta remouenda.

mens,dum curis & ſtudijs huius mundi diſtrahitur, quæ interdum totam à Deo auocant, iuxta id quod eſt Matth.6. Hic illam frænare & coercere oportet.Luc.22. Deut. 10.Iere.4. &c. Nil hîc faciunt cincturæ monachorum.

Mens ſit ſobria.

¶ 2. Sobrij ſimus.Refertur & hoc ad mentem.Inebriatur hæc quodammodo carnali ſapientia, quæ nunquam de diuinis rectè iudicat.1.Cor.2.1.&c. Vide exemplum Rom. 1.Philoſophi hæreticorum patriarchę.Col. 2.Hanc crapulam edormire conuenit, & cogitationes quoque continere, ne vltra terminos erumpant.

¶ 3. Perfectè ſperemus in gratia, quæ ad nos defertur per reuelationemChriſti.Obſerua: ¶ A.Perfecta ſpes requiritur. Eſt hæc cùm totus animus Deo addicitur ſoli,iuxta illud Deut.6.10.Matth.6. Item cùm non vacillamus, licet omnia promiſsis Dei aduerſentur.Pſ.46.Rom.4.&c.O quàm rara hæc ſpes hodie. Imò in carne ſperamus Ier.17.

Spes perfecta.

¶ B.Gratia ad nos defertur. Sumus nos ab hac alieniſsimi propter peccata. Gen. 6. Eſa.59.64.Ro.3. Eph.2. Sponte hanc Deus offert.Vide Ezech.16.Gen.3.Ioan.3.1.Ioan. 4.Rom.8. Excluditur omnis meriti gloriatio.1.Cor.4.2.Cor.3.&c.

Gratia nobis offertur à Deo per Chriſtum.

¶ C.

¶ C. Per Christum offertur, dum hic nobis reuelatur, quod fit per Euangeliũ. Ioan. 17. Hic vnus mediator est. Matt. 11. Ioan. 14. 1. Tim. 2. Huius vocem audiamus. Ioan. 10.

HOMILIA VIII.

14 *Vt filij obedientes, qui vos non conformetis pristinis quæ in ignorantia vestra* (viguerunt) *cupiditatibus.*

15 *Sed sicut is qui vos vocauit sanctus est, ipsi quoq; sancti in omni conuersatione reddamini.*

16 *Propterea scriptum est, Sancti estote: nam ego sanctus sum.*

17 *Itaque, si patrem cognominatis eum qui citra personarum respectum iudicat ex cuiusque opere, cum timore versamini cõmorationis vestræ tempore.*

PAulus Apostolus. 2. Tim. 4. verbi ministrum sic instituit, vt nõ modò doceat, verumetiam moneat, hortetur, increpet, instet deniq; oportunè & importunè. Causa huius præcepti est, Carnis nostræ corruptio, quæ ijs etiam quæ recta esse nouit, non semper obtemperat. Idem ergo diligenter

Petrus obseruat in præsenti. Postquam enim de fidelium Christi dignitate multis egit, mox grauem subijcit adhortationem, vt omnes conatus ad tanta bona consequenda intendant, & quid facere debeant præcipit.

Præcedentium repetitio.

1. Succincti sint lumbos mentis. Non patiantur hanc diffluere in curis & studijs huius seculi. Matth. 6. Luc. 21.

2. Sobriè sapiant & iudicent de diuinis, nec humana sapientia turgidi seipsos decipiant. Vide 2. Cor. 10. Rom. 1.

3. Perfecta spe nitantur Christo & gratiæ quæ per hunc offertur. Roman. 8. Ioannis 15.

Sequitur nunc plenior horum expositio, quæ modum quoque horum omnium speciatim exprimit:

I. Sitis filij obedientes. Admonet hoc nos beneficij diuini. Fuimus filij iræ Rom. 3. 5. Deus autem nos adoptauit in Christo nobis reconciliatus. Matth. 3. 17. Ioan. 17. 20. Rom. 8. Gal. 4. 2. Cor. 5. Iure ergo obedientiam à nobis flagitat.

Obedientiam qualem quantamq; Deo debeamus.

Sed NOTA. ¶ Obedientia hæc qualis sit, & quo vsque extendatur. Vide Deut. 4. 12. Num. 15. Mal. 1. Locum habet in omni hominum ordine. Nulla hominum authoritate, nec zelo carnis debilitatur. Actor. 4. 5. 1. Sam. 15.

Sam.15. Sed quia hic nimium nobis permittimus,ſumus ferè infœliciſsimi.

II. Ne ſitis conformes concupiſcentijs quibus antea in ignorantia conſtituti laborabatis. Innouationem requirit. Quia enim caro regni cœlorum capax non eſt,1.Cor.2. Gal.5. alios nos fieri oportet. Huc ſpectant quæ ſunt Ioan.3.Matth.16.Rom.6.Gal.2.& 3.Col.3. *Regeneratio.*

Interim NOTA. ¶ Quod tempus ante Chriſtum cognitum Ignorantiam vocat. Chriſtus enim vera lux mundi. Eſa. 42.49. Ioan.1.8. 9. Extra hunc nihil niſi horribiles tenebræ, quod figuratum eclipſi Matth.27. &c. Repete quid tibi aliquando euenerit. Simus ergo grati,& in luce,vt filij lucis ambulemus.Ioan.3.12.Rom.12. *Chriſtus lux mundi*

III.Sãcti eſtote,id eſt,Deo ſacri,idq; in omni veſtra cõuerſatione. Excludit hoc phariſaicã ſanctimoniã. Mat.6.15.23.Lu.18.Eſ.58.

Addit verò rationes: ¶ A. Quia is, qui vocauit vos, ſanctus eſt. Non poteſt ergo niſi cum ſanctis conuerſari. Vide Eſa. 59. 33. Pſal.15.&c. *Sanctimonia vera.*

¶ B.Idem requirit à ſuis,Leuit.19.20.Huc pertinent quę ſunt,Eſa.1.Ierem.4.7.Matth. 5.Ioan.13.Roman.12.1.Corinth.5.6.1. Theſſalon.4.Epheſ.4.5.&c.

Falluntur qui carnis licentiã in euangelio quærunt.

NOTA. ¶ Quàm fallantur qui sub Euangelij prætextu carnis licentiá quærunt, vel illud hoc nomine infamant. Imò nisi hæc præstiterimus, Christi nomine frustra gloriabimur. Matth. 7.

IIII. Illud addit, quod nos vt priora hęc faciamus, maximè mouet. Videte vt in timore conuersemini per tempus vestræ peregrinationis. Causa: Quia inuocatis, id est, profitemini eum Deum, qui citra personarum respectum iudicat secundũ vniuscuiusque opus. Vide 1. Sam. 16. Act. 10. Ro. 2. Eph. 6. Col. 2.

De voluntate Dei dicta ad quos pertineant.

NOTA. ¶ 1. Quæ de Dei voluntate & iudicijs dicuntur, ex æquo ad omnes pertinere. Hinc illa, Rom. 15. 2. Tim. 3.

Vita nostra peregrinatio est.

¶ 2. Vita nostra peregrinatio est, periculosa & proprietate rerum carens. Gen. 47. Psal. 90. Heb. 11. Nę ergo affigamur mundo huic &c. Oremus.

HOMILIA IX.

18 *Vt qui sciatis vos nõ caducis rebus, argento vel auro, fuisse redemptos ex vana vestra conuersatione, ex patrum traditionibus accepta.*

16 *Sed pretioso sanguine, vtpote agni immaculati & incontaminati, Christi.*

Quan-

QVandoquidem homini, qui natura corruptus eſt, multa etiam aliunde occurrunt, per quę à ſalutis via abſtrahitur: non ſufficiet ipſum de voluntate Dei & ſalutis ratione ſemel edoceri, niſi hoc quoq; ab illo impetretur, vt quæ recta eſſe nouit, facere velit. Ideo in lege minas & promiſsiones Dominus affert. Leuit. 26. Deut. 4. 6. 8. 28. 29. 32. &c. Et apoſtoli crebris vtuntur admonitionibus & hortationibus. 2. Tim. 4. Exemplum huius in Petro habetur. Dixit multa de fœlici conditionę fidelium. Scopus fuit, vt per patientiæ & Chriſtianæ fidei ſtudium in hac permanere cuperent. SED quia hic multum terret crux, adhortationem ſubdit argumentis nitentem compluribus. Admonuit enim conditionis & profeſsionis fidei, &c.

Sequitur præſens locus:

Nouum argumentum, ſumptum à precio redemptionis, quo ſimul & priſtinę conditionis memoriam refricat. Quaſi diceret: Scitis quæ fuerit veſtra conuerſatio: Vana ſcilicet, tam quod religionem quam vitam externam attinet. Vide hic Roma. 1. Eph. 2. Col. 1. &c. Eoque fuit hæc conditio periculoſior, quod ex patrum traditione hanc haberetis. Hinc redempti eſtis, non caducis *Loci expoſitio.*

bonis,auro & argento,ſed pretioſo ſanguine Chriſti,&c.

Syllogiſmi

Inſunt his multi Syllogiſmi: ¶. A. Quæ magno conſtant diligenter ſeruantur. Veſtra redemptio conſtat ſanguine Chriſti, omni auro pretioſiori:ergo,&c.

¶. B. Pro ijs,quæ magno conſtant, totis viribus depugnatur. Veſtra redemptio non potuit maiori precio conſtare: ergo, &c.

¶. C. Qui rem alterius maximo ſumptu acquiſitam temere amittit, in ipſum acquiſitorem iniurius eſt. Ita vos in Chriſtum iniurij eritis,ſi nolueritis in conditione per ipſum parta perſeuerare. VideHeb.10.Io.3.

Interim obſerua:

I. Quod dicit nos non redemptos eſſe caducis rebus. Agebatur enim de ſalute animarum.Cum hac,quia ſpiritus eſt,nihil cõmune habent caduca mundi bona:ergo illam iuuare non poſſunt.

Omnis ſacrorum nũdinatio vana.

NOTA. ¶. 1. Inutilem eſſe omnem ſacrorum nundinationem , & falli quotquot huic vel alijs externis fidunt.Pertinent huc quæ habentur,Eſa.1.29.58.Pſal.50. Ier. 4.7. Mich.6.Ioan.2.4.6.Matth.15.21.23.Heb.10.

¶. Subuertitur hic Romani pontificis alchymia.

¶. 2.

¶. 2. Quàm pernitiose hallucinentur, qui auro & argento colligendo inhiant. Primo enim nõ iuuant hæc redemptionem nostram. Psal.49. Matt.16.&c. Deinde obsunt quoq;. Matth.6.1.Tim.6. Vtinam meditaremur hoc. *Falluntur qui opibus caducis cõgerendis intenti sunt.*

II. Quod ex conuersatione à patribus tradita redemptos dicit, eamq; vanam nominat,&c.

NOTA. ¶. Nec patrum exemplo, nec vetustate defendi, qui religionem nouam extra Dei verbum comminiscuntur. Similia sunt, Iere.16.& 44. Matth. 15. Ioan. 4. 6. IN exemplis videndum, vt cum Dei verbo & Christi exemplo conueniant. 1.Cor. 11. Patres fidei inspiciẽdi sunt vere antiqui, quos scripturæ probant. Vide Ioan.8. *Religio quæ Dei verbo non nititur nõ potest vetustate, & patrum exemplo defendi.*

¶. Arguuntur nostri, qui patres tonant, & impios nos dicunt quod eos errauisse testamur. Magna inter nos & patres nostros differentia.

III. Christus agnus immaculatus dicitur. Hinc constat ipsum perfectam potuisse pro peccatis nostris esse victimam. Talis adumbratus. Exo.12. Leu.3.22. Num. 28. Ioan. 1. 1. Cor.5. Hinc illa Heb.7.8.9.& 10.&c. *Agnus immaculatus*

¶. Arguuntur, qui cum pollutissimi sint, in suis tamen operibus redemptionem po- *Opera.*

ſitam putant. Vide Eſa. 64. Pſal. 51. Nos in Chriſto perſeueremus, extra quem ſalus nulla eſt. Actor. 4. Ioan. 6. Oremus.

HOMILIA. X.

20 *Præordinati quidem ante iacta mundi fundamenta, patefacti vero vltimis temporibus propter vos.*

21 *Qui per eum creditis Deo, qui excitauit eum à mortuis, & gloriam ei dedit, vt fides ac ſpes veſtra in Deo eſſet.*

DOminus noſter Ieſus Chriſtus Matt. 24. ait: Qui perſeuerauerit in finem, ſaluus erit. Conſentiunt his quæ habentur. Luc. 9. 21. 2. Tim. 2. 4. Quare Petrus apoſtolus non temere tot argumentis fideles hortatur, vt in dignitate per Chriſtum ipſis parta conſtanti fide perſeuerent. Inter hæc vero vltimum fuit, quod à precio noſtræ redemptionis deſumpſit: quo etiam docemur, in ipſum Chriſtum iniurios eſſe, & graues pœnat daturos, qui tantam ſalutem neglexerint, Heb. 10.

Porro hinc occaſione arrepta qui mo eſt apoſtolorum, in Chriſti deſcriptione

excurrit. Nos singula, quę proponuntur, ordine excutiamus.

I. Quis Christus sit, & qualis agnosci debeat, docet. Præordinatus antequam conderetur mundus hic. Sic Eph. 1. Videtur autem hinc ordiri, quia conuersationem ipsorum à patribus traditam damnauerat. Poterant enim obijcere: Ergo religionem & fidem negantes patriam, nouæ huic nos addicemus, & pro ea periclitabimur? Respon. Minime noua est fides & salutis ratio, quæ in Christo proponitur. Imò hic vnus omnium ætatum saluator est: vnde & agnus dicitur occisus ab origine mundi. Apoc. 13. HVC pertinent quæ sunt Genes. 3. 22. Ioan. 1. 8. &c. *Cur à Christi descriptione ordiatur.*

Simul vero NOTA. ¶. 1. Bonitatem Dei singularem: Quia priusquam peccauissemus, de saluatore prospexit. Et mox in lapsu promisit. Gen. 3. An ergo de huius bonitate dubitabimus? Psal. 145. Rom. 5. 8. *Dei bonitas singularis.*

¶. 2. Redemptionem & salutem nostram esse gratuitam. Vide Ephes. 1. &c. Huc pertinent quæ sunt Ezech. 16. Ioan. 3. 6. 1. Ioan. 4. Rom. 9. *Salus nostra gratuita.*

¶. Exinanitur ergo hic omnis nostrorum meritorum fiducia. 1. Corinth. 4. Lucæ 17. &c.

Tempus. II. Quando datus & manifestatus sit? Extremis temporibus,idq; propter vos.Dicit autem hoc propter eos, qui curiosius in hæc mysteria inquirunt, & cum studio reprehendendi. Quasi diceret: Non est quod quæratis,cur tã diu dilatus sitChristi aduentus.Quin potius grati estote Deo, qui propter vos omnia hæc aministrauit. Matth.13.

Quorum tẽpora postrema. Interim NOTA. ¶. Quod extrema tempora dicuntur, quibus datus est Christus. Plenitudo temporis dicitur Gal. 4. Fit hoc respectu prophetiarum.Ioã. 19. Item quod omnia ad finem suũ sic deducta sunt, vt nemo pleniorem veritatis & salutis reuelationẽ expectare debeat. Faciamus ergo quod est,Ioan.8.12.Rom.12.Luc.16.

Quorum sit Christus. III. Ad quos Christus proprie pertineat? Ad vos, qui per illum creditis in Deũ. Duo igitur necessaria sunt. Vt in Deũ credamus. Dic quid hoc.Vt id faciamus perChristum. Ioan.17.Regula huius fidei est doctrina apostolica.

Christus. Ibid.NOTA. ¶. Quod vbiq; fidei in Deum patrem Christus filius mediator tribuitur.Causę sunt:¶ A.Immensa Dei maiestas, ad quam nostri ingenij tenuitas non ascendit.Exod.33.Ioan.1.Esa.64.

¶. B. Iustitia Dei perfecta,coram qua nos

nos peccatores comparere non possumus. Esa.130 143.&c.

Mediatore ergo opus est,quem alium nõ habemus præter Christum.Ioan.14.1.Tim. 2.Heb.4.5.6.Phil.3.1.Ioan.2.Arguuntur hic Iudæi & Turcæ.Ioan.5. *Mediator Christus.*

IIII. Quomodo & quare in Deum credere debeamus per Christum? Quia Deus hũc excitauit à mortuis, & dedit ei gloriam. Ioan.12.17.Rom.1.Licet ergo sperare mortem esse deuictam, & nos quoq; in gloriam venturos iuxta promissioné.Ioan.12.14.17.&c. *Fidei ratio.*

NOTA. ¶. Summam Christo ignominiam ab ijs inferri, qui mediatorem non agnoscunt.Frustra enim resurrexisset,& frustra sederet in gloria. Vide Esa.42.Ioan.10. Oremus.

HOMILIA. XI.

22 *Animabus vestris purificatis,auscultãdo veritati per spiritum, cum charitate fraterna simulationis experto,ex puro corde alij alios diligite impense.*

QVandoquidem Petrus apostolus fideles seculi sui, qui sub cruce labo-

rabant, ad patientiam & constantiam fidei hortari instituit, frequenter etiam in Christi & mysteriorum ipsius descriptionem excurrit. Causa est, quia sine huius cognitione nec in ipsum credere, nec in fide persistere possumus. Ioan. 17. Rom. 10.

Praecedentia capita. IN praecedentibus autem haec egit: ¶. A. Christum ab aeterno praeordinatum fuisse redemptorem. Sic fidem in hunc nouitatis suspicione liberat.

¶. B. Illum non nihil ad fideles pertinere, qui scilicet per ipsum in Deum credunt. Arguit hoc omnes, qui sine Christo fide in Deum gloriantur. Matth. 11. Iohan. 14. 5.

¶. C. Nostrum omnino esse, vt hunc mediatorem agnoscamus, cum ideo & resuscitatus sit, & subuectus in gloriam.

Porro, quia multi sub fidei praetextu carnis licentiam quaerunt, nunc de huius effectis & fidelium officio loquitur.

I. Castificatio animarum ponitur. Arguit haec nostram corruptionem. Alioquin castificatione non esset opus. Vide Psalm. 51. 143. Gen. 6. 8. Rom. 7. 3. Gal. 5. Simul & meritum tollitur.

Animae purificandae. Sed NOTA. ¶. 1. Quid requirat? Vt castificemus animas. Hypocritae de externa

larua

larua cogitant. Sed Dominus reijcit. Esa. 58.29.Matth.6.23.Luc.18. Animum requirit, qui omnium actionum fons est. Castrandus hic, ne male de Deo sentiat, nec desiderijs prauis æstuet. Vide Deut.4.6.10.Ier.4. Leuit.19.20.Matth.15.23.

¶. 2. Modum huius castificationis. In obedientia veritatis. Est hęc quę verbo Dei proponitur. Ioan.17. Huic subijci oportet qui purificari volunt, quod per fidem fit. 2.Cor 10.Rom.1.16.Act.15. *Quomodo.*

Docemur ergo hinc: ¶. A. Quanto verbi Dei studio opus sit, cum huius tam facile obliuiscamur. Psal.1.Ioan.8. *Verbi Dei studio quãto sit opus.*

¶. B. Pro castis & puris nunquam habendos, qui verbo Dei aduersantur. Vide Ioan.15. Hoc vtinam multi agnoscerent. *Aduersarij verbi Dei non sunt puri.*

¶. 3. Authorem & quasi causam efficientem huius castificationis. Quia enim nos corrupti, alibi quærendus erit. Petrus ergo spiritum indicat. Sic Christus Ioan.3. Hinc illæ preces sanctorum, Psalm. 51. Ierem.31. Thren. 5. Pro spiritu igitur & nos orare, & illum vbi datur, admittere conuenit, &c. *Purificationis efficacia causa.*

II. Charitatem fraternam commendat, quam & castificationis huius quasi finem constituit Poterat enim quis putare in hac meritũ aliquod subesse. Alium ergo finem

indicat : Vt nimirum fratrum inſtar vniti mutuis officijs nos iuuemus. Sic Chriſtus Ioan.13.15.

Coniunctio noſtra in Chriſto.

NOTA. ¶. 1. Quod fraternæ charitatis meminit. Admonet nos ſummæ coniunctionis, quam in Chriſto habemus. Vide Eph.4. Hinc eſt, quod apoſtoli charitatem tam multis vrgent : vt Rom. 13.1.Cor.12.13. Galat.5. 1.Ioan.3.4. &c. Simul verò conſtat quales cenſendi, qui confratres ſuos odio proſequuntur.

Charitatē qualem requirat.

¶. 2. Qualem charitatem requirat. ἀνυπόκριτον, quæ ex puro vel ſyncero corde promanet, & intendatur quoque. Sic 1.Timoth.1. Cauſæ ſunt.

¶. A. Quia in nobis amor noſtri regnat, qui priuato commodo ſtudens ſimulationis plenus eſt.

¶. B. Quia etiam benefaciendo alijs, ferè noſtrum commodum reſpicimus. Semper ergo ſeruandum, quod de eleemoſyna Chriſtus admonet, Matth.6.

Ad hęc ſi examinemur, videbimus quam multa nobis deſint. Pro ſpiritu ergo, qui nos innouet, Oremus.

HOMI-

HOMILIA. XII.

23 *Renati non ex semine mortali, sed ex*
immortali per sermonem Dei viui, et
manentis in æternum.
24 *Nam omnis caro est vt gramen, & o-*
mnis gloria hominis vt flos graminis,
exaruit gramen, & flos eius decidit:
25 *Sed verbum Domini manet in æter-*
num, hoc autē est verbum illud quod
euangelizatum est vobis.

QVemadmodum ad salutem consequendam cumprimis necessarium est, vt quid Deus per filium suum nobis contulit, agnoscamus (Ioan.17.) Ita simul quid nos vicissim Christo debeamus, nouisse conuenit. Ideo Petrus de vtroq; magna diligentia hucusque egit. Primo enim Christum eum saluatorem esse docuit, qui ab æterno ordinatus sit, & proinde solus sibi hanc gloriam vendicet, Esa. 63.42. Deinde à nobis requisiuit, Fidem in Deum per Christum, castificationem animarum, charitatem fraternam. Consentiunt hæc cum Ioan. 3.5.14. 13.15.&c. Comprehendit verò omnia Christiani hominis officia.

Porro quia ab his horret caro,præſent̃ locum,qui nos vrgeat & inſtiget,ſubijcit:

I. Argumentum profert à conditione fidelium,Renaſcentia ſcilicet. Vt autem firmius ſit,huius dignitatẽ ex ſemine demonſtrat. Qui alij facti ſunt, nõ debent priſtinis ſtudijs occupari. Vos alij facti & renati eſtis in Chriſto:ergo, &c. Itẽ:Si pater liberos ex ſemine corruptibili natos,ſuos mores referre vult: quanto magis Chriſtianos, æterno verbi ſemine renatos in filios Dei, hoc decet?&c.

Regeneratio neceſſaria eſt. NOTA.¶.1.Neminem Chriſtianum eſſe, niſi renatus ſit. Alioqui infirmum eſſet Petri argumentum. Deinde ita corrupta eſt noſtra natura,vt in hac Deo non appropinquemus.Gen.6.8.Pſal.51.Eſa.64.33.Hinc illa,Ioan.3.Matth.16.Rom.6.12.Col.3.&c.

Eius ratio. ¶. 1. Rationem renaſcentiæ huius. ¶. A. Semen eſt verbum Dei,quod per prædicationẽ ſpargitur in animos noſtros, id quod neceſſarium eſt Matth.13.Rom.10.&c.

¶. B. Spiritus hoc receptum viuificat. Luc.8.Hinc fit,vt nos in illius naturam tranſeamus,non hoc in noſtram: Quod diuerſum eſt à reliquis generationibus. Ex his te & alios iudica.

II. Collatione docet,renaſcentiam hanc per

per verbum Dei necessario requiri. Sumpta vero est ex Esa. 40. Caro gramen est, & omnis eius gloria marcet. Nihil ergo proderunt ad salutem, quæ ex hac promanant. E contra verbum Dei viuum est & æternum, &c.

NOTA. ¶. 1. Dignitatem verbi Dei. ¶. A. Viuum & efficax est. Vide Psal. 1. Arguuntur, qui nullos huius fructus proferunt. Matth. 3. 12.

Verbi Dei dignitas.

¶. B. Manet æternum, quia voluntas Dei quæ hoc reuelatur æterna manet. Psal. 33. Hinc illud Matt. 5. 24. Discamus transferre ad omnia huius, & magni facere. Psalm. 19. 119.

¶. 2. Quare fallantur qui carni fidunt. Caro dicũtur omnia huius mũdi, bona corporis & fortunæ, imò & animi, si hic Christo careat. At omnia hæc caduca sunt, vt ne in temporarijs quidem illis liceat fidere. Ps. 90. Iac. 1. Ier. 17. Quantò minus igitur in ijs quæ ad animas spectant?

Caro quid? falluntur qui huic fidunt.

III. Conclusionem infert, Hoc est autem verbum, quod prædicatum est in vobis. Potest referri ad scopum principalem epistolæ. Cum receperitis verbum Dei viuens & perpetuũ, nullis afflictionibus vos inde abstrahi patiamini.

Verbum Dei quod nam.

NOTA. ¶. 1. Quod verbum intelligi debeat, quando de salute nostra agitur. Solent hic quidam mire speculari. Sed non aliud est, quam quod prædicatur & in scripturis proponitur. Sic Moses Deut. 30.

Patet: ¶. Dignitas scripturarum, & ministerij, quo verbum prædicatur. Hinc illa Ioan. 20. 1. Cor. 3. 4. 2. Cor. 11. Galat. 4. Item Ioan. 5. 2. Tim. 3.

S. Scriptura sufficiēs est ad salutem docendum.

¶. 2. Apostolos tradidisse hoc ipsum verbum, quo regeneramur in filios Dei, & heredes illius reddimur. Sufficienter ergo tradiderunt quæ salutis sunt. Vide Ioan. 14. 16. 17. Mar. 16. Gal. 1. 2. Cor. 11. 2. Tim. 3. &c. Arguuntur, qui nouas traditiones obtrudunt ecclesijs. Esaiæ 29. Matthæi 15. Oremus.

CAPVT II.

HOMILIA. XIII.

1 *Proinde deposita omni malitia, & omni dolo, & simulationibus, & inuidentijs, & omnibus obtrectationibus.*

2 *Vt modo nati infantes, lac illud sermonis sincerum expetite, vt per illud adolescatis.*

Dominus

DOminus noster Iesus Christus Io. 3. ait: Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit è supernis, non potest videre regnum Dei. Admonemur his : ¶. A. Nos natura corruptos & regno cœlorum minime idoneos esse. Psal. 51. 2. Cor. 3. Vana ergo omnis meriti gloriatio. 1. Corin. 4. ¶. B. Fideles, cum regenerati sunt, pristina mundi & carnis studia relinquere debere. Et huc pertinent, quæ in fine Cap. 1. monuit Petrus, vbi Fidem in Deum patrem per Christum, castificationem animarum & charitatem fraternã requisiuit, eò quod regenerati simus.

Porro, quia hęc à carne vix impetrantur, & huius licentia sæpe crucem infamat, Institutionem generaliorem nunc subiungit, cuius Exord. hæc habet:

I. Monet à quibus nos abstinere oporteat. Semper enim præcedat oportet extirpatio eorũ, quæ fructum verbi impediunt. Iere. 1. 1. Cor. 5. Et in renatis quoq; manent reliquiæ peccati, affectus, &c. Psal. 51. Rom. 7. Ioan. 13. Quædam vero ponit, sub his reliqua comprehendens. *A quibus abstinendũ renatis.*

¶. 1. Omnem malitiam. Malum est, quicquid cum voluntate Dei (qui solus bonus est Matth. 19.) pugnat. Omittendum ergo, quocunq; licet prætextu defendatur. Quia *Malo.*

à verbo Dei recedere non licet. Deut. 4.& 12.1.Sam.15. Imò species quoque mali vitanda 1.Thess. 5. In primis obseruandum in religione,&c.

Dolo. ¶. 2. Dolum.Intelligitur quando infideliter & ficte agimus cum proximo. Extenditur ad verba & promissiones. Ad commercia item & contractus. Vide Leuit. 19.Deu. 25.Eph.4.Peccatur multum hodie. Expone per species, vt omnia corruptissimè habeantur.

Hypocrisi. ¶. 3. Hypocrisin.Christianos maximè veritas decet, ne diaboli similes fiant. Ioan. 8. 2. Cor. 11. Fugienda ergo omnis simulatio tam in religione,quam reliqua vita.

Inuidia. ¶. 4. Ea ponit quæ cum charitate pugnant. ¶. A. Inuidia. Dolor est ex aliena fœlicitate. Oritur ex philautia nobis ingenita.Deponitur,si expendamus Deum esse,qui singulis distribuit bona sua prudenter & iuste.Psal.73.37.&c.

Obtrectatio. ¶. B. Obtrectatio. Primus inuidiæ fructus, ad quem natura procliues sumus. Manant hinc lites, discordiæ, pugnæ,&c. Hæc autem à Christo alienissima faciunt. Iohannis 15. 1. Iohannis 3. 4. 1. Corinth. 3. In his ergo deponendis laborent,qui Christo vniri cupiunt.

II. Quid

II. Quid è contra faciendum? Redit ad allegoriam, idē docens quod Christus Matt. 18. Renati estis modò per Christum. Omnibus ergo alijs contemptis, lac appetite, vt infantes, &c.

NOTA. ¶ 1. Quòd lac appetere iubet. Est hoc ipsum Euangelium, quod & semen est. Idem enim cibat & nutrit. Ioan. 6.4.7. &c. Ideo ministri nutricibus conferuntur. 1. Corinth. 3. Huius verò studium tale requiritur, vt præ hoc omnia alia nobis sordeant. Vide Psal. 19. 1. Ioan. 8. Luc. 10. 11. Quid ergo iudicandum de contemptoribus? *Lac quid.*

¶ 2. Quale lac. ¶ A. Rationale. Quod tradit rationem verè credendi & viuendi. Non enim fatuos nos vult Deus Matth. 10. 1. Cor. 14. *Quale sit.*

¶ B. ἄδολον, non vitiatum vel adulterinum. Vitiatur sæpe Euangelium traditionibus humanis; quas nō oportet admittere. Deut. 4. 12. Ier. 1. Esa. 29. Matth. 15. 23. 28. Ioan. 10. Hinc illud Pauli de alio Euang. Gal. 1. Vtinam obseruaretur.

¶ 3. Vt in hoc crescatis. Non sufficit enim primum cœpisse. Proficiamus oportet, cùm in hac vita nunquam ad perfectionem veniatur. Eph. 4. Multum ergo falluntur, qui verbi studium contemnunt. Nos pro his consequendis Oremus. *Proficiendum in Euangelio.*

HOMILIA. XIIII.

3 *Siquidem gustastis quod benignus sit Dominus.*
4 *Ad quem accedentes, qui est lapis viuus, ab hominibus quidem reprobratus, apud Deum verò electus ac preciosus.*
5 *Ipsi quoq, veluti viui lapides, ædificemini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendũ spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum.*

QVemadmodum carnis ingenium est cruce Christi facilè offendi: Ita vicissim alios inuenire licet, qui cum propter vitia sua puniuntur, se crucem ferre dicunt, & huius prætextu sese velant. Contra hos facit, quod Christus tradit Matth. 5. Ioan. 16. Et Petrus sub cruce laborantibus scribens, eos hoc capite diligenter monet, vt vitæ innocentia & sanctitate se Christi crucem ferre probent. Summam huius institutionis heri habuimus. Docuit à quibus nos abstinere oporteat. Ostendit etiam quid à nobis requiratur, vt scilicet Euangelij lac appetamus, & in eodem adolescamus in virum perfectum. Ephes. 4. Idem nunc allegoria

ædificij clarius illustrat. Ordo hic est.

I. Rationem præmittit, qua commendet quod à nobis exigit. Dominus bonus est & suauis. Id si gustauistis, quod fideles facere conuenit, Psalm. 34. non potest vobis graue esse, ad illum accedere.

NOTA. ¶ Quòd coniungit Dei bonitatem cum nostro ad hunc accessu. Impossibile ergo, vt Deo coniungamur, nisi eius bonitatem gustauerimus. Terret enim nos potentia & iustitia. Esa. 33.

Gustare bonitatē Dei necessariū est accessuris ad Deum.

Requiritur autem: ¶ A. Vt nos ipsos agnoscamus & corruptionem nostram. Psal. 51. Gen. 6. 8. Rom. 7. Hinc fames & studium Dei.

Quomodo gustanda.

¶ B. Vt his opponamus quæ Deus in Christo nobis contulit. Ioannis 3. 4. 5. 6. 7. 14. 17. Matt. 9. 11. 18. Luc. 15. Roman. 5. & 8. 1. Corinth. 1. &c. Hinc voluptas incredibilis, quæ facit vt amplius abstrahi non possimus. Roman. octauo, Ioannis sexto.

Huc patet quales censendi, qui aliò quàm ad Deum sese vertunt, & mox leui cruce se à Christo auelli patiuntur. Matth. decimotertio.

II. Proponit quid velit: Vt ad Dominum accedentes super illum ædificemur

viui lapides. Quia verò Christi vilitate multi offenduntur, occurrit testimonio Ps.118. Habetur idem Matth.21.

Christus vnicū salutis fundamentū. NOTA ¶1. Fundamentum vnicum salutis esse Christum.1. Cor.3. Dicitur autem viuus lapis propter soliditatem & fidem infallibilem. Esa.28. Matt.16. Soletur nos hæc ecclesiæ firmitas.

Quomodo super hunc ædificemur. ¶2. Quomodo super hunc ædificemur? Per fidem, qua ipsum solum saluatorem agnoscimus. Vide Ioan.6.

¶ Vide quales ædificatores sint, qui alibi salutem monstrant. Ioannis 10. Vt item fallantur, qui aliò se ablegari sinunt. Actorum 4.

Ecclesia domus spiritualis. III. Finem omnium infert, vbi tria NOTA. ¶1. Ædificemur viui lapides in domum spiritualem. Singuli fideles templa Dei sunt 1.Cor.3. Sed ex omnibus vnum templum sibi constituit Deus. Esa.66.

Admonet hoc: ¶ A. Salutis quæ in sola ecclesia hebetur. Facit huc simile capitis & membrorum. Eph.1.2.5.

¶ B. Officij, vt vnitati & charitati studeamus. Eph.4.

¶2. Sacerdotium sanctum simus. Sancti sunt Deo consecrati. Tales sunt fideles per Christum.1.Co.1.5.6. Sed & sacerdotes nos

fecit

fecit. Apoc. 1. Ideo vncti dicuntur. Psal. 105. *Sacerdotū*
Sacerdotum est, Docere. Nō tamen singuli *officium.*
publicè doceant, quia distincta officia. Eph.
4. 1. Corinth. 12. Sed priuatim, vt est Matt. 18.
Orare, quod maximū fidei opus est. 1. Tim.
2. Sacrificare. Hic requiruntur spirituales
hostiæ, Ps. 51. Hos. 14. Rom. 12. Eucharistica
sunt hæc sacra, &c.

¶3. Accepta hæc sunt per Christum. Quia *Christus*
per solum hunc patet aditus. Ioan. 14. Heb. *via ad pa-*
4. 5. Hæc si nobis applices, videbis quid de- *trem.*
sit. Quod si hæc omnes tenemur præstare,
quantò magis Ecclesiæ ministri? Oremus.

HOMILIA XV.

6 *Quapropter etiam continetur in scriptura, Ecce pono in Sion lapidem in imo angulo, electum, pretiosum: cui qui credit, non pudefiet.*

7 *Vobis igitur est honori qui creditis: immorigeris verò, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est caput anguli, & lapis offendiculi, & petra offensionis:*

8 *Nempe ijs qui offendunt ad sermonem, immorigeri ad quod etiam conditi fuerunt.*

D Petrus Apostolus Acto.4.ait: Non est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo nos oporteat saluos fieri, præterquam nomen Iesu. Docent hæc verba non modò vbi salus queri debeat, verumetiam quàm necessaria sit Christi, vnici saluatoris, cognitio. Ioan. 17. Quia sine hac nec ipsum fide amplecti, nec in fide hac perseuerare possumus. Hinc fit, quod Apostoli in omni sua prædicatione hoc potissimum vrgẽt, vt vera plantetur in hominibus Christi cognitio. 1 Cor.1.2. Ioã.20.&c. Et Petrus in præsenti Epistola, subinde in huius descriptionẽ excurrit, quò firmius in illo hæreant fideles. Facit huc & præsens locus, qui hæc habet:

Christi cognitio vnde petenda. I. Generalem Christi descriptionem ponit ex Esa.28. Admonemur vnde petenda cognitio Christi. E scripturis scilicet. Ioã.5. Luc.24. Cohærẽt autẽ hæc præcedentibus.

Deus ecclesiæ salutisque author NOTA. ¶ I. Quod hæc loquitur Deus. Hic ergo vnicus est ecclesię & salutis nostrę author. Ministris externa modò commissa sunt. 1.Cor.3.4. Hinc illud Ioan.6. Cadit gloriatio nostra.

Lapis. ¶ 2. Quid dicat de Christo. ¶ A. Lapis fundamenti & angularis summus. Fundamentum est, quia illi salus nostra innititur, non ipse

ipſe nobis. Ioan. 15. Vide 1. Cor. 3. Matth. 16. Angularis ſummus, quia & caput eſt (Eph. 5.) & duos parietes comprehendit, Eph. 2.

¶ B. Electus, à Deo nimirum, nō temerè aſſumptus per homines. Vide 1. Pet. 1. Eph. 1. Indicatur certitudo ſalutis.

¶ C. Pretioſus: Primum coram Deo, Pſ. 2. & 110. Matth. 3. 17. Ioan. 1. 12. 3. &c. Deinde apud fideles, qui hunc omnibus terrenis præferunt. Ioan. 6. Rom. 8. Phil. 3.

¶ D. Qui credit in hunc, non confundetur. Simile Matth. 7. Eſt enim inuicta rupes. Matth. 16. 2. Sam. 22. Pſalm. 27. 46. &c. Adhæc infallibilis eſt promiſsio. Ioannis. 3. 5. 7. Matth. 11. Mar. 16. *Credentes tuetur.*

Interim docemur, confundi eos, quotquot alij fundamento innituntur, cùm nuſpiam alibi ſalus ſit. Act. 4. Ioan. 4. &c.

¶ 3. Quod Deus hunc lapidem in Zion poſuit. Habet hæc typum eccleſiæ. Pſ. 2. 48. In ſola ergo eccleſia ſalus eſt. Vide parabolam vitis & palmitū. Ioan. 15. Capitis & membrorum. Eph. 1. 2. 5. Vnitatem ergo Eccleſiæ ſub Chriſto tueri oportet eos, qui ſalutem volunt conſequi. *In ſola eccleſia ſalus.*

II. Quia multos offendit, quòd Chriſtum ab ijs potiſsimū reijci vident, qui in mundo eximij habentur: offendiculo huic occurrit,

hoc ipsum scripturis prædictum esse docens. Vide Psal.118. Esa.8.

Christus reiectus ab ædificatoribus. NOTA. ¶1. Quod Christum ab ædificantibus reiectum dicit. Sic Matth.21. Dicuntur hi Ecclesiæ antistites, vt patet ex Ierem.1.1.Cor.3. Vt primum hi corrumpuntur, Christum ferre nō possunt. Sic prophetis opposuerunt se sacerdotes.3. Reg.18.22. Amoz 7. Ier.23.28.&c. Ita factum cùm Christus in terris ageret. Matth.26. Ioan.11. Actorum 3.4.5.9.&c. Quid ergo offendimur hodie?

Frustra repugnant hostes. ¶ 2. Vanos fore nihilominus hostium Christi conatus. ¶ A. Quia ipse nihilominus fiet caput anguli. Non potest enim infringi verbum Domini. Psal.2.110.72. Et ita videmus semper factum. Facit huc quod est 1.Cor.1.

Offenduntur. ¶ B. Dum non credunt his ad quæ destinati sunt, impingunt ad sermonem: id quod ipsis damno est. Vide Matth.21. Zach.12. Impletum in Iudæis. Act.3. Deinde in tyrannis persecutoribus & philosophis. Hodie idem cernitur. Nos salutem in Christo oblatam gratis animis amplectamur. Oremus.

HOMI-

HOMILIA XVI.

9 *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem sibi Deus vt proprium vendicat: vt virtutes prædicetis illius, qui vos vocauit è tenebris in admirabilem suam lucem.*

10 *Qui quondam eratis non populus, nunc estis populus Dei: qui non consequuti misericordiam, nunc estis misericordiam consequuti.*

QVamuis cognitio Domini nostri Iesu Christi ad salutem cumprimis necessaria est (Ioan.17.) eadem tamen per se non prodest, nisi quod nos nouisse profitemur, rebus ipsis præstemus. Matth.7. Ideo Apostoli quoties de Christo & fide agunt, Christianæ vitæ officia tradunt. Obseruat idem Petrus in hoc Cap. Descripsit nobis Christum ex Esa.28.8. Psal. 118. Nunc quæ de illo dixit, nobis applicans perspicuè docet, in quam excellentem dignitatem nos euexerit, quis item sit finis, in quem nos omnia nostra dirigere oporteat. Ordo hic est.

I. Christianos certis titulis describit, quos ordine expendemus. ¶ I. Genus electum,

ſcilicet ex multis populis. Sic de Iſraele dicitur. Deut.7. Exo.19. Amoz 3.

NOTA. ¶ 1. Bonitatem Dei, qui nos potius, quàm alios eligere voluit. Requirit hoc veram gratitudinem.

¶ 2. Salutem noſtram eſſe ex mera gratia. Huius quaſi fundamentum eſt electio. Sed hæc planè gratuita eſt. 1. Pet. 1. Eph. 1. 1. Cor. 4. &c. Ioan. 1.

Electio.

¶ II. Regale ſacerdotium. Inuertitur hoc Ex. 19. & dicitur, Sacerdotale regnum. Sed in idem recidit. Sic verò dicimur, quia Christus omnes nos fecit reges & ſacerdotes. Apoc. 1. Reges, quia nobis iam ſubijciuntur, quæ antea nobis imperitabant. Ioan. 12. 16. 1. Corinth. 3. Sacerdotes, quia ſingulorum eſt offerre victimas Deo gratas. Vide Rom. 12. Hoſ. 14. Pſal. 51.

Chriſtiani omnes ſunt reges & ſacerdotes.

NOTA. ¶ 1. Pontificis Rom. ſacrilegam audaciam, qui ſibi vendicauit, quod omnibus Chriſtianis commune eſt. 2. Theſſ. 2.

Pontificis Romani audacia.

¶ III. Gens ſancta, id eſt, Deo addicta vel ſacra. Requirit hoc vitæ puritatem & plenam obedientiam. Vide Leu. 19. 20. Deut. 4. 6. 10. 12. Pſal. 15. Eſa. 33. &c.

Vitæ puritas à nobis requiritur

NOTA. ¶ Quàm fallantur, qui mundi huius exemplum reſpiciunt, & hoc defendi ſua putant. Imò nihil magis cum Chriſtianiſmo

Exemplū mundi.

nismo pugnat.Ioan.16.Matth.7.1.Cor.5.6.
Gal.5.6.Rom.12.&c.

¶IIII. Populus acquisitionis, id est, acquisitus. Significat hoc peculiarem, sed qui non temerè Dei peculiũ factus sit. Vt enim talem haberet, filium dari oportuit. Ioan.3. 1.Pet.1.&c.

Deo nos vnicè seruire oportet.

NOTA. ¶ Summa iniustitia in Deum peccare, qui nõ illi vnicè seruiunt, & debita officia negant. Nec enim nostri iuris sumus amplius.1.Cor.6.

II. Finem horum allegat: Vt virtutes annuntietis eius, qui vos vocauit in lucẽ, &c. Virtutes inquit, quia in Christi negotio omnes Dei virtutes sese proferunt. Iustitia in puniendis peccatis. Misericordia. Ioan.3. Ro.5.8. Sapiẽtia. Omnipotẽtia. Veritas &c.

Cõditio nostra ante Christum quæ.

NOTA ¶ 1. Quæ nostra cõditio ante Christum. In tenebris fuim⁹. Col.1. Vide gentes, imò qualis tu fueris expende. Nihil profuit carnis sapientia.1.Cor.1.2. Hic Christus in lucẽ produxit admirabilẽ. Lux ipse est. Isa. 42.49. Ioan.1.8. Admirabilis est, quia stupemus ad prioris cæcitatis consyderationem.

Officium nostrum quod.

¶ 2. Quod nostrũ officiũ? Annuntiare virtutes eius. Requiritur: ¶ A. Confessio fidei publica, vbi & sacramenta locũ habẽt. Mar. 16.1.Cor.11. Vide Matth.10.Mar.8.Rom.10.

¶B. Totius vitæ conuersatio. Matth.5. Inuocatio item. Pertinent huc Isa.43.66. Psal.7.22.50.Hos.14.

Quàm in his præstandis segnes simus, quis non videt?

III. Plenius admonet pristinæ conditionis ex Hos.1. Vult illos admonere repudij Iudæorum & quòd ex mera misericordia Dei tales facti sunt.

NOTA.¶ Non insolescendum nobis propter hanc dignitatẽ. Ad nos pertinet quod habetur Ezech.16. Rom.11. Oremus.

HOMILIA XVII.

11 *Dilecti, precor vt tanquam aduenæ ac peregrini, abstineatis à carnis cupiditatibus, quæ militant aduersus animam.*

12 *Et conuersationem vestram habeatis honestam inter gentes: vt pro eo quod loquuntur aduersus vos velut maleficos, ex bonis operibus quæ spectarint, glorificent Deum die visitationis.*

D. Petrus Apostolus sui seculi fideles, sub cruce laborantes, consolari & docere

docere inſtituit. Multus ergo in hoc eſt, vt dignitatem, quæ in Chriſto ipſis parata eſt, probè intelligant. Faciunt huc præcedentia in quibus Chriſtum ſimul & Chriſtianos deſcripſit, &c.

Porrò, quia vanum eſt Chriſti nomine gloriari, niſi vitæ totius conuerſatio reſpondeat, ea ſubinde interſerit Petrus, quæ hanc informare poſſunt. Et hic diligentem hortationem inſtituit, cuius prima pars bimembris eſt.

I. Abſtinete à carnalibus concupiſcentijs. Amicè verò agit, & ſimul adijcit rationes. ¶ A. Quia aduenæ & peregrini eſtis in mundo, vt pote quorum patria in cœlis eſt. Phil. 3. Heb. 11. Non decet ergo vt mundo ſitis addicti. Confer fidelem cum peregrinante. Pertinent huc quæ Chriſtus habet Ioan. 15. 16.

Peregrini ſumus in mundo.

¶ B. Pugnant aduerſus animam. Quaſi dicat: Leue videtur carni ſi cupiditatibus ſuis indulgeat. Pſal. 34. Sed anima hic periclitatur, qua amiſſa, nō iuuant omnia huius mundi. Matt. 16. Vide Rom. 5. 7. Col. 3. &c. Vtinam hoc vnum benè meditaremur, &c.

Cupiditates animã conijciunt in pericula.

Sed NOTA. ¶ 1. Quod ab ijs hoc petit quos paulò ante gentem ſanctam dixit. Conſtat ergo neminem in hac vita perfectum

Nemo hic perfectus.

esse. Dicuntur fideles puri & perfecti, propter Christum. 2. Cor. 5. 1. Cor. 1. &c. Sed hærent in carne peccati reliquiæ. Rom. 7. Psal. 51. Esa. 64. Hic ablutione quotidiana opus est. Ioan. 13.

Quomodo à cupiditatibus abstinendum.

¶ 2. Quomodo præstetur, quod Petrus hic præcipit. Vt enim non concupiscamus, est impossibile. Sed non oportet indulgere, quin potius coercere.

Fit hoc: ¶ A. Verbo Dei, si huius dictata opponamus concupiscentijs carnalibus, & huic credamus. Ioan. 15. Ideo gladius dicitur. Heb. 4. Eph. 6.

¶ B. Disciplina & mortificatione carnis externa. Col. 3. Matth. 9. Esa. 58. In his nos hodie diligentius multò versari oportebat, &c.

II. Conuersationem vestram habete honestam inter gentes. Extenditur hoc ad omnem vitam, dicta & facta, &c. Subiungit & hic causam, quæ Deum & proximum concernit.

Cõuersatio à nobis requiritur qua ædificentur alij.

NOTA. ¶ 1. Nõ sufficere si nobis ipsis benè simus conscij, nisi & alij per nos ædificentur. Vide Pauli exemplum, 1. Cor. 4. 9. Contra eos qui conscientiæ testimonio conuersationem licentiosam & offendiculi plenam excusari posse putant. Matth. 18.

¶ 2. Fi-

¶ 2. Finem actionum nostrarum omnium constitui debere, gloriam Dei. Ad hanc enim conditi sumus. Idē monet Christus, Matth. 5. Idem oramus Matth. 6. &c. Pugnat hoc cum hypocritis & iustitiarijs, qui vel videri volunt, vel mereri salutem. Matth. 6. Luc. 18. *Gloria Dei finis noster*

¶ 3. Quod de die visitationis dicit. Tempus intelligit, quando Deus suorum innocentiam reuelat, & hostium suorum iniustitiam arguit. Fit hoc semper, licet diu interdum differatur. Vide Mal. 3. Matth. 10. *Dies visitationis.*

Debet hoc terrere impios, pios verò consolari in omnibus suis aduersis, impellere item ad innocentiam. Oremus.

HOMILIA XVIII.

13 *Proinde subiecti estote cuiuis humanæ ordinationi propter Dominum: siue regi vt qui supereminеat.*
14 *Siue præsidibus vt qui per eum mittantur tum ad vltionem maleficiorum, tum ad laudem rectè agentium.*
15 *Quoniam ita est voluntas Dei, vt benè agendo, capistro frænetis stultorum hominum ignorantiam.*

16 *Vt liberi, ac nō veluti malitiæ velamen habentes libertatē, sed vt serui Dei.*

QVemadmodum homines pro corrupto carnis ingenio externa Dei dona in suam pernitiem conuertunt: Ita salutis beneficio, quod in Christo collatum est, turpiter abuti solent, dum huius prætextu carnis licentiam quærunt. Quamobrem Apostoli non modò fidei & salutis mysteria tradunt, verumetiam vitam & mores diligenter informant, Facit hoc ipsum Petrus, qui primo generalem institutionem præmisit, idem docens quod Christus, Matth.5.18.

Scopus. NVNC verò, quia Reipub. turbatores habebantur Christiani, vt & hodie, quæ horum sint erga magistratus officia tractat.

Magistratui parendum. Subditi estote omni humanæ ordinationi. Sic vocat magistratus, quia ex hominibus à Deo ordinati sunt. Explicat autē per partes: Siue Regi, id est, Imperat. Rom. qui tunc erat orbis Dominus. Siue præsidibus. Sic verò omnem tergiuersandi occasionem præuenit: Causam huius doctrinæ & fontem vide Exo.18.21.22. Psal.82. Matth.22.17. Rom.13. Quantò magis ergo hodie Christiano magistratui parendum est? Sed ô ingratitudinem.

Interim

Interim NOTA. ¶. Quousque extendatur hæc obedientia? Quoad magistratus quæ sua sunt petit, non quæ Deo debentur. Vide Matth. 22. Exempla habes in Mose, Exod. 5. & 10. In discipulis Actor. 4. 5. In militibus Christianis sub Iuliano, &c. Idem obseruandum hodie. *Quatenus.*

¶. SED excutiendæ rationes, quas Petrus allegat.

I. Propter Dominum. Explicat: Quia per hunc mittuntur Psalm. 113. Dan. 7. Roman. 13. Ergo qui magistratui resistunt, Deo resistunt.

Interim NOTA. ¶. Magistratus esse, vt ante omnia Dei gloriam prouehat, qui hoc honore ipsum dignatus est. Docet hoc lex naturæ. Agnouerunt hoc omnes boni principes. Hinc olim coniuncta erant regis & sacerdotis officia, vt patet in Melch. Gen. 14. Heb. 7. Postea diuisa, sed sic vt regibus præcipue curæ esset religio. Deut. 17. Psal. 2. Vide Dauid. 2. Sam. 6. 7. Solomonem 3. Reg. 8. Asam 2. Par. 14. 15. Iosaphat 2. Par. 17. 19. Ioan. 2. Par. 24. Ezech. 2. Par. 29. 30. 31. Iosiam 2. Par. 34. & 35. &c. Christianos item imperat. Hinc regnorum salus. Hodie religionis pudet, nisi dum quæstus est. *Magistratus est Dei gloriam prouehere.*

II. Ab officio. Dati in vindictam malo-

rum,laudem bonorũ,Seruiunt igitur communi commodo,& proinde pub. boni hostes ſunt,qui his aduerſantur.

Eius officium erga ſubditos.

Interim NOTA. ¶. Quæ ſint magiſtratus erga ſubditos officia? Sunt qui in hoc ſitum putent, vt dominentur,terreant, inſoleſcant,deglubant. Sed beneficentia requiritur.Luc.21. Benefacient autem omnibus tuendo bonos & puniendo malos. His continetur Reſpub.& debitus honor paratur magiſtratibus.1.Sam.2.

III. Deus ſic vult,ne anſam præbeatis cuiquam , ſed obſtruatis ora ſtultorum & eorundem ignorantiam &c.

Libertatis Chriſtianæ ratio.

NOTA.¶1. Quæ ratio ſit Chriſtianæ libertatis? Vt ſerui Dei voluntarij faciamus quæ decet. Pſal. 110.Sic iuſto lex non poſita. 1. Tim. 1. Falluntur qui carnis licentiam quærunt.

Increduli quales.

¶2. Quòd incredulos vocat ſtultos & ignorantes. Quia ſine Dei notitia nulla ſapientia eſt.Si ſtulti, quid illorum moramur conuitia? Socrates. Oremus.

HOMILIA. XIX.

17 *Omnes honorate.Fraternitatem diligite.Deum timete,Regem honorate.*

18 *Fa-*

18 *Famuli, subditi estote cum omni timo-*
re dominis, non solum bonis & æquis
sed etiam prauis.
19 *Hoc enim gratum est, si quis propter*
conscientiam Dei, suffert molestias
iniustè afflictus.
20 *Quæ enim est laus si quum peccantes*
colaphis cædimini, toleratis? sed si
quum benefacitis, tamen afflicti tole-
ratis, hoc est gratum apud Deum.

QVandoquidem homo natura ad omne malum procliuis est, Deus qui salutem nostram vnicè expetit, varijs modis licentiam carnis nostræ coercere solet. In his primatum obtinent, verbi ministerium & Magistratus ordinatio. PER illud enim quid fieri debeat monet, & errantes in viam reuocat. PER hunc verò intractabiles & incorrigibiles gladij ministerio reprimit, & contra hos defendit bonos. Vterque ergo status in populo Dei necessarius est. Ideo de vtroque tam multa traduntur in sacris literis. ET de Magistratu quidem diligenter Petrus admonuit, quo loco haberi debeat.

Sequitur in præsenti.

I. Conclusio eius tractationis, breui sententia comprehensa, cuius partes sunt quatuor.

Omnes honorandi. ¶. I. Omnes honorate. Quasi diceret: Charitatis est, quibusuis debitum honorem impendere (non enim de adulatione loquitur) quanto magis ergo debetur hic magistratui? Vide Ro.12. Præcipitur autē hoc, quia concordiam nil æque turbat quam cōtemptus, &c.

Diffamare aliorū peccata. NOTA. ¶. Peccari grauiter ab illis, qui non nisi alijs diffamandis student. Vide quod est Matth.5.

Charitas mandatur. ¶. II. Fraternitatem diligite. Ad charitatem refertur. Meminerint & magistratus & subditi se confratres esse.

NOTA. ¶. Quàm peccent, qui confratres temere contemnunt & odiunt. Vide Ioan.15.13.1.Ioan.3.4.Rom. 13. 1. Cor. 12. 13. Nulla causa tanta sit, vt hoc vinculum rumpat.

¶. III. Deum timete. Occurrit his, qui priorum prætextu contra Deum peccant.

Timor Dei NOTA. ¶. Dei timorem omnium virtutum & actionum regulam & temperamentum esse. Est caput sapientiæ. Prou.1. Facit, ne vel propter alios faciamus, quod cum Dei voluntate pugnat.

¶. IIII.

¶. IIII. Regem honorate. Comprehendit obedientiam veram, quæ & ipsa timore Dei debet temperari, iuxta id quod habetur. Matth. 22. Vide Actor. 4. 5. &c. *Obedientia*

II. Famulos & seruos instituit, vbi NOTA. ¶. 1. Quæ illis temporibus fuerit seruitutis ratio. Erant vel bello capti vel empti. Vnde summum erat in hos dominorum ius. Origo eius ex Cham. Gen. 9. Nihilominus tamen quæ de his dicuntur, ad nostros, qui vel publice vel priuatim seruiunt, pertinent. *Seruitus.*

¶. 2. Quod officium horum. Subditi sint in timore dominis. Exponitur clarius Psalm. 123. Eph. 6. Col. 3. Requiritur fides, obsequium, industria, &c. Et hæc quidem præstanda sponte propter timorem Dei. *Seruorum officium.*

OBI. At iniquos habemus heros & iniustos, imò alienos à fide & truculentos. Respon. His non minus parendum. Addit rationem: Quia hoc demum gratiam & laudem meretur apud Deum, si quis immerito affligatur. Idem explicat per contrarium. Huc facit exemplum Iacobi Gen. 29. 30. Iosephi Gen. 39. *Etiam malis dominis parendum.*

¶. In primis vero obseruandum, quod Eph. 6. dicuntur Christo seruire. Habet hoc institutionem simul & consolationem sin-

gularem. Vtinam expenderent hoc & publici & priuati serui. Oremus.

HOMILIA XX.

21 *Nam ad hoc vocati estis, quoniam & Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplar, vt insequeremini vestigia ipsius.*
22 *Qui peccatum non fecerat, nec inuentus est dolus in ore ipsius.*
23 *Qui conuitijs affectus non vicißim conuitiabatur, quum malis afficeretur, non minabatur: sed committebat vindictam ei qui iustè iudicat.*
24 *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viueremus: cuius vibicibus sanati estis.*
25 *Nam eratis velut oues errantes: sed conuersi nunc estis ad pastorem, & curatorem animarum vestrarum.*

QVamuis multa sunt quæ Euangelij cursum remorantur, inter hæc tamen ferè primatum obtinet corrupta Euangelij professorum vita. Quia enim homines natura

natura corrupti sunt, facilè vbi solius Christi meritum prædicatur, in omnem carnis licentiam erumpunt. Factum id etiam Apostolorum temporibus, vt ex ijs, quæ hucusque Petrus scripsit colligere licet. Erant enim qui ethnicis magistratibus parere recusarent. Erant serui, qui libertatis Christianæ prætextu iugum seruitutis conabantur excutere, vel saltē malignè seruiebant. Hinc dabatur calumniandi occasio. Diligenter ergo Petrus vtrisq; occurrit, & seruos patienter heros etiam iniquos ferre iubet. Sequitur. *Scopus.*

I Plenior illorum explicatio Propositio est: Patienter ferte, quando innocentes affligimini.

Vocati sumus ad crucem.

Subijcit causas. ¶ I. Quia ad crucem estis vocati, non ad opes & voluptates huius seculi. Vide Matth. 16. 20. Ioan. decimosexto.

Falluntur qui voluptates quærunt.

NOTA. ¶ Frustra de Christo & Euangelio conqueri eos, qui non nisi opes & voluptates mundi quærunt. Non enim hos Christus, sed seipsos fallunt. Vbique siquidem scriptura crucem pijs proponit. Vide Psalm. 34. 2. Tim. 3. Act. 14. Matth. 5. 24. Ioan. 15.

Christi exemplum.

¶. II. Christus ipse eadem pertulit, vo-

bis exemplum factus, quod imitemini.

Sed hic in Christo NOTA. ¶. 1. Afflictus est, cum omnium esset innocentissimus. Vide Esa. 53. Ioan. 8. Mar. 14. Quid mirum ergo, si nos affligamur, quorum scelera nihil non supplicij merentur? Col. 3. Facit huc quod Christus ait Luc. 23.

¶. 2. Maledictis non regessit maledicta, cum vere potuisset. Matth. 26. Imò orauit pro hostibus, Luc. 23. Idem ergo & nos faciamus iuxta id quod est Matth. 5. Rom. 12. Quia hic sibi non parcunt homines, sæpe ex paruis initijs horrenda dissidia oriuntur.

¶. 3. Vindictam promisit iusto iudici, cum ipse vlcisci posset. Ioan. 18. Sic iubemur Deut. 32. Matth. 5.

Est autem consolationis plenum, quod Deus nostras iniurias vlciscitur. Vide Psal. 94. 12. 68. Exod. 22. &c.

II. Quia in Christi mentionem incidit, ne quis in hoc nil præter patientiæ exemplum obseruandum putaret, breui digressione reliquos etiam mortis Christi fructus commemorat.

Redemptionis nostræ processus.

Cæterum hic NOTA. ¶. Totum nostræ redemptionis negotium. ¶. A. Nos fuimus peccatores, imò oues errantes, quo natura corru-

corrupta significatur. Esa. 53. Huc faciunt quæ habentur Gen.6.8.Psal.51. Rom.3.Esa. 64.Impossibile ergo fuit,vt nobis ipsis subueniremus.Luc.17.

¶ B. Christus redemit,& is quidem vnus. Soli ergo debetur redemptionis nostrę gloria.Esa.42.43.63.1. Ioan.1.2.1.Tim.1.2.

¶ C. Modus:Super lignum portauit nostra peccata, id est, in se transtulit & expiauit.Vide Gal.3. Deut.21. Esa. 53.2.Cor.5.

¶ D. Finis:Vt peccatis mortui,viuamus iustitiæ. Huc pertinet quod habetur Rom. 6.Col.3.Tit.2.1.Cor.5.6.1.Thess.4.&c.

¶ 2. Quòd Christum dicit animarum pastorem & episcopum. Non ergo redemit tantùm, sed adhuc curam nostri gerit. Talem seipsum describit.Ioan.10. Luc.15.Vide item Ezech.34.Psal.23. Arguit hoc pseudopastorem Antichristum. Zach.11. Nos sub pastore Christo læti acquiescamus. Oremus.

Christus pastor & episcopus noster.

CAPVT III.

HOMILIA. XXI.

1 *Similiter vxores subiectæ sint viris: vt etiam si qui non obediunt sermoni,*

per vxorum conuersationem absq; ser mone lucrifiant.

2 *Vbi spectarint cum reuerentia* (coniun ctam) *castam cõuersationẽ vestram.*

3 *Quarum ornatus non sit externus ille in nodis capillorum, & circumposito auro, vel palliorum amictu.*

4 *Sed occultus ille cordis homo* (situs) *in incorruptione lenis ac quieti spiritus, qui est coram Deo pretiosus.*

DOminus noster Iesus Christus Matt. 5. ait: Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, &c. Et infra: Nõ omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &c. Docet hęc non sufficere fidei professionem, nisi totius vitæ conuersatio huic respondeat. Hinc est, quòd Apostoli in scriptis suis non fidei modò & salutis mysteria tractant, sed & vitæ morumq; officia præscribunt. Facit idem & Petrus ad eos scribens qui sub cruce laborabant, quò intelligant hanc per se nõ saluare, nisi præter meritum inferatur.

Sequitur coniugum institutio, & primò quidem de mulieribus.

I. Subditæ sitis vestris viris. De ijs agit, quæ infidelibus nuptæ erant, de quibus etiam

etiam 1. Cor. 7. Quia hæ putabant sibi aliquid licere. Præscribit verò subiectionem iuxta id quod est Gen. 3. Num. 30. Sic Paulus quoq; 1. Tim. 2. Eph. 5. Col. 3. 1. Cor. 14. Comprehendit hæc fidem coniugalem, obsequium, curam domesticam &c. de quibus omnibus infra plus dicetur. *Mulieribus quid præscribat*

HIC autem causam subijcit: Vt viri qui verbum audire nolunt, vxorum honesta conuersatione lucrifiant. Complectitur ergo causa hæc gloriam Dei & mariti salutem. Exemplum huius in Monica matre Augustini.

NOTA. ¶ Quantum in religione etiam & salutis negotio exempla valeant. Nihil enim efficatius ad obturandũ ora aduersariorũ. Plin. Secundus. Hinc illa Christus habet Matth. 5. Hinc illa increpatio Mal. 1. Transferant ad se singuli, & discant cauere scandala. Matth. 18. *Exempla multum valent.*

II. De ornatu & cultu corporis agit, quia maximè hic peccát mulieres. Remouet primò quibus maximè superbiunt. Deinde verum cultum subijcit. Similia sunt Deut. 22. Esa. 3. Prou. 11. 31. 1. Tim. 2.

NOTA. ¶ 1. Quod de vestium luxu tam multa habent scripturæ. Videtur res leuicula. Sed multum mali subest. 1. Inuerti- *Vestium luxus.*

tur ordo Dei. Vestes enim ob peccatum datæ. Gen.3. Luxus facit, vt huius immemo res nosipsos non agnoscamus. Vnde animi cultum impediunt, vt Cato dicebat.

2. Fenestra aperitur sathanicis tentationibus. Testantur enim de animo: Wilt nit von hunden frässen werden/ so bürz dich nit in hasenbalg.

3. Neglectus pauperum, & causa illis impatientiæ.

¶ 2. Quibus rationibus se hic defendant filij huius seculi. ¶ A. Consuetudine. At Christus via & exemplum esse debet, quod imitemur. Ioan.14.13.1. Pet.2. &c. De huius vestibus Ioan.19.

Quibus rationibus excusari soleat.

¶ B. Statu & conditione. Sed vna omnium origo. Gen.3. Vnus omnium pater, vnus spiritus, vna hæreditas. Eph.4. Quid ergo te alijs præfers, qui humiliari potius debebas? 1. Pet.5. Ioan.13.

¶ C. Iuuentute. Sed hæc maximè Deo consecrari debebat. Exod.13. Deut. 6. Psal. 78. Vide exempla 1. Samuelis 1. & 2. Lucæ 1. &c.

¶ D. Opum sufficientia. Sed longè alius harum vsus est. 1. Timoth. 6. Lucæ 16. Iac.5. &c.

¶ 3. Quis verus ornatus mulierum.

I. In-

I. Incorruptio hominis interioris, id eſt, animæ. Eſt hæc fides, qua vni Deo ſolidè adhærent. Deut. 6. Matth. 6. 22. Habet coniunctam charitatem & officia coniugalia. *Ornatus verus.*

II. Spiritus placidus & quietus. Excluduntur rixæ, ſuſpiciones, dominandi libido. Talis Abigael 1. Samuel. 25. Hic cultus pretioſus coram Deo, &c. Oremus.

HOMILIA XXII.

5 *Ita enim olim & ſanctæ illæ mulieres ſperantes in Deo, ordinabant ſeſe, ſubiectæ ſuis viris:*

6 *Sicut Sara obediuit Abrahæ, dominum eum vocans: cuius factæ eſtis filiæ, dum benefacitis, etiam cum non terremini vllo pauore.*

7 *Viri ſimiliter, vnà verſentur vt ſcientes decet, vaſi muliebri vt infirmiori tribuentes honorē, vtpote cum vnà etiam hæredes* (ſitis) *gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces veſtræ.*

DEus cœleſtis pater Geneſ. 2. ait: Non eſt bonum, vt homo ſolus ſit: faciam illi adiutorium, quod ſit coram eo. Commendatur illic matrimonij vſus, vt ſine quo *Matrimonium.*

vitam commodam viuere non liceat. At vt ex matrimonio benè instituto maximæ vtilitates proueniunt: Ita si illius ordo & vsus peruertatur, nihil non malorum gignit, priuatim & publicè. Ideo tam multa de hoc in scripturis habentur, vt Leu.18. 20. Deut.21. 22.24. Psal.128. Prou.31. Mal.2. Matt.19. Eph. 5. Colofs.3. 1. Cor.7. 1. Tim.2. &c. Et in præsenti Petrus de eadem re præcepta tradidit, à mulieribus initio facto. Præscripsit obedientiam coniugalem & cultus modestiam. Sequitur:

I. Exempla sanctarum mulierum adducit. Saræ in primis. Pertinet huc Hester cap. 14. Iudith. cap.8.9. &c. De Sara vide Gen. 18.14.20.

Sed singula, quæ Petrus hic requirit NOTA. ¶ 1. Spem collocent in Deum. Requirit hoc cumprimis humilitatem. Psalm. 51. 1. Pet. 5. Talis Maria Luc. 1. Est autem hoc consolatorium, ne in tentationibus deficiant. 1. Tim.2.

Officium mulierũ.

¶ 2. Subditæ sint viris, & vt pro Dominis agnoscant, vt Sara. Non rigidè hoc accipiendum. Satis est, si Dei ordinationem agnoscant. Gen.3. 1. Tim.2.

¶ 3. Benefaciant, maritis scilicet suis & liberis. Quia in adiutorium datæ sunt. Gen.2.

Magna

Magna hæc dos in muliere, si molestias leuare norit, non grauare sua impatientia.

¶ 4 Non terreantur vllo pauore. Respicit ad ingenium mulierũ. Suspicaces & meticulosæ sunt. Hinc superstitiosas & sæpe magicas artes exercent, quibus tam seipsas quàm suos defendunt. Sed optimum est, respicere ad Dei sententiam, Genes. 3. Et in hoc fiduciam omnem collocare, &c.

II. Maritis quoq; præscribit, quia multi imperio abutuntur. ¶ 1. Cohabitent cum scientia, *mit vernunfft*. Opus hac, partim vt tædia superare norint, partim ne amore excæcati nimia indulgentia mulierum stultitiam foueant. Huc facit similitudo capitis, Ephes. quinto. Excluditur tyrannis & insolentia.

Officium virorum erga mulieres.

¶ II. Deferant honorẽ, *haltinds in ehren*, tanquam à Deo datas. Genes. 2. Prouerb. 31. Societatem enim maximè violat contemptus.

Sed alias quoque rationes NOTA. ¶ 1. Ab imbecillitate sexus. Sunt vasa infirmiora. Vt ergo in corpore infirmioribus membris magis parcitur (1. Corin. 12.) ita hic fiat. Sic pueris ob ætatem sæpe ignoscimus. Accedunt his ærumnæ, quibus hic sexus subiacet. Genes. 3.

Vasa infirmiora.

¶2 A dignitate sexus, quam Deus contulit. Intrauit per hunc peccatum. 1. Tim.2. Sed per eundem intrauit & Christus, Gal. 4. Gen 3. In Christo non est mas, nec fœmina. Galath.3. Et ipsæ vobis cohæredes sunt vitæ.

Habet hoc singularē consolationem, quæ omnia aduersa mitiget.

¶3. Ab vtili & quasi necessario: Ne interrumpantur preces vestræ. Preces fortissimum sunt propugnaculum fidelium. Psal. 50. Isa.6.5. Iac.5. Matth. 7. At hæ quasi exarmantur discordijs & dissidijs. Vide Matt.6. 18. Si ergo has vultis esse efficaces, paci studete & mutuò infirmitatibus ignoscite. Matth.5.

Preces discordijs exarmantur.

HÆC optima ratio componendi dissidia. Quò diutius foues simultates, eò plus tibi noces. Oremus.

HOMILIA XXIII.

8 *Deniq; omnes estote concordes, mutuo molestiarum sensu affecti, fraterna præditi charitate, misericordes, comes.*

9 *Non reddentes malum pro malo, aut conuitium pro conuitio, sed contra, benedi-*

nedicentes: vt qui sciatis vos ad hoc vocatos esse, vt benedictionis hæreditatem possideatis.

PEtrus Apostolus ad vitæ innocentiam Christianos hortaturus, de quibusdam hominum ordinibus peculiariter disseruit, docens quæ nam ipsorum sint officia. Et coniugibus quidem ea præscripsit quæ ad fidem & amorem coniugalem conseruandam faciunt. Inter alias verò rationes hanc posuit: Ne interrumpantur preces vestræ. Vide Matth. 6. & 18.

Porrò quia hæc ratio communis est, & omnibus nobis amorem mutuum & concordiam suadet, hinc occasione sumpta, veram concordiam inter fideles plantare studet. Psal. 137.

SEX ergo ordine proponit, quę ad hanc faciunt.

I. Sitis idem sentientes. Vt enim concordia animorum maxima est: Ita constare nequit, si animi diuersis sententijs scindantur. In ijs etiam consensus requiritur, quæ iuxta verbum Dei fiunt. Alioqui malorum consensus non probatur. Matth. 5. *Consensus.*

NOTA. ¶ Quales censendi qui temerè ab alijs dissentiunt. Fit hoc superbia & con- *Dissentientes ab alijs quales.*

fidentia. Disſipant fundamenta Chriſtianæ concordiæ. Obſeruandum ergo hoc in religione. Vide 1.Cor.1.Phil.2.4.Itē in Repub.

II. συμπαθεῖς, id eſt, compatientes. Requirit hoc vnitas corporis Eccleſiaſtici. 1. Cor. 12. Epheſ. 4. Semina ſuſpicionis & odij cōcipiuntur quando alios noſtris malis nō moueri videmus, nec etiam bonis noſtris gaudere. Hinc illa Hebr. 13. Roman. 12. Eph.6.&c.

συμπάθεια

Hodie nulla.

NOTA. ¶ Quàm hodie peccetur. ¶. A. Tota periclitante Eccleſia nos voluptatibus carnis indulgemus. Vide Amoz 6.

¶ B. Ex aliorum incommodis noſtra quærimus commoda. Vſurarij, Milites, &c.

III. φιλάδελφοι, fraternè vos diligentes. Vera charitas requiritur, quæ finem habeat proximi ſalutem, non priuatum commodum. Talis non niſi inter fideles eſt. Quia vnum patrem habent. Matth. 5. 6. Ioan.20. Eph.4.Rom 8.Gal.4.

Amicitias Euangeliū nō dirimit

NOTA. ¶ Quàm fallantur, qui euang. amicitias ſcindi clamitant. Imò hoc ſolo charitas ἀνυπόκριτος plantatur. 1. Tim. 1. Rom. 12.2. Corinth.6.1.Pet.1. Vide Ioan.15.1.Ioan.3.4. Matth.5.

Miſericordia.

IIII. εὔσπλαγχνοι, viſceroſi, proni ad commiſerationē, herʒlich/ingrundig. Vide hiſt. 3.Reg.3.

3.Reg 3. Requiritur non modò studium iuuandi, sed vt infirmitates quoq; fratrum ferre velimus.Rom.14.

NOTA. ¶ 1. Alienos esse à fidei ingenio & charitate Dei, qui fratrum miseria non mouentur.1.Ioan.3.4.Luc.16.&c.

Quales esse oporteat in fratrum vitijs. Doleamus & studeamus lucrifacere. Rom. 9.1.Sam.15.16.

V. ταπεινόφρονες, humiliter sentiẽtes.Est hoc vinculum concordiæ firmissimum. Superbia enim non est sine aliorũ contemptu,qui concordiam non sinit subsistere. Hinc humilitas toties commendatur. Isa. 66. Prou. 6.Matth.11.Ioan.13.1.Pet.5.Iac.4. *Humilitas*

¶ Discant superbi hoc, & potius quid sibi desit adhuc consyderent,&c.

VI. Non retribuatis malũ pro malo. Est hæc altera pestis concordiæ,cupiditas scilicet vindictæ. Magnanimitatis hanc esse putant , sed maius est seipsum vincere. Vide Matth.5.Eph.4. *Vindicta.*

Additur ratio à fine vocationis Christianorum. Benedictionẽ vide Ge.12.18.22.Vide item 1.Pet.2.

¶ Interim non prohibetur , quò minus Dei gloriam & nostram innocentiam asseramus , pœnas item prædicamus hostibus. *Exceptio.*

Psalm.7.64.68.55.58.52.Ioan.8. Act.23. Absit amarulentia.Oremus.

HOMILIA. XXIIII.

10 *Itaque qui vult vitam diligere, & videre dies bonos, coerceat linguã suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum.*

11 *Declinet à malo, & faciat bonum: quærat pacem, & persequatur eam.*

12 *Nam oculi Domini* (sunt intenti) *in iustos, & aures eius in deprecationem eorũ: vultus verò Domini aduersum eos qui faciunt mala,*

QVemadmodum nemo patrumfamiliâs liberos suos dissidijs & inimicitijs scindi vult:Ita nec Christus inter suos discordiam pati potest, quos in vnum corpus redegit.Ioan.15.1.Cor.12.Ideo Apostoli tanto studio charitatem & concordiam fidelibus commendant. Eph.4.1.Cor.13.Roman.13.1.Ioan.3.4.&c. Et Petrus de eadem sic agit, vt diligenter præscribat quæ huic seruiunt, remoueat verò quæ eandem possunt impedire.His locum ex Psal.34.subiungit huc maximè facientem, qui hæc tractat.

I.Do-

I. Docet præsentis etiam vitæ fœlicitatem hinc pendere, vt vindictæ immemores faciamus quæ supra iussit.

NOTA. ¶ 1. Qui diligit vitam & dies bonos, &c. Patet: ¶ A Dei ingenium erga nos. Nõ delectatur nostris miserijs, sed vult nobis bene esse. Alioqui non præscriberet fœlicitatis rationem. Vide Matth. 5. 6. 1. Tim. 2. Ærumnæ ex nobis sunt. Leuit. 26. Deut. 28. *Deus vult nobis benè esse.*

¶ B. Fœlicitatis rationem non aliunde de quàm ex verbo Dei peti debere. Quia in solo Deo vera fœlicitas habetur. Psalm. 33. 146. Gen. 17. Psal. 16. Vt verò huic coniungamur, verbum eius docet. Psal. 118. Euertit hoc omnes humanæ sapientiæ rationes. *Fœlicitatis ratio vnde.*

¶ 2. In quibus hæc ratio fœlicitatis consistat? ¶ A. Custodiat linguam à malo, & labia non loquantur dolum. Vt enim lingua lubrica est, sic facilè erumpit ad regerenda conuitia. Hinc sæpe lites grauissimæ. Iac. 3. Necessaria ergo est linguæ custodia, cuius & ipse situs admonet. Psal. 141. 39. *Linguæ custodia.*

¶ B. Declinet à malo, & faciat bonum. Est malum, quod cum verbo Dei pugnat: bonum, quod huic congruit, quia solus bonus Deus est. Matth. 19. Dum autem declinare iubet à malo, docet hoc nobis innatum esse. Psalm. 51. Genes. 6. 8. Roman. 7. Su- *Malum.*

ſpecta ergo nobis ſint, quæcunque caro di-ctat. Col. 3.

Pax. ¶ C. Quærat pacem, & perſequatur eam. Dicit hoc, quia mundus pacem cum fidelibus habere recuſat. Ioan. 3. 15. 16. Hinc frequentes iniuriæ, vt eſt Matth. 5. Hic ſtudio opus eſt, vt nulla iniuria & ingratitudine nos ſuperari patiamur. Roman. 12. Exemplum huius in Dauide eſt. Primo lib. Samuelis 24. 26.

II. Fructus ſubijcit, quibus ſimul eos confutat, qui ſic putant ſe omnium libidini obnoxios fore.

Deus pios ſpectat. Quare NOTA. ¶ 1. Conditionem piorum, qui hæc faciunt. ¶ A. Oculi Domini ſuper hos. Videntur quidem deſeri, ſed ſemper hos videt Dominus, qui non dormit. Vide Iſa. 49.

Exaudit. ¶ B. Aures Domini patent ipſorum clamoribus. Promiſsiones Pſalm. 50. Iſa. 58. & 65. Matth. 7. Ioan. 16. Luc. 18. Pſal. 12. Hic autem Deus, cùm iuſtus ſit, vindex quoq; erit Deut. 32. Pſalm. 94. Exod. 22. Quæ ergo fœlicior & tutior poteſt eſſe conditio, quàm ſub huius Dei patrocinio deliteſcere?

Impiorũ conditio. ¶ 2. Conditionem impiorum, qui ipſi ſuas iniurias vindicant. Vultus Domini contra hos. Ira Dei notatur. Simile principis.

At

At nihil magis horrendum, quam Dei iram incurrere. Hebr. 10. Certissimum autem hoc, Matth. 6. 18. Col 3. Eò etiam progreditur, vt talium memoria excindatur: quod rectà pugnat cum ipsorum fine. Vel si quæ manet, fœtet. Ioel. 2. Discamus ergo charitati & concordiæ studere per omnia, &c. Oremus.

HOMILIA. XXV.

13 *Et quis est qui affligat vos, si bonitatis æmulatores fueritis?*

14 *Sed si quid perpetiamini propter iustitiam, beati tamen estis: cæterum timorem eorum ne timete, neq; turbamini.*

15 *Sed Dominum Deum sanctificate in cordibus vestris. Estote autem semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem eius spei quæ in vobis est, cum lenitate & reuerentia.*

QVamuis multa Christi fidelibus in hoc mundo perferenda sint, nihil tamen illis molestius esse potest, quàm si impatientia & vindictæ cupiditate se superari patiantur. Sic enim labores sibi maiores conflant, & consolationes verbi Dei minus

respiciunt. Ideo Spiritus sanctus vbique ad patientiam & mansuetudinem hortatur. Vide Isa.30.Luc.21. Matth.5. Idem Petrus facit, & Psalm 34. testimonio probat, hanc temporariæ etiam fœlicitatis viam esse compendiosissimam.

SED quia multi nulla piorum mansuetudine mouentur, quid tamen pij faciant, docet.

I. Consolatur, breui superiorum repetitione adhibita: Quis est, scilicet tam impudens & iniquus, qui vos affligat, si beneficentiæ sitis æmulatores? Quod si verò qui reperiuntur, iam non miseri, sed beati potius eritis. Sic Christus Matth. 5. Beatitudo in hôc est. ¶ A. Quia propter iustitiam & Christum patimur. Magna hæc gloria, cùm alioquin peccatis mereamur affligi. Socrates.

Beati qui affliguntur.

¶ B. Quòd socij sumus Prophetarum & eos habemus consortes, quos omnis mundus glorificat, imò ipsum Christum.

¶ C. Merces in cœlis reposita. Vide de hac Isa.64.Psal.31.Matth. 6.25. Mar.8.

Crux nobis ferenda.

Sed NOTA. ¶ Quòd ne sic quidem à cruce liberos nos fore pollicetur Petrus, si patienter feramus omnem iniuriam. Sumus oues inter lupos.Matt.10.Magna mundi im-

di improbitas .Vide Christi exemplum. Contra eos, qui ex mundi iudicio de nostra fide pronuntiant, &c.

II. Instituit quid faciant. ¶. I. Ne terreamini illorum minis & terriculamentis, &c. Sumpsit ex Isa. 8. & Matth. 10.

Quomodo sanctificetur Deus in cordibus

Sed potius sanctificate Deum in cordibus vestris. Fit hoc quando illi tribuitur, quod reuera ipsius est. Agnoscamus iustum in omnibus quæ nobis immittit. Dan. 9. Psalm. 145 Deinde fidamus promissionibus ipsius, & agnoscamus eius vires, quibus has præstare potest. Vide Gen. 17. Exod. 20. Psal. 50. 46. 56. Isa. 65. Matth. 10. Ioan. 16. Luc. 12. Matth. 28 Ioan. 14.

Hinc NOTA. ¶. Quæ hodie causa sit tam pertinacis afflictionis? Quia pauci Deum sanctificant. Non agnoscimus nos meruisse, & proinde murmuramus. Deinde non Deo, sed carni potius fidimus. Isa. 40. Psal. 146. Ier. 17.

Afflictionum causa

¶. II. Sitis parati semper ad respondendum, &c.

NOTA. ¶. 1. Quibus præcipiat hoc? Christianis omnibus vt patet ex Cap. 1. Omnium ergo est, vt de fide certi sint & eius rationem reddere possint. Commendatur studium verbi, arguiturq; illorum tyrannis,

Omnium est fidei rationem certam reddere posse.

qui libros ſacros nolunt à laicis legi. Pſalm. 1.19.119. Luc.10.&c.

¶. 2. Quid præcipiat? Vt rationem reddamus ſpei, id eſt fidei, quæ in nobis eſt. Non ergo inanem gloriationem requirit. Matth. 7. Multò minus, vt fidem hominum iudicio ſubijciamus.

Quibus? ¶. 3. Quibus debet reddi? Cuilibet petenti, nimirum vt diſcat. Non enim abſolute hoc accipi debere, patet ex verbis Chriſti Matth. 7. Item 1. Tim. 6. Non ergo patrocinatur locus hic concilij pont. patronis, &c.

¶. 4. Quomodo? ¶. Manſuetudo requi-
Quomodo? ritur, quæ pugnandi libidinem excludit. 1. Tim. 6. Item cōuitia. ¶. Timor, Dei ſcilicet. Excluditur confidentia. Sic locum habet promiſsio Chriſti. Matth. 10. Marc. 13. Oremus.

HOMILIA. XXVI.

16 *Conſcientiam bonam habentes, vt pro eo quod loquuntur aduerſum vos tanquam maleficos, pudefiant qui inceſſunt veſtram bonam in Chriſto conuerſationem.*

17 *Melius enim eſt vt bene agentes, ſi ita velit Dei voluntas, malis afficiamini,*

mini,quàm malè agentes.

18 *Nam & Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis: vt nos ad Deum adduceret, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.*

QVandoquidem homo natura fœlicitatis appetens est, nulla re perindevt cruce & aduersis offenditur. Matth.13.26. Ideo toties & tam diligenter de his Christus differit. Matth.16.5.10. Ioan. 15.16. Luc. 21. Idem in præsenti epistola & Petrus facit, & vt hucusq; vidimus, duo potissimum præscribit. ¶. 1. Patientiam, quæ omnem vindictæ cupiditatem in nobis restinguat. Facit huc quod de sanctificando Deo protulit ex Isa.8. Contra murmuratores.

¶. 2. Innocentiam, quæ testetur nos immerito hæc pati. Postremum hoc in præsenti plenius explicat. Consideremus hoc ordine.

I. Propositio & summa loci est: Habete bonam conscientiam & sanctam conuersationem in Christo.

NOTA. ¶. 1. Quod ijs, quæ de fidei ratione reddenda dixit, hæc subijcit de conscientia. Excludit ergo vanam de fide glo- *Cōscientia.*

riationem, qua multi superbiunt. Matth. 7. Obseruent hoc, qui carni dediti nil præter opes & voluptates in euangelio quærunt.

Cōuersatio. ¶. 2. Conscientiæ iungit conuersationem. Facile enim est de conscientiæ integritate gloriari. Sed de hac vitæ conuersatio verè testatur. Et solidè sanctos vult esse suos dominus. Leuit. 19. 20. Isa. 33. Psalm. 15. Matth. 5. 23. Ioan. 13. 15. 1. Cor. 5. 6. 1. Thes. 4. Vtinam hoc expenderent, qui multa de animi sui promptitudine erga Christum gloriantur. Vide Tit. 1.

II. Rationes interserit, quibus hoc persuadeat. ¶. I. Vt qui vobis detrahunt, redarguantur & pudefiant. Necessariũ hoc, quia non potest latere sancta vitæ conuersatio. Matth. 5.

Famæ nostræ quomodo cura habenda. NOTA. ¶. Quæ optima ratio sit asserendi famam nostram? Vt simus quales haberi & dici volumus. Licet enim non frangatur mundi improbitas, Dominus tamen post mortem quoq; memoriam suorum cōseruat. Psal. 34. Exempla sunt in prophetis & apostolis.

Præstat pati bene agēdo quam male. ¶. II. Quia hæc omnino voluntas Dei est, vt dum hic viuimus, affligamur. (Genes. 3. Psalm. 90.) præstat vt bene agentes potius, quam malè, hoc patiamur. Ratio huius est,

quod

quod plus ſolatij eſt in mente ſibi bene conſcia, &c.

Sed NOTA. ¶. Quod diuinæ voluntatis meminit. Docet eam modò crucem probari, quá Dominus immittit, non quam ipſi nobis temere aſciſcimus. Cõtra ἐθελοθρησκείαν. Iſa. 58. Col. 3. 1. Tim. 4. Extende, &c.

Chriſti exemplum.

III. Exemplum Chriſti, de quo duo dicit. Iuſtus pro iniuſtis pati voluit. De iuſtitia eius vide Iſa. 53. Ioan. 8. Marc. 14. Semel tantum paſſus eſt, nec niſi carne, viuificatus autem ſpiritu, & ſic lætiſsimus fuit eius paſſionis exitus. Pertinet hoc ad membra eius, iuxta id quod eſt, Ioan. 12. 14. & 17. Luc. 22. Vide 1. Cor. 15. 2 Cor. 4. Phil. 3.

Salutis myſterium.

Interim ſalutis myſterium NOTA. ¶. 1. Iniuſtos vocat. Omnes nos intelligit. Pſal. 51. Gen. 6. 8. Rom. 3. 4. Pſal. 14. 2. Cor. 5. Impoſsibile ergo fuit, vt noſmetipſos iuſtificaremus, &c.

¶. 2. Semel paſſus Chriſtus. Sufficit ergo vnĩca hæc hoſtia. Heb. 9. 10. Ioan. 19. &c.

¶. 3. Finis, Vt Deo nos adduceret. Mat thæi 3. 17. Eph. 2. Deo igitur viuamus. Rom. 6. Coloſ. 3. Galat. 2. 3. 1. Corinth. 6. 1. Theſſ. 4. &c. Oremus.

HOMILIA. XXVII.

19 *Per quem etiã spiritibus* (qui sunt) *in carcere profectus prædicauit.*
20 *Olim immorigeris, quum semel expectabat Dei patientia in diebus Noe, quum appararetur arca: in qua paucæ* (id est octo) *animæ seruatæ sunt in aqua.*
21 *Cui nunc correspondens exemplar Baptismi nos quoque seruat(non quo carnis sordes abijciuntur, sed quo fit vt bona conscientia Deum interroget) per resurrectionem Iesu Christi.*
22 *Qui est ad dextram Dei, profectus in cœlum, subiectis ipsi angelis & potestatibus ac virtutibus.*

DOminus noster Iesus Christus Ioan.17.inquit: Hæc est vita æterna ô pater, vt cognoscant te solum verum Deum,& quem tu misisti,&c. Ideo Petrus apostolus, vbicunque occasio datur, in Christi descriptionem excurrit: quò studiosius huic seruiant fideles, & aduersa ferant patientius. Fit idem in præsenti loco. Monuit,

vt

vt propter iustitiam afflicti non murmurent. Matth. 5. Inter alias vero rationes & Christi exemplum adduxit. Isa. 53. Comprehendit ibi vniuersum nostræ salutis mysterium. Id nunc plenius declarat, &c.

I. Docet saluificam Christi vim non ipsius modo personę fuisse efficacem, sed simul ad nos quoq; pertinere. IN hoc spiritu abijt & prædicauit ijs, qui in carcere erant, &c. Id est, veteribus quoq;, qui iam olim defuncti erant, Christi mors & fructus innotuit. Allegat autem eos, qui ante diluuium fuerunt, quando numerus fidelium fuit paucissimus, vt sciant multitudinē infideliū, Christi mysterijs nihil obesse. Vide Gen. 6. 7. 8. &c. *Spiritus in carcere qui*

NOTA. ¶. 1. Christum vniuersalem esse omnium seculorum saluatorem. Hunc agnouerunt patriarchæ. Gen. 3. 12. 22. Ioan. 8. Ostendit hunc Moses. Ioan. 5. Numer. 21. Deut. 18. 1. Cor. 10. Prophetæ item. Luc. 24. Ioan. 5. 1. Pet. 1. Quantò magis ergo nos illi credere conuenit, qui iam præstitum habemus? Heb. 10. *Omnium seculorum saluator Christus.*

Arguuntur, quotquot Christi meritum contrahunt, quasi pro paucis modo datus sit. Ioan. 1. 1. Ioan. 2

¶. 2. In fidei & religionis negotio non spectandam esse multitudinem. Quia diui- *Multitudo non spectanda est in religione.*

na veritas non pendet ab hominum authoritate. Isa. 40. Matt. 5.24. Et paruus ferè semper est grex fidelium (Luc. 12.) quia mundus lucem & spiritum veritatis non fert. Ioan. 3.7.14.1. Ioan. 5. Meditemur hoc diligenter nostro seculo, &c.

II. Applicat hoc nobis, vt ostendat, Christum qui veteres saluauit, nostrum quoque seruatorem esse. Habemus ἀντίτυπον veteris figuræ. Noa seruatus est è diluuio per arcam. Ita nos seruamur in Ecclesia, in quam suscipimur, per baptismum. Rom. 6. Galat. 4. Ne autem aquæ videretur tribuere saluificam vim, addit expositionem, quæ omnia Christo transcribit, &c.

Sacramentis quid tribuendum.

NOTA. ¶. 1. Sacramentis minime debere tribui, quæ Christi sunt. Vide circumcisionem. Ierem. 4. 31. Cœnam. 1. Corinth. 11. Quod si sacramenta non saluant. quantò minus quæ homines ex sese fingunt? Isaiæ vigesimo nono. Matthæi decimo quinto.

Vnde pax conscientiæ

¶. 2. Vnde pax & fidutia conscientiarum obtingat? A solo Christo, qui in se transtulit peccatum. Isa. 53. 2. Cor. 5. Matth. 3.17. Ephes. 2. Luc. 2. &c. Resurrectionis autem maxime meminit, quia per hanc victa mors, & salus plene parta est. 1. Cor. 15.

¶. 3.

¶3. Ascensionis & sessionis in cœlo meminit. ¶A. Vt Christum quæramus non in terris, sed animis fide in cœlum sublatis. Matth.24.

¶B. Vt gloria Christi crucis offendiculo medeatur. Phil.2.3. Ioan.17. Perseueremus cum hoc Christo, vt per eundem saluemur & nos, &c. Oremus.

CAPVT IIII.

HOMILIA XXVIII.

1 *Quum igitur Christus passus sit pro nobis carne, vos quoq; eadem cogitatione armamini* (nempe) *quod qui passus est in carne, destitit à peccato.*

2 *Vt nō amplius cupiditatibus hominum sed voluntati Dei, quod reliquum est temporis in carne viuat.*

QVemadmodum homo pro carnis ingenio à cruce abhorret: Ita si quando hanc ferre cogitur, se propter eam alijs sanctiorem æstimat. Vnde fieri solet, vt interim quæ præcipua sunt fidei & vitæ officia negligat. Imò quidam eò superstitionis deueniunt, vt sibijpsis crucem accersant, vo

cationibus abiectis, quas ipsis Dominus imposuerat. Ideo Christus non de cruce modò differit, sed vt propter iustitiam affligamur, requirit. Matth.5. Idem Petrus fecit Cap.2.& 3. Christi exemplo hoc ipsum suadens. Id nunc tepetens perfectam instituit ad vitæ innocentiam adhortationem.

I. Proponit denuo Christi exemplum. Ille passus est carne, vt vobis exemplum præberet.1.Pet.2.Vos ergo eodem sensu armari oportet, quem in illo cernitis. Fuit hic non patiens modò, sed & innocentissimus. Isa. 53.Luc.1.Ioan.8.Mar.14.Ioan.18.19. Matth. 27.In hoc ergo illum imitemini.

Mortis Christi consideratio facit contra carnẽ.

NOTA.¶1. Mortis Christi consyderationem plurimum posse ad mortificandum carnem nostram. Ex hac enim patet peccati atrocitas contra huius blanditias.Psalm.36. Ideo hanc & Paulus allegat,Rom. 6. Gal.2. 5. ¶ Ab omni ergo cogitatione de Christo alienissimi sunt, qui carnis studia improbè sequuntur.

Mortificatio carnis res non est leuis.

¶2. Quòd armandi voce vtitur. Innuit carnis mortificationem non esse rem tam leuiculam, quàm vulgò putatur. Sunt in hac fortissimi affectus, qui ęgerrimè vincuntur. Corroborat hos mundi exemplum, à quo recedere, stultum videtur & arrogans. Accedit

cedit sathan, qui in angelum lucis se transformare nouit.2.Cor.11.Matth.4. His omnibus resistere, animum & vires requirit plus quàm humanas. Precibus ergo opus est & armis.Vide Luc.22.Matt.26. Eph.6. &c.Vtinam hoc diligentius multi perpenderent.

II. Rationē allegat à fine mortificationis. Qui carne passus est,id est,qui hanc mortificauit & abnegauit(quod ab omnibus requiritur,Mat.16.Col.3.)ideo hoc fecit,vt à peccato cesset, nec illud in se amplius regnare patiatur,&c.Rom.6.

NOTA.¶1. Duas esse nostræ renouationis partes. ¶.A. Mortificationē carnis. Est hæc oppresio cupiditatū.Col.3. Requiritur verbū Dei. Eph.6. Externa itē carnis disciplina, sed sine superstitione.Matt.9.& 6. *Renouationis nostræ partes.*

¶B. Viuificationē spiritus: vt nimirū hic in nobis regnet. Gal.2.5.Hinc illa noua creatura,de qua Gal.6.2.Cor.5 Ex his nostri seculi homines iudica.

¶2. Opponuntur inter se cupiditates hominū & Dei voluntas.Patet hinc nostra peruersitas.Isa.55.VideGē.6.8.Ps.51.Gal.5.Ioā 3.14.&c,Vehemēter ergo errāt, qui carni & hominibus placere volunt.Iac.4.Gal.1. *Cupiditates Dei & hominum opposita.*

¶3. Optima benè viuendi regula, voluntas Dei est. Quia solus Deus bonus est, *Bene viuendi regula.*

Matth. 19. Hæc ergo ſemper ob oculos habenda, nec deflectendum ab ea vllo modo. Deuteronom. 6. 4. 12. Ad hanc examina te, vide quis fueris, & quod ſupereſt temporis Deo tribue. Oremus.

HOMILIA XXIX.

3 *Satis enim eſt nobis quod anteacto vitæ tempore libidinem gentium patrauerimus, quum incederemus in proteruis cupiditatibus, vinolentijs, commeſſationibus, compotationibus, et nefarijs ſimulachrorum cultibus.*

4 *Quamobrem (illi) non concurrentibus vobis ad eandem luxus profuſionem, peregrinari ſibi videntur, blasphemantes:*

5 *Qui reddituri ſunt rationem ei qui paratus eſt ad iudicandum viuos & mortuos.*

DOminus noſter Ieſus Chriſtus Ioan. 3. ait: Niſi quis renatus fuerit è ſupernis, non poteſt ingredi in regnum Dei. Quia enim totum hominem Deus ſibi ſoli conſecratum vult (Deut. 6. 10. Matth. 6.) is autem natura corruptus eſt, totus innouetur & regene-

generetur oportet. Hinc est, quod Apostoli tanto studio hoc vrgent, vt videre est Rom. 6.13. Galat. 2.3.5.6. Col. 3. Tit. 2. Facit idem in præsenti & Petrus. Primò autem Christi passionem proposuit, vt vel huius respectu & nos carni moriamur. Rom. 6. Deinde finem mortificationis allegauit, qui omnino hoc ipsum petit. Sequitur,

I. Argumentum ab anteactis, quo pristinæ vitæ memoriam reuocat, & scelera quibus antehac dediti fuerunt, ob oculos ponit. Similis locus Rom. 13.

NOTA. ¶ 1. Quod ait: Satis est, quod anteacto tempore, &c. Quò refertur quod paulò ante dixit: Quod superest in carne tempus, &c. Docet quicquid temporis superest à Christo cognito, id omne ipsi & voluntati ipsius consecrari debere. Sic Rom. 12. Ioan. 15. &c. Arguit hoc illorum negligentiam, qui pœnitentiæ studium subinde differunt. Tergiuersatores autem nō vult Dominus. Matth. 8. Luc. 9. *Pœnitentia non differenda.*

¶ 2. A quibus Christianos abstinere velit? A voluntate gentium. Huius verò capita quædam recenset. *Christianis à quibus abstinendum.*

¶ 1. ἀσέλγειαν, id est, lasciuiam. Comprehendit omnem libidinis speciem. Dicta impudica. Ephes. 4.5. Col. 3. Gestus procaces.

Veſtes,&c.Stupra item & adulteria,de quibus plura Matth.5.1. Cor.5.6.1.Theſſ.4.&c.

¶ 2. Concupiſcentias carnis.Intelligit omnes alias, quæ hic non commemorantur: vt auaritiam,iram,odium. Vide Matth.6.5. Epheſ 4. Coloſſ.3. &c. Has omnes frænari oportet.

¶ 3. Intemperantiam in victu,cuius tres facit ſpecies.οἰνοφλυγίαν,quæ morbus eſt animi vino per omnia dediti. Comeſſationes & compotationes ipſum actum ſignificant. Multa in ſacris contra hæc,quia omnem boni & honeſti ſenſum auferunt. Vide Prou. 23.Iſa.5.Ezec.16.22.Amoz 4.6. Luc.21.Mat. 24.Eph.5. Vtinam hodie expenderetur.

¶ 4. Simulachrorum cultum,quem abominandum vocat. Cauſam vide Deut. 4. Rom.1.Hinc illa Deut.7.1.Ioan.5.Quod eadem ſit ſimulachrorum pont.ratio patet ex Pſal.115.& Deut.4. &c. Interim vide quid ſequaris,dum ijs,quæ hic ponuntur,improbè indulges.

II. Præoccupatione reſpondet obiectioni.Videtur hoc abſurdum mundo,& conuitiatur nos,&c.R. Nō eſt quod hoc moueat. Quin rem omnem Deo committite, &c.

Chriſtiani nō pendeāt à iudicio mundi.

NOTA. ¶.1. Chriſtianos non debere à mundi iudicio pendere. Vide quid de mun

do

do Christus pronuntiet. Ioan.3.14.1.Ioan.5. Quid vicissim de nobis? Ioan.15. Quid ergo mundi opprobria moramur. Vide potius Gal.1.Iac.4.

¶2. Quod mortuorum quoq; hic meminit. Docet nihil ad pios damni redire, etiam si moriantur viuentibus adhuc impijs. Psal. 116. Ioan. 5. Sed de iudicio hoc vide Sap.4. 5.Dan.12.1.Thess.4.5.2.Thess.1. Matt.25. Vigilemus ergo, vt quacunq; hora iudex hic venerit, paratos inueniat. Matth.24. Oremus.

Mors piis non est noxia.

HOMILIA XXX.

6 *Nam idcirco mortuis quoq; prædicatū est Euangelium, vt damnarentur quidem secundū homines* (id est) *carne, viuerent autem secundum Deum* (id est) *spiritu.*

7 *Omnium autem finis imminet. Estote igitur sobrij & vigilantes ad orandū.*

QVemadmodum homo de terra sumptus est, ita terrenis rebus vt plurimum delectatur & mundo huic placere studet. Est hęc maxima tā religionis quā vitę & morū pestis. Gal.1. Iac.4. Non temere ergo Christ. hinc nos tā diligēter auocat, vt Io.15.

Matth.7.Facit idem & Petrus.Vbi nos monuit, conuersationem nostram mundo absurdam videri, & hunc probra in nos iactu-rum:mox Christi iudicis meminit, qui viuos & mortuos sit iudicaturus. Mortuos verò nominat, vt sciamus nos ne per mortem quidem ex Christi cura & protectione excidere.Psal.116.Sequitur:

I. Confirmatio eius, quod de mortuis iudicandis dixerat. Ideo mortuis quoque prædicatum est euangelium,id est, ad illos quoque penetrauit Christi meritum & virtus(supra cap.3.) vt licet carne iudicentur, id est,intereant & consumantur, spiritu tamen ipsorum animæ viuant apud Deum, qui curam ipsorum habet.

Mortuorū fidelium conditio.

NOTA.¶ Conditionem eorum qui in fide Christi moriūtur.Animæ mox transeant in vitam.Ioan.5.Probatur exemplo,Luc.23. Item Christi,Ibidem.Corpora resoluuntur quidem(Gen.3.)sed in nouissimo die resur guntad gloriam.Vide Dan.12.Ezech.37. Ps. 16.Ioan.5.Matth.22 25.1. Thessal .4. 1. Cor. 15.Phil.3.&c.

Seruiat hoc: ¶ A. Institutioni,vt iudicij huius memores Deo seruiamus fideliter. Matth.24.25.2.Tim.4.

¶ B. Consolationi in aduersis, ne mortis me-

tis metu nobis indigna faciamus. Vide Iob. 19. Phil. 3. &c.

II. Præoccupatione ijs respondet, qui iudicij diem in longinquum reijcientes tantum non in dubium vocant (2. Pet. 3.) & ait: Finis omnium appropinquauit. Sic autem loquitur: ¶ A. Quia cum Christus iam exhibitus sit, nihil quod expectemus superest, quàm Christi secundus aduentus & nostra resurrectio. Matth. 24. 25. Luc. 12. &c.

Finem quo modo propinquum dicat.

¶ B. Quia mille anni vt dies vnus coram Domino 2. Pet. 3. Imò si expendas, breue est omne temporis curriculum. Psal. 90.

Interim hic NOTA. ¶ Instabilitatem rerum huius seculi. Omnia ad finem suum tendunt, & caduca sunt. Isa. 40. Psal. 90. Disce per ea, quæ ferè magni fiunt à mundo. Psal. 37. Vanissimum ergo est, rebus mundi huius inhærere. Eccles. 1. 2. 3. 4. &c. Quin breue hoc vitæ tempus Deo tribuimus? &c.

Rerum huius seculi instabilitas.

III. Præceptis instruit, quæ tria sunt. ¶ 1. Sobrij estote. Ad animum maximè refertur, ne is grauetur curis secularibus vel opinionibus falsis. Matt 6. Psal. 13. 53. 36. Quamuis interim corporis quoq; crapula prohibeatur, vt verum ieiunium in nobis locum habeat. Lucæ 21. Matth. 9. Isa. 58.

¶ 2. Vigilate. Cura diligens salutis & pia aduentus Domini expectatio requiritur. Opus hac propter sathanæ improbitatem. 1.Pet.5 2.Cor. 11.Mar.13.Matt. 26.

¶ 3. Preces commendat, quas priorum quasi finem facit, vt his nimirum quasi armentur.

Obserua: ¶ A. Nullum his subesse meritum, sed ceu adminicula requiri. Vide Zac. 7.8.Matth.7.8.

¶ B. In precibus ardens studium postulari, Iac.1.5.&c. O quàm his nobis opus erat hodie. Quare iuxta Pauli præceptum (1. Thess.5.) indesinenter Oremus.

HOMILIA. XXXI.

8 *Ante omnia verò charitatem alij in alios propensam habentes: nam charitas operiet multitudinē peccatorum.*
9 *Hospitales estote alij erga alios, sine murmurationibus.*

QVemadmodum verè fidelis nullam in cruce & aduersis consolationem maiorem habet, quàm quòd se resuscitandum & Christum iudicem venturum esse nouit (Iob.19.Dan.12.Mar. 8. &c.) Ita vicissim

ſim eiuſdem rei conſideratio ad vitæ morumq; inſtitutionem plurimum conducit. Eccleſ. 7. Quare & Petrus hanc nobis proponit, dum ſuadet, ne mundi huius iudiciũ de nobis multum moremur. Inde verò digreſsione facta præceptis nos inſtruit, iuxta quæ vitam inſtituamus. Et primò quidem commendat quæ ad Chriſti expectationem & curam ſalutis faciunt: eò quod natura ſumus negligentiores. Vide Matth. 24. & 25. Luc. 21.

Sequuntur, quæ proximum ſpectant.

I. Charitatem in genere præcipit, & huius curam ante omnia haberi vult: quia perfectionis vinculum eſt. Coloſſen. 3. Roman. decimotertio. Quamuis aliam cauſam hic adducat.

Sed ordine NOTA. ¶ 1. Qualis charitas requiratur. ¶ A. Mutua. Omnibus enim ſcribit. Sic Chriſtus Ioannis 15. &c. Arguit hoc eos, qui ipſi quidem charitatis officia ab omnibus exigunt, cum ipſi interim nemini quicquam præſtent. Diduc igitur hoc per omnes hominum ordines. *Charitas qualis requiratur.*

¶ B. Intenſa, id eſt, vehemens ſiue ardens. Tali opus, quia multum nos inuicem offendimus propter innatum priuati commodi ſtudium. Hinc illud Chriſti habetur

Matth. 18. Excluditur autem hic fucata charitas, quæ aperta inimicitia est deterior. Psalm.41.55. Vide 1.Tim.1.Rom.12.2.Cor. 6.1.Pet.1.

¶2. Quare requirat hanc: Quia operit multitudinem peccatorum. Sumptum ex Prouerb.10. Sensus patet ex tota sententia, quæ antithesim habet. Odium excitat rixas &c. Sensus ergo est, charitatem facere, ne nobis inuicem exprobremus, & proinde concordiam in nobis conseruare. Similia Paulus habet 1. Corinth. 13. ¶ Arguuntur hinc Papistæ, qui hac sententia abutuntur ad satisfactiones nostras asserendas. Sed hæ in solo Christo sunt. 1.Corinth.1.1.Pet.2. Isa.63.

charitatis origo.

¶ 3. Vnde verò hæc charitas in homine, qui natura φίλαυτος est? Altius hic ascendendum, ad Deum scilicet. Hunc si cognoscamus, diligemus etiam. At Dei dilectio non erit sine dilectione proximi, &c. Ioannis 3. Ideo illa semper præcedit. Matth.22. Ioan.15.1.Ioan.4.

¶ Patet ergo à Dei dilectione multos alienos esse, qui hac maximè gloriantur. 1.Ioan.3.4.

II. Hospitalitatem præcipit, sub hac reliqua charitatis officia comprehendens, quæ haben-

habentur Matth. 25. Erat eius multus vsus in primitiua Ecclesia, vt patet Matt. 10. Mar. 16. Act. 1. 1. Tim. 5. &c. Ideo commendatur & Heb. 13. per exempla, Gen. 18. 19.

NOTA. ¶ 1. Charitatem ad eos quoq; extendi, qui nobis ignoti sunt. Luc. 10. In primis autē peregrini cōmendantur, eò quòd nostra opera maximè indigeāt. Ex. 22. Deut. 10. & 14. Zach. 7. Ps. 146. &c. Huc respexerūt maiores nostri, & magnam laudem adepti sunt. Sed ô quantū modò degenerauimus? *Ignoti quoque & peregrini diligendi.*

¶ 2. Sine murmurationibus hoc vult fieri. Hilarem datorem requirit Deus. Matt. 6. 2. Cor. 9. Cogita quantos sumptus alioqui facias temerè, & premium, quod hic te manet expendito. Matth. 6. 1. Tim. 6. Luc. 16. 2. Cor. 9. &c. Oremus. *Benefaciendum animo hilari.*

HOMILIA. XXXII.

10 *Vt quisq; accepit donum, ita alius in alium subministrantes, vt boni dispensatores variæ Dei gratiæ.*

11 *Si quis loquitur,* (loquatur) *vt eloquia Dei: si quis ministrat,* (ministret) *tanquā ex viribus quas suppeditat Deus: vt in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum Amen.*

QVemadmodum charitas, perfectionis vinculum, legem implet,& nil non boni in nobis operatur(Col 3.Rom.13. 1.Cor.13.)Ita vicissim philautia & quæ huic cohęrent omne bonum turbat.Primo enim affectibus nostris contra Dei voluntatem habenas laxat ad omnia flagitia.Deinde concordiam omnem turbat.Prou.10. Facit deniq;, vt donis à Deo collatis in nostram pernitiem abutamur,per inuidentiã & arrogantiam. Ideo Petrus tam diligẽter charitatem nobis commendat. Et in præsenti de donis diuinæ gratiæ, & illorum vsu disserit,hoc ordine.

Philautiæ effecta.

I. Generalem regulam de omnibus donis præscribit, quoad proximum. Singuli quod accepistis conferte inuicem, vt boni dispensatores,&c.

Dona sunt quæcunq; habemus.

Sed hic singulas voces NOTA. ¶ 1. Dona vocat, quæ acceperimus, nimirum à Deo, Iac.1.Ex nobis enim nihil habemus,cùm nudi nascamur. Iob.1.1.Tim.6. Reprimit hoc multum carnis tenacitatem, quæ ideo inuita largitur,quia de suo se largiri putat.Vide Luc.16.

¶ 2. Dispensatores variæ gratiæ. Denotatur varietas donorum,vt & 1.Cor.12.

Eorum æstimatio.

Admonet hæc: ¶ A. Ne quis sibi displiceat

ceat,si vel pauca,vel etiam minora dona accepit. Vnicuiq; enim sapiens Deus largitur, pro vt nobis conducere nouit. Matth. 25. 1. Corinth. 12.

¶ B. Ne ob magna dona insolescamus, sed sciamus eò plus à nobis requiri. Deinde agnoscamus nobis adhuc multa deesse. Suadet hoc nobis concordiam.

¶ 3. Ministrantes alius in alium. Indicant hæc vsum donorum, quoad proximum. Est hic non alius quàm ædificatio. Ro. 12. 1. Cor. 12. 14. Eph. 4. &c. Extende hoc ad omnes ordines, & vide quàm peccent, qui donis suis ad proximi pernitiem abutuntur. *Vsus.*

II. Duabus speciebus quod dixit, explicat. ¶ I. Qui loquitur, loquatur vt eloquia Dei. Dicit hoc de ministerio verbi, & docendi munere.

NOTA. ¶ 1. Quid doceri debeat in ecclesia? Nihil nisi quod Deus locutus est. Est enim hæc Dei domus. Hinc illa Ierem. 1. Ezech. 3. 33. Matth. 28. *Doctrina ecclesiæ.*

Arguuntur qui suas traditiones ecclesiæ obtrudunt. Isa. 29. Matth. 15. Gal. 1. Ioan. 10. 2. Tim. 4.

¶ 2. Qua religione in suo munere versari debeat minister, qua item constan- *Quomodo docenda.*

tia. Deus eloquia sua non vult ab impuris in os sumi. Psal.50 Deinde non dissimulandū, 3.Reg.22.

¶ II. Qui ministrat, ministret tanquam ex virtute, quam Deus suppeditat, id est, nō nitatur suis viribus, sed meminerit, se Dei ministrum esse.

Effectus à Deo est.

NOTA. ¶ In omni functione nihil effici, nisi quantum Dominus dederit. Minister ecclesiæ. 1.Cor.3.4. Magistratus. Ps.72.82. Roman.13. Prou.21. Patresfamiliâs. Ps.127. Nemo igitur suis operibus superbiat.

Finis hominis.

III. Finem omnium indicat, quoad Deū, Vt in omnibus glorificetur Deus per Christum, &c. Hic finis sit actionum nostrarum omnium. Matth.5.6. Peccant qui priuatam gloriam quærunt. Ioan.5.

NOTA. ¶ Quod addit, Per Christum. Is enim est caput nostrum, ex quo omnis virtus in nos manat, vt in vnum conpingamur, & faciamus quod nos decet. Eph.4. Phil.4, &c. Oremus.

HOMILIA XXXIII.

12 *Charißimi, ne tanquam hospites, exploratione illa per ignem, quæ fit in vobis ad vestri experimentū, percellimini, vt si peregrinum aliquid vobis accideret.*

13 *Imò*

13 *Imò in eo quod consortes estis afflictionum Christi, gaudete: vt quum patefiet eius gloria, gaudeatis exultantes.*

DOminus noster Iesus Christus Matt. 16. ait: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, &c. Duo potissimũ his præscribit: ¶. A. Vt regenerati omnia quæ carnis sunt exuamus, fideque vera ab ipso pendentes soli illi viuamus. Explicatur hoc fusius. Ioan. 3. Roman. 6. 12. 13. Tit. 2. Colos. 3. &c. ¶. B. Vt omnia, quæ hic incidunt, incommoda feramus patienter, nec his nos ab ipso abstrahi patiamur. Vtrumque in epistola hac studiosè tractat Petrus, & quia de priori multis egit, nunc denuo de cruce disputat, hoc ordine. *Regulæ Christianorum capita*

I. Proponit suam sententiam: μὴ ξενίζεσθε, id est: Ne tanquam re peregrina & inusitata commoueamini, quando æstus crucis incidit, &c. Confert vero crucem igni, nos auro, vt & 1. Pet. 1. Frequens hæc collatio in scripturis. Psal. 17. 26. 66. Isa. 48.

Sed NOTA. ¶. μὴ ξενίζεσθε. Docet hoc verbum, vt priusquam crux venit, nosmetipsos ad eam præparemus. Requirit hoc multam & diligentem meditationem, ad *Præparatio ad crucem.*

quam, quæ ſequentur, pertinent. Opus autem hac propter carnis infirmitatem, quæ facile offenditur. Matth 13.11. HINC tot & tam diligentes de cruce admonitiones extant, vt Gē. 3. Zach. 12. Pſal. 34. 2. 22. &c. Mat. 5. 10. 16 Marc. 13. Luc. 31. Actor. 14. 2. Tim. 3. &c. Vtinam in horum potius meditatione, quam rebus vanis occuparemur.

Crucis cauſæ. II. Rationes adijcit tres numero. ¶. I. Fit hoc ad probationem veſtri, non perditionem. Non putandum vero, quod Deus tanquam noſtri ignarus nos probet: quia hunc nihil latet. Pſal. 7. Ier. 11. 17. 20. Sed facit hoc partim propter alios, vt hi exemplũ noſtræ fidei habeant: partim propter nos ipſos, vt quantum adhuc nobis deſit, agnoſcamus. Quia fidei virtus nuſpiam melius quam in aduerſis noſcitur. Vide exempla Gen. 22. Sap. 10. &c.

Neceſſariã eſſe. NOTA. ¶. Eò magis neceſſariam eſſe crucem, quò nos ſumus impatientiores. Impatientia enim noſtra teſtatur, nos in fide nondum ſatis profeciſſe, nec carnem adhuc eſſe mortificatam. Quid ergo miramur, hodie non ceſſare crucem.

¶. II. Non nouum eſt hoc, nec ſolis contingit. Matth. 5. 2. Tim. 3. &c. Vide primum Dei cultorem ex Adam. Gen. 4. Hinc alios

omnes

omnes. Imò ipsum Christum, quo melius tractari non debemus. Ioan. 13. 15.

NOTA. ¶. Absurdum & fideli homine omnino indignum esse, si crucem impatientius horreat & deuitet. Arguit hoc animi insolentiam, qua se dignum censet, qui secus tractetur, quam reliqui cultores Dei. Rectius multo Helias 3. Reg. 19. *Impatientia in cruce homine indigna.*

¶. III. Consortes Christo reddemini, vt cum eodem exultetis in reuelatione gloriæ. Promissiones vide Matth. 5. Mar. 8. Ioan. 12. 14. 17. Luc. 21. Psal. 31. Isa. 64. Hinc illa 2. Tim. 2. & 4. Rom. 8. 2. Cor. 4.

NOTA. ¶. 1. Quales censendi qui fideles persequuntur, cum ipsi consortes Christi sint. Vide Zach. 2. Psal. 2. 74. & 83. Acto. 9. Matth. 10. Non est ergo quod nos de vindicta simus soliciti. *Persequutores fideliū quales.*

¶. 2. Quod ait, In reuelatione gloriæ. Occurruit ijs, qui ad præsentia modo respiciunt. In cœlis quærenda patria & solidum gaudium. Phil. 3. Heb. 11. Ioan. 14. Vide Sap. 4. & 5. Ad hanc gloriam totis animis contendamus & Oremus.

HOMILIA. XXXIIII.

14 *Si probris afficiamini in nomine Christi, beati estis: quoniam & gloriæ & Dei spiritus super vos requiescit:* (qui) *quod ad illos quidem attinet, blasphematur, quod ad vos autem glorificatur.*

15 *Ne quis igitur vestrum affligatur vt homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inspector.*

16 *Sed si vt Christianus, ne pudefiat, imò glorificet Deum hac in parte.*

QVamuis Deus facile posset suos in hoc mundo ab omni afflictione liberare & defendere, vult tamen vt varijs malis & persecutionibus exerceantur. Psalm. 34.90. Matth.16. Ioan.15.16.2.Tim.3. Permittit vero hoc, non quod nos odio habeat, sed quod carnem nostram sic compesci oportet. Simile patris, &c. Quia tamen caro nostra in his ferè impatientior est, diligenter nos instituunt apostoli, vt & hoc loco Petrus. Proposuit hic inter alia lætissimum finem crucis, quod scilicet sic gloriæ Christi consortes reddamur, iuxta illud Christi Luc.22. Ioã.12.14.17. Vide 2.Tim.2.4.2.Cor. 4.&c.

Sequi-

Sequitur præsens locus,in quo ad duas obiectiones respondet.

I. Occurrit ijs, qui propter probra & ignominiam impatientius ferunt crucem, quales ferè sunt generosiores spiritus. Responsio:Si probris afficimini proChristi nomine,beati estis.Habet ex Matth.5. Rationes subijcit: Quia spiritus gloriæ & Dei super vos requiescit. Fideles enim habent spiritum Christi.Rom.8.Gal.4. 2.Cor.1.Eph. 1.At is gloriosos reddit hos. Imò in hunc cadunt eiusmodi probra, quod illi non inultum ferent. Interim penes vos glorificatur. *Expositio loci.*

NOTA. ¶. 1. Quid sit Christi nomine affligi.'Hoc enim quidam hodie fieri negát. Sed videndum quis Christus,& quid illi tribuant scripturæ. Vide Ioan.1.3.4.6.Ma.11. Col.1.2.1.Cor.1.5.1.Ioá.2.1.1.Tim.2.Cor.1.2. &c. Quicunq; hæc illi soli vendicát,& ideo affliguntur, propter Christum crucem sustinent. *Christi nomine affligi quid.*

¶. 2. In cruce non ad mundi,sed ad spiritus iudicium fideles respiciant. Hic inuenies quod est,Matth.5.Rom. 8. IN hoc vno peccatur hodie, quod nec de ijs quæ amittimus,nec de ijs quæ proponuntur,recte iudicamus.Matth.16. *In cruce quid spectandum.*

¶. 3. In Christi spiritum peccare eos, qui pios probris afficiunt. Matth. 10. Sic ergo se Christi hostes faciunt, iuxta illud Genes. 12. Exod. 23. Vide Psal. 2. 74. 68. 83. Zach. 2. Act. 9. AN ergo nos vindictę cupidiores erimus quam ipse Deus sit? Vide Deut. 32.

II. Occurrit ijs, qui quamuis crucem sanctam & salutarem putant. Et docet cauendum, ne sceleribus pœnas mereamur. Sic 1. Pet. 3. Repetit deinde quod proposuerat.

A quibus abstinendū Euangelicis.

¶NOTA. ¶. 1. Euangelio non plantari scelera, & à quibus maximè abstinendum. ¶. A. Homicidium. Pugnat hoc cumprimis cum charitate. Vide Gen. 4. 9. Num. 35. Deut. 27. Psal. 5.

¶. B. Furtum comprehendit quæcunque proximi bonis officiunt, cum hunc potius iuuare deceat. Eph. 4.

¶. C. Facinora. Intelligit quæcunque pœnas capitales merentur. Vide Roman. 13. &c.

¶. D. Curiositas rerum alienarum. Vide de his 1. Thess. 5. 2. 3. Ephes. 4. &c. Obseruent hoc Anabaptistæ. Item patet hinc, quàm parua sit nostræ crucis gloria hoc seculo.

¶. 3. Quod iubet nos Deum glorificare,

re, quando propter Christum affligimur. Est enim hoc singulare Dei beneficium. Quia omnes peccatores,(Psal.14.130.143. Rom.3.&c.) omnes etiam propter peccata affligi meremur. Quæ itaq; gloria,si sui nominis assertores nos Christus faciat? Huc respexerunt apostoli. Rom.5. Act.5.

Pro Christo pati glorio sum.

Ingrati Deo sunt,qui hodie murmurant, & digni qui tandem ignominiose pereant. Oremus.

HOMILIA XXXV.

17 *Nam tempus est quo incipiat iudicium à domo Dei, quod si primum incipit à nobis quis erit finis eorum qui non parent Euangelio?*
18 *Et si iustus vix seruatur, impius & peccator vbi comparebit?*
19 *Itaque qui affliguntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas benefaciendo.*

QVamuis crux carni nostræ per se satis inuisa & exosa sit, accedunt tamen & alia, quæ hanc magis inuisam reddunt. Inter hæc præcipuum est, quod ferè infamiam coniunctam habet, quæ genero-

ſiores animos multum mouet. Huic ergo Petrus Spiritus ſancti teſtimonium opponere docuit, qui ſummam gloriam pollicetur. Matth.5. Rom.8. 2.Corinth.4. 2.Tim.2. 4.&c. In primis vero monuit, ne malefactis puniri mereamur, vt & cap.2 & 3.

Scopus. Porro hic alia quæſtio ſeſe offert: Cur nimirum Deus ſuos tot malis exerceat, proſpere interim agentibus impijs? Eſt hæc grauis tentatio, & frequens, vt patet ex Pſalm. 37.73. Ier. 12. Imò hodie hanc mouent, qui veritatem ex ſucceſſu metiuntur. Sed Petrum audi.

I. Producit vſitatum morem Dei. Is eſt, vt iudicium incipiat à domo ſua. Licet enim omnium gentium Deus ſit, prouidentiam tamen ſuâ in Eccleſia cumprimis vult elucere. Videtur autem alludere ad Ierem. 25.49. Iſa.51. Ezech. 9. Exempla multa ſunt. Infert autem à comparatis, multo magis impios perdendos. Vide Prou.11.

Afflictionum ratio. NOTA. ¶. 1. Quæ ratio ſit afflictionũ, quibus pij exercentur. Deus pater eſt. Mat. 6.5. Rom.8. Gal.4. Paterno igitur more corrigit. Vide diſcrimen inter filios & ſeruos. Hinc illa Pſal.94. 1.Cor.10. 2.Cor. 1. Non ergo offendamur, &c.

¶. 2. Quod dicit iuſtum vix ſaluari. Nõ

loquitur

loquitur de merito. Sed ostendit periculosum esse huius vitæ cursum, & multa obijci, quæ salutem remorentur. Vide Psalm. 90. Eph. 6. 1. Pet. 5. Luc. 23. &c.

Admonemur: ¶. A. Non secure voluptuandum & delitiandum esse, sed potius vigilantiam requiri. Matth. 24. 5. & 26. Mar. 13. Phil. 2. 1. Thess. 5. &c. Huc exempla pertinēt, Lucæ 12. 16. Vtinam hoc meditaremur. *Socordia cauenda.*

¶. B. Non appetendum esse iter molle, quod ad præcipitium damnationis ducit. Matth. 7. Quin potius cruci nos præparemus, &c. *Non querē da vita suauis.*

II. Concludit doctrinam de cruce. Sensus est: Quoniam ita vult Deus vt propter nomen ipsius patiamini, tam ipsas animas, quam omnia vestra, in Dei opt. fidei possessoris, manus deponite, vosque interim erga omnes beneficentiam exercete.

Sed singulas voces NOTA. ¶. 1. Qui patiuntur iuxta voluntatem Dei. Sic vbique scriptura eam crucem commendat, quam Deus imponit: nec vult, vt nos temere in periculum conijciamus. Matth. 10. Vide 1. Pet. 1. Heb. 12. Arguuntur qui, ipsi sibi molestias accersunt. *Quæ crux laudetur.*

¶. 2. Deponant animas suas apud fidum possessorem. Simile subest à consuetu *Nos & nostra commendamus Deo.*

dine pub. Vocat vero fidum possessorem propter promissiones. Vide Ioan. 5.12.14. 1.Cor.15.2.Tim.4.

Eadem vero & opum ratio habenda, vt omnia nostra in Dei manũ commendemus, vt Iob. Cap.1. Nã & hic promissiones sunt, Matth.16.19.Mar.10.Luc.22.&c.O si vnum hoc possemus.

Vindicta cauenda.

¶. 3. In beneficentia. Prohibet vindictę cupiditatem, quæ ferè innata est homini. Vide Matth.5.Deut.32.Psal.94.Exempla sunt, Exod.32.1.Sam.24.26.23.Rom.9.&c. Hæc ratio & tuta est, & veram quietem parit homini. Hanc ergo teneamus, & vt eandem consequi nobis liceat, Oremus.

CAPVT V.

HOMILIA. XXXVI.

1 *Presbyteros qui inter vos sunt, precor ego vnà presbyter, ac testis afflictionum Christi, atq; idem gloriæ patefaciendæ consors.*

2 *Pascite gregem qui penes vos est, curã illius agentes non coactè, sed libenter: non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo.*

3 *Neq; vt dominantes cleris, sed vt qui*

sitis

ſtis exemplaria gregis.

4 *Et quum apparuerit ille Paſtorum princeps, reportabitis immarceſſibilem illam gloriæ coronam.*

QVandoquidem Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro donorum varietate, varia quoq; in eccleſia officia inſtituit, (1. Cor. 12. 14. Eph. 4.) nequaquam ſufficit generalem habere de fide & religione doctrinam, ſed ſingulos quoq; ordines inſtituere & ſui officij admonere oportet. Idem ergo in præſenti epiſtola Petrus facit, vt patuit Cap. 2. & 3. Eodem referri debebunt, quæ & hoc cap. habentur.

Primo autem de miniſtris agit, quia ex his Eccleſiæ incolumitas maxime pendet: vnde & illa Pauli 1. Tim. 3. 4. Tit. 1. 2. &c. Ordo hic eſt. *De miniſtris.*

I. Perſonam ſuam deſcribit, ſic nimirum attentionem & beneuolentiã captans. Tria vero de ſe dicit. ¶. I. Conſenior vel Sympreſbiter. Quaſi diceret: Quia veſtri ſum ordinis, liceat mihi vobiſcum agere familiarius, &c. Sic autem dicebantur miniſtri à ſenili prudentia, vt ſenatores.

NOTA. ¶. Humilitatem Petri, qui minime ius primatus in ſe agnouit. Hic enim

Humilitas Petri. magna fuisset hoc allegandi necessitas. Imò cæteris se omnino æquat. Ioan. 13.

¶. 2. Testis afflictionum Christi. Significat non doctrinam modò, iuxta id quod est Act. 1. Sed ipsius quoque crucem, quam nomine Christi ferebat, vt Paulus Galat. 6. Finis est, vt constet illum serio agere.

Ministri quales in afflictionibus sint. NOTA. ¶. Ministrorum esse, vt patientia & constantia fidei in afflictionibus sese probent. Alioquin non videbuntur vera dicere de salutis negotio. Hinc illud Matth. 20. &c.

¶. 3. Consors gloriæ futuræ. Respicit ad promissiones, Matth. 5. Mar. 10. Ioan. 12. 14. 15. 17. Luc. 22. Et docet quò nos quoque respicere debeamus, quoties affligimur. Sed de hoc paulò post plura dicet, &c.

II. Commendat eis suum officium. Pascite quantum in vobis est gregem Christi. Sic in genere comprehendit quę ad horum officium pertinent. Est vero allegoria hæc frequens, vt patet Ier. 23. Ezech. 34. Ioan. 10. 21. Luc. 15.

Pastorum officia. Excutienda. Præcipua Pastorum officium. ¶. A. Prospicere de lætis pascuis & riuis salubribus. Habentur hæc in scripturis, qui Dei verbum continent. Isa. 55. Psalm. 19. 119. Ioan. 4. 5. 6. 2. Tim. 3. Hæc ergo vox sola

sonet.

ſonet.Ioan.10. Galat.1.

¶. B. Curare morbidas,imò & ſeparare,ne reliquæ inficiantur.Zach. 11.Pertinet huc diſciplina eccleſiaſtica.Ezech.3.33.Iſa. 58.Ier.1.2.Tim.4.Item excommunicatio.1. Cor.5.

¶. C. Vigilare & arcere lupos. Hinc illa Chriſti Matth.7.15.& 23.&c. Ob hoc multi hodie tumultuantur, cum nihil ſit perinde neceſſarium,vt patet ex Matth.24.1.Tim.3. 2.Tim.4.2.Theſſ.2.

Hæc facien da animo alacri.

SED hoc ipſum nunc per ſpecies explicat.¶.1 Non coacte,ſed voluntarie. Studiũ & alacritatem requirit.Sine hac enim maligne ſeruitur.Vide Luc.12.Matth.24.Naſcitur autem ex amore Chriſti. Hinc illud Ioan.21.&c.

¶. 2. Non ſtudio turpis lucri,ſed animo prompto & liberali.Auaritiam vetat,quę ſacra venalia reddit, & omnis mali radix eſt. 1.Tim.6.Hinc illa Mich.3.Eſa.56.Ezech.23. Ioan.10.1.Tim.6.Tit.1.Exempla itẽ 4.Reg. 5 Act.8.Ioan.2.Matth.21.Mar.11.

Humili.

¶. 3. Non ſuperbe dominantes in clerũ, id eſt,ſortem domini. Subinde autem vrget,eccleſiam Chriſti eſſe, non ipſorum iuris & dominij.Ioan.3.21.Prohibet vero ambitionem,vt & Chriſtus Matthæi 18.& 20.

Luc.22.Ioan. 13. Deniq; exemplaria gregis sint per omnia.Tit.2.Matth.5.

Rom.pont. ¶. Cum his confer Rom.Pont.& videbis qualis paſtor ſit.Zach.11.Caue ergo eius im poſturas,& gratus ſis domino, qui te liberauit,&c.

III. Præmium proponit.Cum venerit paſtorum princeps,Chriſtus,(Ioan.10.) feretis immarceſcibilem coronã,&c. Vide Mat. 24.25.2.Tim.2.4.&c. E contra hinc collige, quid malos maneat.Matth. 24.Hæc mouerunt prophetas & apoſtolos.1.Cor.9. Gal. 1.&c.

NOTA. ¶. Non ad præſentia,ſed futura præmia reſpiciendum eſſe ijs,qui Chriſto rite ſeruire voluerint.Matth. 6. Ad omnes pertinent.Oremus.

HOMILIA. XXXVII.

5 *Similiter iuniores ſubiecti eſtote ſenioribus, & omnes viciſſim ſubijcimini. Modeſtia eſtote intus ornati,nam Deus ſuperbis reſiſtit humilibus autem dat gratiam.*

6 *Submittite igitur vos ipſos potenti manui Dei,vt vos in tempore extollat.*

7 *Omni cura veſtra in eum coniecta:nã illi cura eſt de vobis.*

Quem-

QVemadmodum diues aliquis pater-familiâs varia inter suos officia distribuit, ita Deus quoque pro donorum varietate varias in ecclesia sua functiones ordinauit. 1. Cor. 12. 14. Eph. 4. Quia vero multum in singulis peccatur ab innatam nobis corruptionem, crebræ de his constitutiones sunt in scriptura, & semper ferè à ministris ecclesiæ incipitur, quorum curæ & alij commissi sunt. Ezech. 3. 33. Matt. 24. Obseruat idem Petrus vt heri vidimus.

Sequitur vicissim, quid senioribus debeatur, imò quid singuli sibi inuicem debeant.

I. Sententiam bipertitam proponit. ¶. I. De iunioribus agit. Subditi estote senioribus. Intelligendi vero hic, quotquot alios ætate & prudentia præcedunt. Similia habes, Exod. vigesimo Leuit. 19. Eccl. 8. Eph. 6. &c. *Seniores.*

NOTA. ¶. 1. Causas huius præcepti. Duę sunt principales. Primo, senectus donum Dei est, quod omnes expetunt. Exod. 20. Zach. 8. Indignum ergo hoc contemnere. *Præcepti huius causa.*

Secundo, senectus longo vsu ferè prudentior est. Vnde qui hanc spernunt, satis probant se omni saniore iuditio carere. Hinc illi communis sensus gentium quoq;

animis inſcriptus fuit ſemper, & Chriſti exemplo probatus Luc.2.

Hodie contra.

¶. 2. Quàm peccetur hodie à noſtris. Nec pueri,nec iuuenes,nec viri hic ſui officij ſunt memores. Spernuntur magiſtratus. Rom.13. Exod.22. Miniſtri verbi, Matth.10. Ioan.13. Parentes,&c. Quid mirum ergo ſi iraſcatur Dominus? Vide exemplum 2. Reg.2.

¶. II. Ad omnes ſpectat, & eos refrenat,qui ſuo imperio poterant abuti. Omnes,alij alius ſubiciamini viciſsim.

Officia mutua.

NOTA. ¶. Relationem & mutua officia requiri, quod vnice facit ad concordiam Rom. 12. Meminerint ergo ſinguli in ſua functione, ſe omnes facultates ideo accepiſſe,vt reliquis per has proſint. 1. Corin. 12.&c. Vtinam hoc obſeruaretur.

II. Quia hic maxime obſtat ſuperbia,ad humilitatem hortatur.

Humilitas animi oppoſita monaſticæ.

NOTA. ¶. 1. Humilitatem animi induite. Animi meminit, ne monaſticam hypocriſim intelligamus,de qua Iſa. 58. Matth. 6. Indui vult vt veſtem, quò in omnibus actionibus noſtris conſpiciatur.

Superbia.

¶. 2. Reſpon. Quia Deus ſuperbis reſiſtit,humilibus verò dat gratiá. Indigemus omnes Dei ope & gratia. Ideo orandum.

Matth.

Matth.6.7. Iac.1. At preces superbi & arrogantis non audiuntur.Luc.18. Vide Prou. 6.Isa.14.Eccl.10Hest.5. 6.7. Luc.14. Exépla sunt in Saule 1.Sá.13.10.15.&c.Mariæ Luc.1. Nihil ergo pestilenti⁹ homini quá superbia, &c.Quanta autem cæcitas, qui propter res vanissimas nos hoc malo inflari patimur?

III. Respondet obiectioni.Putant enim quidam indignum esse, si se subijciant inferioribus. R.Imò humiliemini sub potenti manu Dei. Quasi dicat: Deo hoc officij datis,qui sic fieri præcepit.

Addit rationes.¶ A.Ille vos extollet cùm erit opportunum.Psal.113.Luc.1.Impletum hoc sæpius in multis.

¶ B. Illi de vobis cura est. Omnem ergo vestri curam ipsi submittite,&c.

NOTA. ¶1. Non præscribendum Domino tempus auxilij.Ille cum opportunum est, iuuat. Nos illum placidi expectemus. Ps.27.40.65.&c.Extende. *Deus expectandus.*

¶2. Generalem doctrinam contra carnis nimiam solicitudinem. Deus, qui nos condidit, sua quoque prouidentia nos curat,nec nostri potest obliuisci.Isa.49. Vide Matth.6.10.Luc.12.Psalm.22. Faciamus ergo quod iubemur Psal.27.55.Hoc quia nolumus,ipsi nobis accersimus molestias. Oremus. *Cui curæ sumus.*

HOMILIA XXXVIII.

8 *Sobrij estote, vigilate: nam aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, obambulat, quærens quem deuoret.*

9 *Cui resistite firmi per fidem: scientes easdem afflictiones à vestra, quæ in mundo est, fraternitate impleri.*

QVemadmodum homo pacis & ocij natura appetens est: Ita ijsdem perniciose abutitur, dum securus nimium carnis & satanæ suggestionibus se ludificandum exponit. Matth. 12. Quare in scripturis sæpe indicatur quàm plena sit periculorum vita nostra, dum vel peregrinationi, vel militiæ confertur. Genes. 47. Iob. 7. Psal. 90. Eph. 6. &c.

Facit eódem & præsens Petri locus, qui & satanæ insidias exponit, & vt nos easdem caueamus, docet.

Salutis studium.

I. Cõmendat studium salutis indefessum. Respiciens verò ad militię rationem, duplici Metaphora vtitur. ¶ A. Sobrij estote. Temperantiam suadet in omnibus actionibus. Vt enim crapula corpus ineptum redditita qui reliquis mundi voluptatibus immerguntur, regno cœlorũ studere non possunt.

ſunt. Vide Luc.21. Epheſ.4.1. Theſſ.5.&c.

¶ B. Vigilate. Carnis torporem & curas huius ſeculi excludit. Matth. 24.25. Luc. 21. Phil.2.&c.

Rationem ſubijcit à periculi magnitudine, ceu prudens Imperator.

Vbi deſcript. ſatanæ NOTA. ¶ 1. ἀντίδικος, aduerſarius, qui coram iudice nos accuſat. Talem verò eſſe patet Iob. 1.& 2. Ideo διάβολος, quaſi calumniator dicitur. Docemur autem, noſtrum eſſe, vt Chriſto initiati indeſinenter contra illũ pugnemus. Iob.7. Eph.6. *Satanæ deſcriptio.*

¶ 2. Leo rugiens, &c. Nihil hoc truculentius & velocius. Talis ſatan, qui planè ſitit noſtrum interitum. Gen.3. Ioan.8. Quàm ſtulti ergo, qui illi credunt, illum conſulunt, & opera eius vtuntur? Vide 1.Sam.28.31.

¶ 3. Circuit. Artes & inſidias notat. Lu.22. *Inſidiæ.*

¶ A. Blanditur & ſe amicũ ſimulat. Sic Gen. 3. Sic ſcelera poteſt commendare Pſal. 36.

¶ B. Vbi reſiſtitur, ad tempus cedit, vt deinde ſecuris nobis ſuperueniat. Matt.12.

¶ C. Deſperationẽ ſuadet, dum peccatum plus ſatis exagitat, vt patet Gẽ.4. Mat.27.

¶ D. Fideles cruce tentat, & mundi fœlicitate ad æmulationẽ permouet. Pſ.37.73. Ier.12. Iob.5.2. &c. Sic nihil non nouit tentare. 2. Corinth.11. Quàm deteſtanda igitur

socordia nostra? Simile peregrinantis inter latrones & feras,&c.

II. Quid faciendum? Resistite in fide.

Quomodo oppugnandus.

NOTA. ¶.1. Resistite. Non ergo cedendũ sathanæ,qui θρασύδειλος,dum metuitur, furit. Sic Christus fecit Matth.4.

¶2. In fide. Hæc enim nostra victoria.1. Ioan.5.Intelligitur fides in Christum & verbum eius.Sciamus satanam deuictum. Ioan 12.16.Gen.3. Nihil ergo contra nos potest. Matth.16.Rom.8.&c. Contra peccati blanditias opponamus legem Dei, vt Christus Matth.4.fecit. Desperationis tela excipiamus promiss.Ezech.18.Isa.1.42.43. Matth. 9.11.18.Ioan.4.7.1.Tim.1.2.1.Ioan.2.Rom.8. 2.Cor.5.1.Cor.1.5.Matth.3.17.&c,

Arguuntur, qui exorcismis Papisticis fidunt,&c.

III. Consolationem duplicem adiungit.¶1. Pass. vestræ fraternitatis adimplentur, id est, idem vobis contingit,quod alijs fidelibus.Nemo enim est, quem non tentet hostis tam improbus, qui ne Christo pepercit.

Afflictiones pijs cõmunes.

NOTA.¶ Nimis arrogans esse, si te secus tractari velis,quàm alios Dei cultores.Vide Matth.16.2.Cor.12.

II. In hoc mundo perficiuntur istæ ten

tationes

tationes. Temporariæ ergo sunt, nec quicquam timendum in altero seculo. *Sed temporariæ.*

NOTA ¶ Falsi purgatorij authores. Vide Ioan.5. Exemplum Luc.23.2. Tim.4. His crede. Oremus. *Purgatorium.*

HOMILIA XXXIX.

10 *Cæterum Deus omnis gratiæ* (author) *qui vocauit nos ad æternam suam gloriam in Christo Iesu, paulisper afflictos, is* (inquam) *absolutos vos reddat, stabiliat, roboret, fundet.*

11 *Ipsi gloria & robur in secula seculorũ, Amen.*

12 *Per Syluanum vobis* (vt opinor) *fidelem fratrem, paucis scripsi, adhortans vos, & testificans hanc esse veram gratiam Dei in qua statis.*

13 *Salutat vos ea quæ est Babylone vobiscum electa* (Ecclesia) *& Marcus filius meus.*

14 *Salutate alij alios charitatis osculo. Pax vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu. Amen.*

D Petrus Apostolus hanc epistolam ad eos scripsit: qui sub Nerone im-

mani tyranno grauiss. persecutioné sustinebant. Multa igitur de cruce & afflictionibus pioru disputat, & ad patientiá ac fidei veræ constantiam hortatur. Interim verò, quia crux per se non probatur, nisi immerentibus nobis propter iustitiam obtingat (Mat. 5.) ad vitæ sanctimoniam multis adhortatus est, & singulorum officia tradidit. Vide cap.2.3.&c. Tandem contra diabolum, communem hostem, instruxit nos.

Sequitur totius epistolæ conclusio, quæ tria tractat.

Deus doctrinā reddit efficacem.

I. Precatur, vt Deus ipsos instaurare & fulcire velit in fide, quam didicerunt.

NOTA. ¶ 1. Quod post tam diligentem institutionem ad preces cōuertitur. Innuit frustra doceri nisi Deus incrementum det. 1.Cor.3.Ioan.3.Eph.2. Eadem ratio in omnibus alijs rebus. Psal.127. Commendat hoc religionis studium & preces. Psal.90.

Summa et ordo salutis.

¶ 2. Summā & ordinem salutis. ¶. A. Deus omnis gratiæ vocauit nos ad gloriam suam æternam. Causa ergo prima salutis, gratia Dei. Ioan.3.1.Ioan.4. Patet hoc euidentius si nos conferas cum illa gloria. Isa.64.33. Ioan.17. Vide typum. Gen.3. Excluditur omne nostrum meritum.

¶ B. Medium vocationis, est filius Dei. Sic pater docet Matt.3.17. Sic ipse filius Io-

an.10.14.15.Matth.11. Sic Apoſtoli Ioan.1. Eph.2.2.Tim.2.Heb.4.& 5.

¶ C. Vocat parumper paſſos. Conditio vocatorum,vt compatiantur Chriſto. Mat. 16.Ioan.15.16. Falluntur qui Chriſtum ſine cruce fingunt.2.Tim.2.Ioan. 15. Pertinet verò huc & mortificatio carnis,Matth.16.Roman.6.12.Col.3.

¶ D. Officium noſtrum, vt oremus pro confirmatione. Quia enim homines ſumus, preces neceſſariæ ſunt, ne quando excidamus Mat.26.Luc.22.17. &c. Pertinet huc & reliqua fidei exercitia , quæ otioſa non eſt. Gal.5.Iac.2.&c.Pſal.1.

II. Cõteſtatione graui epiſt. huius ſcopũ indicat,& ſimul pronũtiat de ſua doctrina. Verã gratiam vocat veram fidem,per quam gratia Dei acquiritur.

NOTA.¶ 1. Quæ vera fides & religio? Ea nimirũ quæ per apoſtolos eſt tradita. Hac enim Chriſtus proponitur, cui omnes ſcripturæ teſtimonium ferunt.Ioã.5.Luc.24.1. Pet.1. Vetuſtiſsima ergo. Deinde probatur ab ipſo Chriſto.Ioã.17. Mar.16. Matt.28.10. Ioã.13.&c.Tertio Spiritus S.teſtimoniũ habet,& miracula. Act.1.2. Ioã.14. 16.Mar.16. Hinc illa cõfidẽtia apoſtolorũ.Act.4.5.1.Ioan.1.2.Gal.1.1.Tim.1.1.Cor.2.&c. Obſeruemus hodie.

Fides & religio vera.

Patrũ traditiones.

¶ 2. Quàm fallantur qui patrum traditiones inculcant. Sic enim imperfectionis accusant ſcripturas, contra id quod eſt Deut. 28. Pſal. 1. 119. Ioan. 5. 2. Tim. 3. Rom. 15. De traditionibus vide Iſa. 29. Matth. 15. &c.

Romã Babylonem vocat.

III. Salutationes ponit more Apoſtolico. Salutat vos eccleſia veſtri conſors, quæ in Babylone eſt. Romam intelligit, quæ Babylon dicitur partim propter cõfuſionem, partim propter typum veteris Babyl. Vide Apo. 14. 16. 17. 18. Salutat item Marcus, &c.

NOTA. ¶ 1. Quid de Roma ſentiendum fidelibus. Si temporibus Apoſtolorum Babylon fuit, quid hodie dicemus? Vide Hieronymum.

Prouidentia Dei.

¶ Interim obſeruanda Dei prouidentia & Chriſti virtus, qui in conſpectu Neronis eccleſiam habuit, imò in eius domo. Phil. 4. Sic dominatur in medio hoſtium. Pſal. 110. 2. Matth. 28.

Pax.

¶ 2. Pax ſit cum omnibus Chriſtianis. Intelligit pacem, quæ in Chriſto datur. Luc. 2. Eph. 2. Ioan. 14. 16. Quanta ſit, vide Phil. 4. Rom. 5.

Stemus in vera hac gratia, vt pace
Dei nobis frui liceat.
Oremus.
14. *Septemb.* 1551.

IN

IN D. PETRI APOSTOLI EPISTOLAM POSTEriorem D. Rodolphi Gualtheri Pastoris Ecclesiæ Tigurinæ Homiliarum archetypi.

CAPVT I.

HOMILIA. I.

SImeon Petrus seruus & Apostolus Iesu Christi, ijs qui æquè pretiosam fidem nobiscum sortiti sunt, per iustitiam Dei nostri & seruatoris Iesu Christi.

2 *Gratia vobis & pax multiplicetur per agnitionẽ Dei, et Iesu Domini nostri.*

Anno M. D. LI. *Sept.* XV.

PRIORI epistola D. Petrus fideles sui seculi, sub graui cruce laborantes, partim consolatus est, partim monuit vt in fide vera constanter perseuerent. Simul verò ad vitæ sanctimoniam adhortans, omnes ferè ordines sui officij admonuit. Cæterũ, quia non

cruce modò, verumetiam falsis doctrinis & corrupto mundi exemplo fideles tentantur, ad eosdem hanc quoq; scribit, cui⁹ summa hæc est.

Summa epistola.

Propositio vel status est: Cauete, ne insipientium errore seducti, excidatis à fide & gatia Dei, quam semel percepistis, &c. Subijcit huic propositioni multas rationes, à definitione Christianorū, à causa efficiente, ab effectis, à fine, &c. In primis verò certitudinem euang. doctrinæ allegat, de qua & 1. Ioan. 1. 2. Gal. 1. &c. Inde ad eos descendit, qui fidem simplicium subuertunt, pseudoprophetas scilicet & Epicuræos nouissimi diei contemptores.

Petri fides erga discipulos.

NOTA. ¶ Quod non contentus priori epistola, hanc quoq; subiungit. Patet: ¶ A. Petri fides erga creditos sibi agnos. Ioan. 21. Idem facit & 1. Pet. 1. Talis Paulus iam fini proximus, Act. 20. 2. Tim. 3. 4. &c. Cum his si conferas, qui horum successione & titulis gloriantur, videbis quales sint, &c.

Crebra institutione opus habemus.

¶ B. Non sufficere, vt semel instituamur in fide & officijs vitæ. Quia enim homines sumus, crebrò labimur. Iac. 3. Prou 24. Quotidiana ergo admonitione & correctione opus est. Hinc illa 2. Tim. 3. Ps. 1. 25. Arguit hoc eos, qui omnē institutionē reijciunt. Ioan. 8. Prou. 1. 3. 4.

Sed videamus Inscriptionem, quæ tria continet.

I. Authorem indicat. Simeon Petrus. De nomine hoc vide Matth. 16. Seruus & Apostolus Iesu Christi. NOTA. ¶. Quod titulos suos non reticent Apostoli. Non faciunt hoc arrogantia, sed vt fidem facilius inueniant. Matt. 10. Ioan. 13. *Cur titulis vtantur Apostoli.*

¶ Simul autem admonemur, nemini in Ecclesia licere loqui, nisi qui vt à Christo missus quasi ex eius ore loquitur. Aliam enim vocem oues nō audiunt. Ioan. 10. Hinc illa Ier. 1. 23. Ezech. 3. 33. Isa. 29. Mat. 15. Gal. 1. &c. Obseruemus hodie diligenter. *Docere quibus liceat.*

¶ 2. Quod coniungit seruum & Apostolum Christi. Admonemur: ¶ A. Non sufficere ad docendi munus, vt quis seruus Christi sit, sed vocatione & missione opus est. Ier. 23. Contra Anabaptistas. Vide 1. Corin. 14. Eph. 4. &c.

¶ B. Neminē bonū apostolū & doctorem fore, nisi qui prius Christi seruus fuerit, &c.

II. Quib. scribit? Christianis, quos & definit. NOTA. ¶ 1. Christianos omnes sibi inuicē ęquat. Vide Eph. 4. Ro. 8. Gal. 4. Nullū ergo primatū sciuit Petrus. Ioā. 13. Luc. 22. &c. *Christiani inter se pares.*

¶ 2. Fidei nostræ fundamentum in iustitia Dei & Christi, id est, ea quæ p Christ. in nos *Fidei nostræ fundamentum.*

diffunditur. De hac omnis scriptura. Isa.43. 44. 1.53.&c.1.Cor.1.5.2.Co.5. Ro.3.4.5.&c.

¶ Arguuntur hic, quotquot proprijs meritis & operibus iustificari volunt, de quibus Luc.18. Vide Ps.130.143.51.&c.

III. Salutatio apostolica, in qua NOTA.

¶ 1. Quæ potissima bona sint, pijs expetenda? Gratia & fauor Dei. Gignit hic pacem conscientiarum, de qua Phil.4. O si pro his consequendis laboraremus.

¶ 2. Multiplicetur. Nunquam enim perfecti sumus dum hic viuimus. Semper ergo proficiamus oportet. Phil.3.

¶ 3. Per agnitionem Dei & Christi. Medium indicat. Sed oportet agnoscamus Deum nostrum esse. Gen.17. Exod.20. Huc per solum Christum peruenitur. Matt.3.17. 11. Ioã.14.&c. Pro hac cognitione Oremus.

HOMILIA II.

3 *Quum diuina vis ipsius omnia nobis donarit, quæ ad vitam & pietatem* (pertinent) *per agnitionem illius qui vocauit nos ad gloriam ac virtutem.*

4 *Ex eo quod maxima nobis ac pretiosa promissa donata sint, vt per hæc efficeremini diuinæ consortes naturæ, ela-*

psi

psi ex corruptione, quæ est in mundo per cupiditatem,

QVandoquidem homo natura corruptus est(Psal.51.Gen.6. 8. Rom.7.) & leuissima quaq; occasione à via salutis sese abduci patitur:non sufficit,eum in fide & reliquis vitæ officijs institutum esse,sed prę ter hoc quotidiana doctrina, admonitione, adhortatione , imò & increpatione opus est.Hinc illud Pauli.2.Timoth.3.Obseruant hoc diligenter omnes prophetæ & apostoli,vt & Petrus,qui licet in priori epistola omnem fidei rationem tradidisset,& ad constantiam esset hortatus, tamen & hanc subijcit,quæ argumenta habet firmissima.Præsens locus talis est.

Quum Deus omnia diuinæ suæ virtutis bona nobis donarit , etc. Propositio est: Christiani non debent deficere à fide,quam didicerunt, sed constantes perseuerare,&c. *Expositio loci.*

Insunt verò rationes. ¶ A. Quia Deus in Christo sufficienter dedit,quæcunq; ad nostram salutem pertinent. Ioan.1.Col.1.2.

¶ B. Quia hoc non aliud esset, quàm contemnere gratiam & bonitatem Dei,id quod fideles minimè decet. Habetur in his tota alutis ratio.

I. Quid Deus suis dederit. Omnia suæ diuinæ potentiæ. Nō accipiendū absolutè, sed ad ea referri debet, quæ ad salutē spectant. Addit enim quæcunq; ad vitā & pietatē &c. Vide Ioan.16.Mar.9.11.Phil.4. Rom.8.

Dei dona nemo hominum eripere potest.

NOTA ¶ 1. Quòd diuinæ potentiæ meminit. Consolationem habet. Nemo enim fidelibus quæ à Deo habent, eripere poterit, nisi qui Deo ipso robustior fuerit. At neminem, qui talis sit, inuenire licebit. Iob.39. 40.Isa.40.Psal.68. In his ergo consolationem habeamus hodie, & meditemur quod est Ioan.10.Matth.16.28.&c.

Traditiones.

¶ 2. Refelluntur qui non omnia in Christo data dicunt, & proinde ad humanas traditiones confugiunt. Aliter ipse, Ioan.4.6. 7.5.Vide de his Ier.2.&c.

II. Modus, per quem hęc data sunt: Per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute. Christū intelligit. Is enim vocat nos per Euangelium externa prædicatione, vt Matth.11. Ioan.4.6.7.8.Itē Mar. 16.Act.1. &c. Trahit itē & intus spiritu suo. Et hæc facit propria gloria & virtute, quia ipsi data omnis potestas.Mat.28.Ioan.1.&c.

Nihil boni sine Christo.

NOTA. ¶ Sine Christo nihil boni nobis obtingere. Solus enim est, in quo patri complacuit. Matth.3.17.Ioan.14.Col.1.& 2.Hinc

illa

illa Ioan.15.6.Act.4.1.Cor.2. Vanissimum ergo est aliò confugere.

¶ 2. Quòd propria virtute hæc operatur. Habet hoc magnam consolationem. De voluntate non possumus dubitare. Heb.2.4.5. Ioan.4. Arguuntur qui eos sequuntur, quos ipsi fatentur nihil posse ex seipsis.

III. Effectus. Pretiosæ & maximæ promiss. donatæ, id est, impletę sunt. Vide has Gē.3.12.22.49. Isa 42.43.44.53.61.63. Mich. 4.5. Ier.23.31. Zac.2.9.& 12.&c. Harū omniū finis est, vt diuinæ naturæ consortes reddamur. Duo continet hoc:

¶ A. Vt reparetur imago Dei, ad quā conditi sumus. In Christo enim iusti & sancti sumus.1.Cor.1.5.2.Cor.5. Parit hoc pacē conscientiarum & gaudium. Rom 8.5. *Imago Dei quomodo reparetur.*

¶ B. Æternam vitam & gloriam cū Christo. Ioan.12.14.17. Luc.22.2. Tim.2.&c.

NOTA. ¶ Excellentiā huius gratiæ. Vide quales nos natura. Ps.51. Gen.6.8. Isa.53.64. Rom.3.7.&c. O ingratos, qui hæc non expendunt, nec in tantis bonis perseuerant. Vide Isa.64.&c.

IIII. Officium vocatorum: Vt fugiant à corruptione, quę est in cōcupiscentia mundi. Comprehendit hoc innouationem totius hominis. Ioan.3. Col.3. Rom.12.

NOTA. ¶ Quod concupiſcentiæ mundi corruptionem tribuit. Vtrumq; corruptibile eſt.1.Ioan.2.Iſa.40.&c. Infœlices ergo verè ſunt, qui Chriſto neglecto, corruptibilibus ſtudijs ſeſe addicunt, &c. Oremus.

Infœlices qui.

HOMILIA III.

5 *Ad hoc ipſum verò* (vos) *omni prætcerea collato ſtudio, adijcite fidei veſtræ virtutem, virtuti verò ſcientiam.*

6 *Scientiæ verò temperantiam, temperantiæ verò tolerantiã, tolerãtiæ pietatẽ.*

7 *Pietati verò animum in fratres propenſum, animo verò in fratres propenſo charitatem.*

8 *Hæc enim ſi vobis adſunt & exuberãt, non inertes, nec infructuoſos vos efficiunt ad Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitionem.*

9 *Nam cui hæc non adſunt, is cæcus eſt, nihil procul cernens, oblitus ſeſe à veteribus peccatis ſuis fuiſſe purgatum.*

QVemadmodũ omnibus ſeculis iuſtitiarij hypocritæ fuerunt, qui ſuis operibus & meritis confiſi ſunt, (Iſa.1.29.58. Matthæi ſexto, Lucæ decimooctauo Cap.)

Ita

Ita vicissim alios inuenire licet,qui sub gratiæ Dei & meriti Christi prætextu carnis licentiam sunt secuti. Quia vero hi euangelium & totum negotium salutis vehementer infamant, grauissimè contra hos spiritus Sanctus inuehitur, vt Psalm.50.Isa.1 Ier.4.7.&c.Matth.7.Ioan.15.Tit.1.&c.Eodem referri debet & præsens hic Petri locus. Vbi enim diuinæ gratiæ dona exposuit, simul nostri nos admonuit officij. Id nunc pluribus explicat.

I. Describit studia verè Christianorũ. Est aũt illatio ad præcedentia: Quare omne studium huc conferte, vt in fide subministretis,id est,vt fidei vestræ coniungatis hæc exercitia,&c.

NOTA. ¶. 1. Quod omne studium requirit. Admonet magnæ molis hoc opus esse. Exigitur enim totius hominis innouatio.Ioan.3.Matth.16. Col.3. Est hæc carni difficillima ob innatam corruptionem. Gē. 6.8.Psal.51.Rom.7.Psal.35. Excutit hoc securitatem,&c.

¶. 2. Quæ sint exercitia fidei? ¶. A. Virtus. Comprehendit hæc omnem vitam,quę sancta & honesta esse debet, siquidem cum Deo velimus coniungi. Vide Leuit.19.20. Psal.5.15.Is.33 Mich.6.Ier.4.Matt.5.1.Thes. 4.1.Cor.5.6.

¶. B. Scientia vel prudentia rerum gerendarum. Non sufficit enim, si bona facias, sed singula suo loco, tempore & modo agi oportet. Huc pertinet Matth.10.25.&c.

¶. C. Temperantia animi. Habet hæc fortitudinem, ne affectibus & mundi illecebris nos vinci patiamur Psal.119. Hęc illa pugna, de qua 1.Ioan.2.Ioseph.Gen.39.

¶. D. Patientia. Necessaria hæc propter crucem, quam mundus, lucis impatiens Ioan.3. excitat. Ioan.15.16. Matth.16. Act.14. 2. Tim.3.&c. Hac possidentur animæ. Luc. 21.

¶. E. Pietas, vt nimirum in omnibus his, non nostram, sed Dei gloriam, quæramus. Alioquin non iuuant, imò potius obsunt, vt patet Matth.6.23. Luc. 18. Hinc illa habentur Psal.115. Item Matth.5.

¶. F. φιλαδελφία, qua res prosequamur, qui eiusdem fidei consortes sunt. 1. Cor. 12. Gal. 6. Sed simul iungenda charitas, quæ latius ad quosuis extenditur: quia secundum carnem omnes fratres sumus. Vide Luc. 10.6. Ioan.15. Matth.5.1. Ioan.2.3.4.1. Cor.13.&c.

Dignitas. ¶. 3. Quanta fidei Christianæ dignitas, quę tantas virtutes in nobis operatur. Vide Psal.1. Ioan.15. Falluntur, qui huic tanquam otiosæ detrahunt.

II. Vsum harum virtutum ostendit quò

ad

ad nos,idq; contra iustitiarios. Hæc si vobis abundent, non facient otiosos in cognitionem Christi, id est, argumento erunt, vos non frustra Christum cognouisse, vt ij de quibus est Matth. 7. Sed illum vere in vobis viuere.

NOTA. ¶. Virtutes has fidei effectus & debita esse fidelium officia, non merita. Sic alibi, Rom. 6. Eph. 4. Col. 3. 1. Cor. 6. 1. Ioan. 2. Gal. 5. 6. Sic Iac. 2. Ostende mihi fidem tuam ex factis, &c. Nihil ergo hoc iuuat iustitiarios. Quò & hoc facit, quod hæc non nobis facimus. Ioan. 15. 1. Cor. 4.

Hae exercitia nō sunt merita, sed officia & fructus fidei.

III. Ab oppositis argumentans magis vrget. Cui hæc non adsunt, is cæcus est, & palpat subinde impingens. De hac cæcitate Deut. 28. Experimur eam in multis. Imò tales obliti sunt rudimentorum fidei, quod scilicet abluti sunt per Christum. Ioan. 13. 15. 1. Cor. 5. 6. Gal. 3. 1. Pet. 2. Indigni ergo qui pro Christianis habeantur.

Caecus.

NOTA. ¶. Quid de nostri seculi hominibus iudicandū, apud quos omne vitium regnat, sicut prædixit Dominus. Matth. 24. Luc. 17. 18. 21. &c. Homines fallere possunt, Deum non item. Matth. 7. 25. &c. Emendentur quæso & Oremus.

Nostri seculi mores.

HOMILIA. IIII.

10 *Quapropter fratres, potius studete vocationem & electionem vestram firmã efficere, hæc enim si feceritis, nunquam impingetis.*

11 *Ita enim copiose subministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & seruatoris Iesu Christi.*

QVàmuis homo natura boni & fœlicitatis appetens sit, ea tamen est eiusdem cæcitas, vt summum bonum vel ignoret, vel nõn multum de eo assequendò sit solicitus. Ideo diligenti doctrina & assiduis adhortationibus opus habet, quas & vbique scriptura proponit. Matth. 24. 25. Luc. 17. & 21. 1. Pet. 5. Eph. 6. &c. Et huc in præsenti epistola Petrus apostolus respicit. Non enim contentus in fide instituisse fideles, ad perseuerantiam quoq; studiose hortatur. Quia vero multi sub prætextu fidei carnis licentiam quærunt, in præcedentibus fidei opera & fidelium officium ordine recensuit.

Sequitur præsens locus, qui hæc habet.

I. Pro-

I. Propositionem & statum totius epistolæ. Operam date, vt vocationem & electionem vestram firmam efficiatis.

NOTA. ¶. 1. Quod vocationis & electionis meminit. Electio est æternum illud Dei propositum, quo vt per Christum saluaremur, destinati sumus. Eph.1.1.Pet.1. *Electio.*

Vocatio externa est, quæ per euangelij prædicationem fit: Interna, quæ per Spiritum, de qua Ioan.6. Sunt hæc fundamenta salutis. Quia vero nō nostri arbitrij sunt, nec virium nostrarum, salutem constat esse gratuitam, vt patet Rom.8.& 9. *Vocatio.*

¶. 2. Vt hæc firma fiant? Apud Deum firma & rata sunt semper. Rom.11.Isa.40.Psal.33.Ioan.10.Matth.16. Dicuntur autem firma fieri quoad nos: partim dum ipsi alijs nostra conuersatione testatū facimus, nos esse ex electorum numero. (Ex fructu enim dignoscitur arbor. Matth.12.) partim, dum studio pietatis intenti nosmetipsos de fide & salute nostra quotidie certiores facimus. *Quomodo firma fiant*

Opera ergo non merentur salutem, sed fidei & salutis nostræ sunt argumenta. Iac.2.1.Ioan.1.&.2.&c. *Salutis ordo.*

Habes ergo hic ordinē salutis. ¶. A. Deus elegit ab æterno, idque ex mera gratia.

Roman. 9. Ephes. 1. 1. Iohan. 4.

¶. B. Electos vocat, non modò per prædicationẽ verbi, sed etiam interna reuelatione spiritus. Matth. 11. 16. Vocationem vero hi audiunt. Ioan. 10.

¶. C. Vocatos iustificat per filium, quem ipsi fide apprehendunt. Rom. 3. 1. Cor. 1. 5. 2. Cor. 5.

¶. D. Iustificati iustitiæ student, vt Christi conformes sint. Roman. 8. 6. 12. Ephes. 1. 1. Pet. 1. 1. Corinth. 5. 6. Ioan. 13. 15. 1. Thess. 4. &c.

Arguuntur his, qui sub Christi prætextu carnis licentiam quærunt. Vide Matth. 7. Tit. 1.

Item qui de electione disputantes Dei arcana scrutantur. Nõ cœlitus, sed ex tua conuersatione huius testimonium sumito, &c.

II. Rationes à fine & effectis subiungit. 1. Non labemini vnquam. Tales enim in luce ambulant, quæ illos non sinit impingere. Ioan. 1. 8. 12. 1. Ioan. 2. &c.

2. Abunde vobis ministrabitur introitus in æternum regnũ Domini nostri Christi. Deus ergo is est, qui nobis viam vitæ aperit, & abunde largitur gratiam, vt per hãc posimus ingredi. Soletur hoc nos contra dubitationes carnis, &c.

NOTA.

NOTA. ¶. 1. Beatitudo regnum Christi dicitur. Non ergo res vilis est. Vide Isa. 64. Matth. 6. Luc. 22.

Interim admonemur, solo Christo duce illuc perueniri. Ioan 14. Hunc ergo amplectamur. *Quomodo comparetur.*

¶. 2. Æternum regnum est. Dan. 2. Luc. 1. Nō ergo subiacet corruptioni huius mundi, nec per tyrannos expugnari potest. Ps. 2. 110. Zach. 12. Exempla sunt vbique obuia in historijs. Non est ergo, quod fœlicitati nostræ timeamus. Non laborat euangelici huius regni promissio, vtut nos laboremus. 2. Tim. 2. IN his simus toti, & Oremus. *Æternum est.*

HOMILIA. V.

Quapropter non negligam vos de istis semper commonefacere, tametsi periti & confirmati sitis in præsenti veritate.

13 *Iustum enim arbitror, quam diu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonefactionem.*

14 *Quum sciam breui futurum vt deponam hoc tabernaculum meum: sicut Dominus noster Iesus Christus declarauit mihi.*

15 *Sed & studebo vt vos subinde post exitum meum, poßitis horum mentionem facere.*

QVemadmodum boni patrisfamiliâs est, nō modo acquirere bona, verū etiam acquisita tueri, vt legitimis vsibus inseruiant: Ita Ecclesiæ ministros, quos suæ domus dispensatores Deus cōstituit. (Mat. 24. 1. Cor. 4.) decet, vt nō modo lucrifaciant illi multos, sed vt eosdē omni cura retineant in salute semel cognita. Exemplum huius Christus est, vt patet Ioan. 10. 17. Imitatur hunc studiose Petrus, dum scriptis suis tam seriò eos admonet, qui in fide iam erant instituti.

Porro, ne ob tam graues admonitiones videatur ipsis diffidere, in præsenti se excusat, & studij sui rationem reddit.

I. Proponit, & mox amolitur suspitionem, quam de se concipere poterant. Quasi diceret: Non hæc ideo scribo, quod de vobis malè suspicer. Scio enim vos nouisse fidei mysteria, & in veritate per Christum parta esse confirmatos. Nihilominus tamen admoneo vos, partim, quia amore vestri moueor, partim quia rei grauitas sic monet. Facit hoc ad beneuolentiam captandam, &c.

NOTA.

NOTA. ¶. 1. Quod Petrus illis instat ferio, quibus tam excellens testimonium defert. Sic Paulus, Roma. 15. Item 2. Tim. 3. 1. Tim. 4. Ita Christum fecisse videmus, Ioan. 13. 14. 15. 16. 17. Luc. 22. Matth. 26. Postulat hoc corruptio carnis nostræ. Prou. 24. Meminerimus ergo pręcepti eius quod est, 2. Tim. 4. &c. *Admonitione perpetua egemus.*

¶. Arguitur eorum insolentia, qui cum quotidie peccent circa fidem & mores, tamen admoneri nolunt. Vide Psal. 50.

¶. 2. Quod negotium fidei & salutis præsentem veritatem vocat. ¶. A. Veritas dicitur, quia in Christo impletæ promissiones & typi. Ioan. 1. 14. *Veritas præsens.*

¶. B. Præsens, ob certitudinem infallibilem. Nam quasi manibus tenemus, quod veteres olim sperauerunt. Matth. 13. Hinc illa fidutia apostolorum. 1. Ioan. 1. Gal. 1. &c. Contra eos, qui alia adhuc circa salutem necessaria inquirunt. Vide Ioan. 4. &c.

Sed videamus rationes quoq; , quibus sese excusat Petrus, quæ duæ sunt.

I. A propria persona: Scio me breui depositurum hoc tabernaculum: quia sic mihi reuelatum est. Fungor igitur meo officio, dum queo. *Vitæ breuitas confirmat nos in officio.*

NOTA. ¶. 1. Quò breuius vitæ tem-

pus superest, eò strenuius exequamur commissum munus. Post vitam enim hanc nulla superest operandi copia. Ioan. 12. Roman. 13. Simile boni operarij, &c. Hinc illud studium Pauli in carcere. 2. Tim. 2. 4. Philip. 4. Ephes. 6.

Obseruent hoc senes, qui securitati, quasi semper victuri, indulgent.

Animæ maior cura impendatur quam corpori.

¶. 2. Corpus tabernaculum vocat, simili à peregrinantibus sumpto. Vide 2. Co. 5. Heb. 11. Admonet hoc, ne nimiam curam corpori impendamus, sed animæ potius, quæ hospes est tabernaculi huius. Matth. 16. Luc. 10. &c.

II. Ab ipsorum & nostra persona. Volo, vt post meum exitum possitis horum meminisse. Cura Apostolica pro commissis ouibus. Ioan. 21. 10.

Apostolorũ scripta ad nos pertinent.

NOTA. ¶. 1. Apostolorum doctrinam & scripta ad nos pertinere. Eadem ratio totius scripturæ. 1 Corin. 10. Rom. 15. 2. Tim. 3. Imò hæ sunt veræ sanctorum reliquiæ.

Mors.

¶. 2. Vt de morte loquatur Petrus. ¶. A. Depositio est tabernaculi ruinosi. Expone miserias corporis, à quibus per mortem liberamur, &c.

¶. B. Exitus est ex hoc mundo, ex vita ærumnosa. (Psal. 90.) ad Deum. Sic Christus vocat,

vocat, Ioan.13.14.5.&c. Hæc qui norint, ijs mors formidabilis esse non poteſt. Philip.1. Oremus.

HOMILIA. VI.

16 *Non enim arte compoſitas fabulas ſequuti, notam vobis fecimus Domini noſtri Ieſu Chriſti potentiam & aduentum: ſed vt qui oculis noſtris aſpeximus illius maieſtatem.*

QVàmuis Deus pater in filio ſuo Ieſu Chriſto omnem gratiæ ſuæ plenitudinem & perfectiſsimum ſalutem dederit: (Ioan.1.Col.1.2.) ea tamen eſt hominũ corruptio & cęcitas, vt vix aliud magis auerſentur & oppugnet, quam Chriſtum & doctrinam eius. Prędictum hoc olim à prophetis. Pſal.2.& 117. Zach.12. Luc.2.&c. Neceſſe igitur, vt non obiter modo doctrina hæc proponatur, ſed ſimul eiuſdem certitudo ſolidis rationibus comprobetur. Incipit hoc in præſenti facere Petrus, vt hac cognita, fideles falſos doctores minus admittant.

Crimen falſi declinat. Nam putaret quiſpiam, vel ipſos apoſtolos, vtpote homines rudes, aſtutia & dolis aliorum deceptos eſſe: vel ipſos rerum nouarum ſtudioſos ex *Loci explicatio.*

pacto & conspiratione hanc doctrinam promulgauisse. Respondet ergo Petrus, & vtrunque negat. Non secuti sumus fabulas & sophismata aliorum. Nihil etiam ex pacto agimus. Ratio: Quia quæcunque vobis de virtute & aduentu Christi prædicauimus, ea oculis nostris vidimus. Sic Actor. 10.1.Ioan.1.Ioan.1.19.&c. Subiungit autem demonstrationis loco historiam ex Matth. 17.de qua cras dicemus. Nunc veniunt obseruanda.

Apostoli et eorum doctrina quo loco habenda.

I. Quid de apostolis & horum doctrina sentiendum. Finis, in quem vocati & electi sunt, est, vt testentur de Christo. Ioan. 15. Acto.1.Fatentur hoc ipsi.Actor.2.3.4.5.10. &c.Vt ergo testari possent,nihil illos cælauit Dominus.Viderunt miracula. Audiuerunt doctrinæ mysteria,quæ alios cælabantur.Matth.13.Adhibiti spectatores clarificationis.Matth.17.Viderunt & palparunt resuscitatum.Luc.24.Ioan. 20. & 21. Verum ergo quod dicitur Ioan.15. Vos amici, &c. Potuerunt ergo testari. Voluisse autem illos vera testari,probatur laboribus, periculis, morte denique. Quis enim mori vellet pro falso? Maxime,cum nullum ex suo officio fructum in hac vita sperare potuerint? 1.Cor.15.

NOTA.

NOTA. ¶. Quam graue ſcelus ſit, illorū doctrinæ contradicere. Inſimulantur falſi teſtimonij, quos omnes ferè homines venerantur. Imò ipſe Deus inſimulatur, qui falſos teſtes ſiſtere voluerit. 1. Cor. 15. &c.

II. Chriſtum & totum euangelij negotiū partitur in duas partes, quas ſingulatim NOTA. ¶. 1. Aduentus eſt. Comprehendit hic tempora præfinita & incarnationē. Gē. 49 Dan. 2. 9. Primum ergo eſt, vt certo ſciamus illum veniſſe, qui olim promiſſus fuit, & in quem omnes reſpexerunt, vt patet Ioan. 5. 8. Luc. 24. 1. Pet. 1. &c. *Chriſti aduentus.*

¶. 2. Potentia, quæ habet Chriſti effectus. Finis horum eſt, vt reconciliati cum Deo eiuſdem filij efficiamur. Ioan. 1. Matth. 1. 3. 17. Eph. 1. 2. Col. 1. 2. &c. *Potentia et effectus.*

Ad hoc exigebantur: ¶. A. Vt ſuperaret diabolum, & eius opera diſſolueret, qui nos captos tenebat. 1. Iohan. 3. Gen. 3. Iohan. 12. 16. &c.

¶. B. Vt à peccatis ablutos iuſtificaret ſuo merito. Iſa 53. Ier. 23. Ioan. 13. 1. Cor. 1. 5. 2. Cor. 5. 1. Pet. 2. 1. Ioan. 2. &c.

¶. C. Vt ſpiritum daret filiorum Dei, vel adoptionis. Roman. 8. Galat. 4. Ex his manant, quæ pollicetur; Iohan. 3. 4. 5. 7. 12. 14. 17. &c.

Saluator vnicus.

III. Noſtrum officium, in quo NOTA.

¶. 1. Non alium quæri debere ſaluatorem, cum de hoc tam certa ſint teſtimonia. Ad ſe ſolum ipſe quoq; inuitat, Ioan. 4. 7. Matth. 11. &c. Vide Ier. 2. Iſa 55.

¶. 2 Studere innocentiæ, in quam nos conſtituit, & pugnare contra diabolum. 1. Cor. 5. 6. 1. Theſ. 4. Ioan. 13. Rom. 12. Ephe. 6. 1. Pet. 5. &c.

IN his ſimus, nec moremur quæ præter hæc obtrudunt humanæ traditiones. Oremus.

HOMILIA. VII.

17 *Acceperat enim à Deo patre honorẽ & gloriã, voce ad eum delata huiuſ modi à magnifica gloria.*

18 *Et hanc vocem nos audiuimus è cœlo delatam, quum eſſemus vnà cum eo in monte.*

DOminus noſter Ieſus Chriſtus Ioan. 15. apoſtolis ait: Non poſthac vos dico ſeruos: quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, &c. Declarat ea ſententia Chriſtus, non modo bonitatem ſuam qua apoſtolos ſuos complexus eſt, verumetiam quæ debeat apoſtolorum & doctrinę eorundem eſſe authoritas.

In

In hac enim duo obſeruari oportet. ¶. A. Ha buiſſe apoſtolos plenam myſteriorum Chriſti & ſalutis cognitionem. Matth. 13. Potuerunt ergo verum teſtari. ¶. B. Fidos fuiſſe Chriſto, & voluiſſe verum teſtari. Perfidos enim noluiſſet pro amicis agnoſcere Chriſtus. Ioan. 15. 17. Hinc illa apoſtolorum fiducia. 1. Ioan. 1. Gal. 1. Act. 4. 10. &c. *Locus Ioh. 15.*

ET in præſenti authoritatem ſuæ doctrinæ ſolidis argumentis Petrus aſſerit. Propoſitio eſt: Ipſi nõ ſumus decepti, nec alios voluimus decipere. Probat: Quia omniũ, quæ prædicamus de Chriſto, ſumus teſtes oculati, &c. Meremur ergo fidem.

Sed obijciat aliquis. Nihil in Chriſto vidiſtis prẹter ignominiam, infirmitatem & crucem. Matth. 8. &c. At vos diuina & cœleſtia illi tribuitis. Non poteſt ergo veſtrum teſtimonium fidẽ mereri. Sic enim argumentatur mundi ſapientia. 1. Corin. 1. &c. Reſpondet ergo Petrus: Imò vidimus eiuſdem gloriam. Producit verò hiſtoriam clarificationis, quæ pluribus deſcribitur, Matt. 17. Mar. 9. Concurrunt in hac Moſis, Eliæ & patris Dei teſtimoniũ. Seruitiũ item nubis. Clarificatio, &c. Veriſsimum ergo quod Petrus teſtatur. *Clarificationis Christi hiſtoriam producit.*

Poterant etiam adduci Reſurrectio.

Cur. Iohan.20.21. Actor.10. Ascensio in cœlos, Actor.1.&c. Sed hac historia contentus est, quia plene omnia Christi & salutis mysteria comprehendit. Inspiciamus ergo circumstantias.

I. Locus. Fuit mons Thabor, altus & sublimis. Sanctum vocat hic, ob præsentem historiam ibi gestam. Sæpe autem montes ascendit Dominus, vt Matt.5.14.24.26.&c. In præsenti admonere voluit discipulos, nihil ipsis quam diuinum & cœleste hic expectandum.

Mysteria Christi quo modo cognoscenda. Interim NOTA. ¶. Officium nostrum in cognoscendis mysterijs Christi. Superari oportet terrenas cogitationes, & animi toti eleuandi sunt. Nulla enim inter nostras & Dei vias coniunctio & similitudo. Isa.55. &c. Sic calceos ponit Moses. Exod.3. HIC ergo causam vides, cur hodie multi fallātur.

II. Personæ. Princeps omniū Christus, in quo omnis thesaurus scientiæ. Col.2.1. Cor.1. Ex viuis secum habet tres selectos è toto mundo. Ioan.15.13,19.21. E mortuis accedunt duo præstantissimi. Moses, de quo Nū.12. Heb 3. Elias prestantiss. Prophetarū.

NOTA. ¶. Concilium vere catholicum & sanctum, Quis enim Spiritum sanctum abfuisse putet? Ad hunc modū conuocanda erant

erant concilia. Adessent veri Christi ministri, legitimè vocati, non iurati in aliorum verba. Locus daretur Mosi & Eliæ, scripturis inquam, de quibus Ioan. 5. Roman. 15. 2. Tim. 3. Hodie omnia diuersa sunt. *Concilia verè catholica quæ.*

III. Sententia vel decretum, in quo NOTA. ¶ 1. Authorem qui pronuntiat. Vox è nube auditur. Hic dicitur delata à magnifica gloria, id est, Deo, cuius gloria & maiestas est ineffabilis. Exod. 3. 34. &c. Meritò ergo singularis authoritatis esse debet. *Deus.*

¶ 2. De quo pronuntietur? De Christo, & solo quidem, vt est Luc. 9. Consortem enim non fert. Isa. 42. 63. Et in solum competunt, quæ de Messia habentur. Ioan. 5. Luc. 24. 1. Pet. 1. *Christus.*

¶ 3. Quid? ¶ A. Hic est filius meus dilectus. Essentia Christi notatur & diuinitas. Ioan. 1. 5. 17. Potest ergo præstare quæ vult.

¶ B. In quo mihi complacui. Officium Christi, reconciliari nos patri. Eph. 1. 2. Col. 1. Matth. 18. Et solius quidem est hoc Ioan. 14. Matt. 11. 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2. 1. Heb. 4. 5. &c. *Officium eius.*

¶ C. Ipsum audite. Nostrum officium. Ipse catholicus & irrefragabilis doctor. Deutero. 18. Isa. 61. &c. Ad hunc referendæ omnes controuersiæ. Sic Paulus 1. Corinth. 7. 11. &c. Oremus. *Nostrum.*

HOMILIA VIII.

19 *Et habemus firmißimum sermonē pro*
pheticum, cui rectè facitis quod atten-
datis, velut lucernæ splendenti in ob-
scuro loco, vsq; dum dies illucescat,
& lucifer exordiatur in cordibus ve-
stris.
20 *Si illud primū noueritis, nullā prophe-*
tiam scripturæ esse propriæ explica-
tionis.
21 *Nō enim libidine hominis allata est o-*
lim prophetia, sed acti à spiritu S. locu
ti sunt sancti Dei homines.

DOminus noster Iesus Christus Ioan. 15. discipulis suis ait: Si sermoné meū seruauerunt, & vestrū seruabūt. Quibus verbis eos præmunire vult, ne facilè offendantur, si doctrinā suam minus recipi viderint. Quia enim mundus terrenis studet, æternū Dei verbū, quo ab his auocamur, magni facere nō potest. Ioan. 3. Hinc perpetua cōtradictio. Luc. 2. Cęterū, ne simpliciores hac offendātur, apostoli suā doctrinā semper multis & firmis rationibus muniūt, vt & Petr⁹. ¶ A. Probauit, se & reliquos apost. non fabulas, sed visa & plenè comperta tradere. Sic

Petrus doctrinam suam vt confirmet.

1. Ioan.

1.Ioan.1.Ioan.1. Imò ipſe Chriſtus hoc fatetur de illis,Ioan.15.&c.

¶ B. Teſtimonium patris de Chriſto producit,ex Matth.17.Mar.9.Luc.9.&c.

Sequitur tertium teſtimonium,prophetiæ ſcilicet,quod hoc ordine tractat.

I. Habemus firmiorẽ adhuc ſermonẽ, propheticũ ſcilicet.Dicit hoc reſpectu infirmiorum, qui ex Iudaiſmo cõuerſi erãt. Hi enim plus fidei tribuebant prophetijs, in quibus educati erant,quã hiſtoriæ euang. Simul verò laudat illorũ circa prophetias ſtudiũ,&c.

NOTA. ¶ 1.Prophetias de Chriſto ex veteri Teſt.Extant enim de omnibus,quæ ille habet.Vtraq; natura exprimitur.Gen.3.Iſa. 53.Mich.5.Pſal.110.Zach.13.&c. *Prophetia de Chriſto.*

Maiores,Gen.12.22.49.2. Sam.7. Pſal.89. Iſa.11.Ier.23.Vide Matth.1.Luc.3,&c.

Virgo mater.Iſa.7.Pſal.110.

Tempus.Gen.49.Dan.2.9.

Locus.Mich.5.Matth.2.Miracula. Iſa.35. Ioan.7.

Mors & quæcunq; hanc ſecuta ſunt. Iſa. 53.Dan.9.Pſal.22.16.110.

Vocatio item Gentium. Iſa. 2. 49. Mich. 4.Dan.2.&c. Hinc illa Chriſti Ioan.5.Luc. 24.1.Pet.1.&c.

Ex his etiam patet, quæ vetuſtiſsima ſit religio.Ioan.8.

Scripturæ S. vsus. ¶ 2. Vsum prophetiarum, imò totius scripturæ. Lucerna sint nobis, dum in caligine huius mundi versamur. Psa. 119. Plena enim cognitio in cœlis demum continget. 1. Corinth. 13.

Sapientia carnis. Admonemur autem : ¶ A. Sapientiam carnis omnem vanam esse. Palpat enim in tenebris, & spiritualia non capit. 1. Cor. 2.

Verbum Dei. ¶ B. Vt Deus suos regat Verbo suo, quo nos illuminat sui cognitione, & viam monstrat. Psal. 19. 2. Qui hoc recipiunt, ijs spiritum quoq; largitur, qui intus moueat. Matthæi 13. 25. &c. Alieni ergo à Deo sunt, qui per verbum eius se regi nolunt. Ioannis 8. Psalm. 2. &c.

II. Methodum tradit, quam sequantur, qui in prophetijs cum fructu versari velint: contra eos, qui suis persuasionibus præoccupati accedebant, de quibus 2. Corinth. 3. & 4.

HOC ante omnia tenendum, Prophetias script. non esse nostri arbitrij, vt quiuis pro suo sensu eas exponat. Causa: Quia illi homines ex impulsu spiritus sancti loquuti sunt.

Scripturæ S. authoritas. NOTA. ¶ 1. Scripturæ authoritatem. θεόπνευστος dicitur 2. Tim. 3. Poteſt hoc conijci ex decalogo & lege naturæ. Hinc factum, quòd

quod semper magno in precio fuit. Debet hoc nos ad eius studium accendere. Psal. 1. Quid enim excellentius, quàm Deum habere collocutorem? Obseruent hoc, qui dicterijs eam incessunt.

¶ 2. Quomodo in scripturis versandum?

¶ A. Diuinitus inspiratas esse agnoscamus. Nisi enim hoc animis parsuasum sit, nunquã vel reuerentiam vel obsequium præstabimus. Hinc est, quòd multi frustra audiunt. Ezech. 33. *Quomodo in his versandum.*

¶ B. Intelligamus eius interpretationem non ex nostro arbitrio pendere, sed abdicato carnis sensu, nos spiritus magisterio subijci debere. Facit huc scripturarum collatio qua Christus vtitur Matth. 4. 22. Item scripturas scrutari inbet. Ioan. 5. *Interpretatio.*

IN hoc hoc multi impingunt, quod non ex scrip. discere, sed opiniones ante conceptas his confirmare student, &c. Oremus.

CAPVT II.

HOMILIA IX.

1 *Fuerunt autem & pseudoprophetæ in populo: vt etiam inter vos erant falsi doctores, qui subintroducent hæreses*

exitiales, etiam Dominum qui illos mercatus est, abnegantes, accersentes sibipsis velox exitium:

2 *Et multi sequentur eorum exitia, per quos via veritatis blasphemabitur. Et per auaritiam fictis sermonibus vos negociabuntur.*

Veritatis euang. demonstratio.

QVandoquidem D. Petrus hac epistola Christianos ad constantiam in fide cognita & suscepta hortari instituit; magno studio doctrinæ euang. certam & infallibilem veritatem demonstrauit. ¶ A. Quia Apostolos suos testes esse Christus voluit (Ioan.15. Act.1.) ostendit, ipsos quod fideles testes decet, fideliter præstitisse. Sic Act.10. 1.Ioan.1.&c.

¶ B. Dei patris testimonium allegat, quod omnem salutis rationem in Christo concludit. Vide Matth.17.

¶ C. Prophetias vet. Test. citat, de quibus & 1.Pet.1. Item Ioan.5. Luc.24.&c.

Ne autem superuacanea videretur hæc diligentia, nunc de periculis quoq; agit, quę fidem nostram subuertere possunt: & primo quidem de falsis doctoribus.

I. Erunt in vobis falsi doctores. Dicuntur tales, qui quocunque modo salutis do-

ctrinam

ctrinam peruertunt. Probat id ab exemplo. Quasi dicat : Eadem est veteris Ecclesiæ & nouæ ratio. In veteri verò fuerunt falsi prophetæ. Ergo &c. Vide historiam Mosis Exod. 7. 8. &c. Baalam Numer. 22. 23. 24. Baalitæ, 3. Regum. 18. 22. Item Ierem. 23. 28. Amoz. 7. &c.

NOTA. ¶ 1. Cur Deus hoc genere tentationis ecclesiam semper voluerit vexari? Vt nimirum sic probetur fides nostra. Deu. 13. 1. Corinth. 11. Non est ergo quòd hodie offendamur. *Pseudodoctorum causa.*

¶ 2. Quòd de ijsdem semper præmonuit. Sic olim factum Deut. 13. 18. Sic Christus Matth. 7. 24. Apostoli Act. 20. 1. Tim. 4. 2. Timoth. 3. 4. 2. Thess. 2. 1. Ioan. 2. &c. Paterna planè cura Dei pro nobis, quæ nos attentos facere docet. Erimus enim inexcusabiles, si nos seduci patiamur. 2. Thess. 2. &c. *Cur præmoneamur.*

II. Opera & notæ, ex quibus agnoscantur. ¶ I. παρεισάξουσι, iuxta vel clam inducent sectas perditionis.

NOTA. ¶ 1. Secta quid? Institutum vitæ vel fidei nouum præter verbi diuini regulam inuectum. Vbi tales sunt, ibi vnitas Ecclesiæ scinditur & à Christo abstrahuntur homines. Ideo perditio illis tribuitur. Vide exemplum 1. Cor. 3. *Secta.*

Vt inducantur.

¶ 2. Modum, quo hæ inducuntur. Subdolus hic eſt. Fatentur enim Chriſtum, Eccleſiam, fidem, &c. Sed Chriſto coniungunt ea, quæ ſectas pariunt. Sic factum per Monachos, qui in infinitas ſectas ſciderunt Eccleſiam Chriſti, ipſi inter ſe diſsidentes.

¶ II. Negabunt Dominum, qui ipſos mercatus eſt. Magnum hoc & horribile, &c.

Negare Dominum quid.

Sed NOTA. ¶ Quid ſit negare Dominum. Eſt abſoluta negatio, vt apud impios. De hac enim loquitur. Eſt deinde, qua Ieſum negamus eſſe Chriſtum illum, id eſt, vnicum ſaluatorem: & quæ illius ſunt, tribuimus alijs. 1. Ioan. 2. Pugnat hoc planè cum fide, quæ vni Chriſto deſpondet. Pſal. 45. 2. Cor. 11. &c. Vide Iſa. 42. Hinc illa Ier. 2. Ioan. 6. Matth. 11. Sed quàm vulgaris hæc abnegatio hodie inter Chriſtianos?

III. Blaſphemant viam veritatis. Eſt hæc Chriſtus. Ioã. 14. Proponunt hunc ſcripturæ, quæ in hac via quaſi lucernæ ſunt. Pſal. 119. Supra Cap. 1.

Veritas vt blaſphemetur.

NOTA. ¶ Vt hæc blaſphemetur? Quando ſcripturis derogatur, & negatur quod hæ in Chriſto docent. Frequens hoc. Imò hæreſeos accuſantur, qui ſolis Scripturis credunt.

IIII. Negotiabuntur de vobis fictis fabulis

bulis. Vbi ſimul cauſa mouens notatur. Religio enim illis quæſtus eſt. Ioan.2. Matt. 21. 23. Hoc tam verum de papatu, vt nihil verius. Omnia in hoc venalia contra verbum Petri Act.8. Deinde ex viuis & mortuis quęſtus vberrimus &c. Caueamus ergo.

III. Succeſſus. Multi ſectabuntur eorum exitia. Sic.2. Timoth.4. Cauſa indicatur Ioan.15.3.&c. Sed finis eſt, exitium, de quo poſtea.

NOTA. ¶ Non offendi nos debere multitudine aduerſantium Chriſto. Non enim ex nobis eius veritas dependet. Vide Matth.7. 24.&c. Oremus.

HOMILIA X.

3 *Quibus damnatio iam olim non otiatur, & quorum exitium non dormitat.*

4 *Nam ſi Deus angelis qui peccauerant non pepercit, ſed in tartarũ detruſos, catenis caliginis tradidit damnatinoi ſeruatos.*

5 *Et priſco mundo non pepercit, ſed octauum Noe, iuſtitiæ præconem ſeruauit, diluuio in mundum impiorum inducto.*

6 *Et ciuitates Sodomorum ac Gomorrhæ*

in cinerem redactas subuersione dam-
nauit, fecitque vt essent exemplar impiè
victuris.

7 *Et iustum Loth libidinosa nefariorum*
conuersatione fatigatum eripuit.

8 *Iustus enim ille cum habitaret inter eos,*
in dies animam iustam iniquis illo-
rum factis, & videndo & audiendo
excruciabat.

QVamuis Dominus noster Iesus Christus euangelij doctrina omnem religionis & salutis nostræ rationem breuiter & perspicuè comprehendat, iugumq; imponat suaue & facile (Matth.11.) ea tamen est hominum corruptio, vt veritatis doctrinam fastidiant, & alijs potius sese implicent. 2.Tim.4. Hæc causa est, quòd Dominus iusto iudicio illos excæcat, & falsis doctoribus nihil non permittit. Ioan. 5. 2. Thess.2. Zach.11. Quia tamen idem fidelium suorum curam habet semper, illos iam olim de tanto periculo admonuit, vt Dan.7.11. Matt.7. & 24. 1.Tim.4. 2.Thess.2. 2.Tim.3.4.&c.

Pertinet huc & præsens hoc caput, quo in præcedentibus ostendit Petrus, falsos doctores omninò fore, & signa ex quibus agnosci possint, mōstrauit. Admonuit item

de

de successu, quem sint habituri.

Sequitur nunc de eorundem pœna.

Propositio est: Iudicium, id est, pœna horum non cessat, nec dormitat illorum perditio, vt vt illi insolescant. Sic alibi 2. Tim. 3. 2. Thess. 2. Zach. 11. Apoc. 18.

Dicit verò hoc: ¶ A. Ne quis offendatur quando illorum temporariam fœlicitatem, amicitias item & patronos videt.

¶ B. Vt singuli illos fugere & cauere discant, ne cum ipsis exitio tali implicentur. Hinc illa Matth. 15. Apo. 18.

NOTA. ¶ Generalem hanc esse sententiam de omnibus qui securi vitijs indulgent. Nō dormit Deus, sed videt & audit nos. Psalm. 14. Gen. 18. Ioan. 1. &c. Hinc repentini interitus. Matth. 24. 1. Thess. 5. *Deus non dormit sed obseruat nos.*

Petrus verò propositionem suam tribus exemplis probat.

I. Angelos reprobos inducit. Historia nuspiam plenè extat, sed citatur obiter Iob. 4. Isa. 14. Iudæ 1. Applicat verò exemplum comparatione à maiori ad minus: vt doceat illis seductoribus nullam excellentiam, qua in mundo efferuntur, subuenire posse, quò minus iusto Dei iudicio puniantur. Obseruent hoc singuli. Matth. decimosexto, vigesimoquinto. Luc. 16. *Angelorū reproborū historia.*

His similes sunt pseudodoctores.

Interim NOTA. ¶ Quàm probè hoc exemplum falsis doctoribus côueniat. ¶ A. Angeli benè fuerunt conditi, vt Dei ministri essent, &c. Hebr. 1. Ita doctorum conditio bona & diuinitus instituta est. Ephes. quarto.

¶ B. Angeli non manserunt in sua origine, sed maiora affectarunt. Ita isti, quæ Christi sunt sibi vendicant, contrà id quod est Isa. 42. Faciunt quod dicitur Matthæi 24. 2. Thessal. 2.

¶ C. Angeli isti tenebris constricti expectant vniuersale iudicium. Matt. 25. Apo. 20. Ita isti tenebris inuoluuntur, vt palpent in meridie. Constringuntur & iugulantur verbo Domini, tandem in æternum perituri. 2. Thess. 2. Apo. 17. 18. 20. Zach. 11.

II. Priscum mundum allegat, ex Gen. 6. 7. Erant multa, quæ seducerent. Comercia malorum, quæ pariebant falsos cultus, & tandem contemptum omnis religionis. Monebat Noe, sed nequicquam. Matth. 24. Perierunt ergo homines, solo Noa cum paucis suis excepto.

Peccantiũ multitudo peccatores non defendit.

NOTA. ¶ Multitudinem peccantiũ non patrocinari cuiquam. Sunt enim qui hanc prætexunt, vt putent, vel impossibile fore, vt tot errent, vel certè Deum non tot simul

 perdi-

perditurum. Videtur plausibilis ratio. Sed vnum hoc exemplum hanc destruit. Adhęc fideles paucos fore, alibi quoque dicitur. Matth.7.22.Luc.18.

III. Sodomitæ citantur, de quibus Gē.19. De peccatis illorum & eorundē causis. Vide Gen.18.Ezech.16.Matt.24.&c. Facit & hoc eò, vt intelligamus, Deum nec multitudini apostatarum parsurum, nec suos ob paucitatem derelicturum.

Sed NOTA. ¶.1. Quod Sodomis conferuntur. Sic Apo.11. Vide quid de istis sanctis patribus pronuntiet Spiritus S.&c.

¶ 2. Imitandus Loth pijs & fidelibus. Prementur illi. Ioan.15.16.2.Tim.3. ¶ A. Constantes sint ipsi, nec aliorum exemplis frangantur.

Loth. Pij inter sceleratos quid faciant.

¶ B. Obstent malis quantū possunt. Iac.5.

¶ C. Vbi vident frustra laborari, saltem doleant. O quàm paucos Lothos habemus hodie, &c. Oremus.

HOMILIA XI.

9 *Nouit Dominus pios è tentatione eripere, iniustos autem in diē iudicij puniendos seruare.*

10 *Maximè verò eos qui carnem sequentes, in impura cupiditate incedunt, &*

dominatum despiciunt, (qui inquam vt sunt) *audaces, et sibi placentes, non horrent dignitates conuitijs incessere.*
11 *Quum ipsi angeli, qui sunt robore ac potestate maiores, non ferant aduersus eas apud Dominũ maledicũ iudiciũ.*

Falsa doctrina.

INter omnia, quę hominis salutem remorantur, nihil nocentius est falsa doctrina. Reliqua enim omnia ferè eiusmodi sunt, vt pro noxijs facilè agnosci, & proinde caueri possint. At hæc salutem pollicens sub religionis prætextu à salute abstrahit. Ideo tam seriò impugnatur vbique. Huc enim pertinent quæ sunt Deuteronom. 4. 12. 13. 18. Apud prophetas, vt Isa. 29. Ier. 23. Ezech. 34. Zach. 5. 11. Dan. 7. 11. Ipse Christus quoque contra hos seuerissimè vbiq; agit, vt Matth. 7. 15. 21. 23. 24. Ioan. 5. 8. 10. Idem faciunt eius exemplo Apostoli, Acto. 20. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. 4. Phil. 3. 2. Thessal. 2. 1. Ioan. 2. &c. Sic in præsenti Petrus. Dixit primo de doctrina illorum, & quis huius futurus sit finis. Dein de etiam de pœna.

Eódem & præsens locus spectat, qui tamen simul & alia comprehendit.

I. Occurrit offendiculo, quod apud infirmiores ex piorum pressuris & afflictionibus

nibus,impiorum autem impunitate oritur. Dependet loc' ex præcedentibus de exemplo Sod.& Lothi. Vtitur sentētia bipartita.

¶ I. De pijs agit: Nouit hos è tentatione eripere Deus.

NOTA.¶ 1. Quod pijs tentationem tribuit. Significat hoc, illos non corporibus modò affligi, verumetiam tentari quoad animos & affectus. Nec enim ab his alieni sunt. Exempla, Psal.73.Hab.1.& 2.Ier.12.&c. Ita nonnunquam se à Deo relictos putant. Psal.13.ac 22.&c. Vtilis hæc consyderatio, ne dum tale quid sentimus, desperemus de ele ctione nostra,&c. *Pij etiam tentantur.*

¶ 2. Liberationem Deo tribuit. Huius enim prouidentia in omnibus operatur. Matthæi 10.6. Solus ergo inuocari debet. Psal. 50. Matth.6. Arguuntur, qui tentati ad alia salutis media se conuertunt. ¶ 3. Deus nouit eripere. Comprehendit hoc omnes circumstant. Nouit nos, quibus opus sit, tempus, locum, modum, &c. Coniungitur his volūtas, quia pater est. Psal.94.34.12.1.Cor. 10.2.Cor.1. Ipsi ergo liberum relinquamus de rebus nostris iudicium, ne illi præscribendo peccemus. Psal.27.62.65.37.&c. *Qui eos liberet & quomodo.*

¶ II. De impijs agit: Hos puniendos seruat ad diem iudicij.

Iudicium Dei. NOTA. ¶ 1. Quod iudicij meminit. Opponit hoc carni, quæ moræ impatiens est. Semper ergo cogitemus, non in hoc mundo finiri iudicia Dei. Pœnæ, quas hic interdum exigit, vel exempla modò sunt, vel correctiones paternæ virgæ. Sequetur aliud iudicium in nouissimo die.

Quale futurum. ¶ 2 Vices rerum fore in illo iudicio. Pij qui hic afflicti sunt, gaudio æterno perfundentur. Psalm. 16.31. Isa. 64. Luc. 22. Mar. 8. Matth. 25. Impij, qui hic exultarunt, æternum lugebunt. Isa. 66. Luc. 6.16. Horum memores in spe & patientia discamus possidere animas nostras. Luc. 21.

II. Redit ad falsos doctores, & illatione probat, multò magis hos puniendos esse. Per criminationem verò obijcit illis duo vitia, quæ singula ordine NOTA.

Pseudodoctores carnem sequuntur. ¶ 1. Post carnem ambulant in concupiscentia pollutionis. Significat effrenes libidines in quas omni ratione postposita, ceu bruta, ruituri sint. Sequitur hęc intemperantia ferè falsas religiones. Rom. 1.

Papistæ. ¶ Patet hoc in pontificijs. Interdicunt coniugio, contra id quod habetur, Gen. 2. Matth. 19. Hebr. 13. 1. Corinth. 7. Hinc manant stupra, & episcopi lenones fiunt. Adulteria, Sodomia, &c.

¶ 2. Præ-

¶. 2. Præfracti & audaces cõtemnũt ominationes & glorias, id est, magistratus non timent. Aduersatur & hoc Christo. Matth. 20.17. Luc. 2. Rom. 13. Sed quanta hæc culpa sit, exemplo probat. Angeli id non faciunt. Quanto minus ergo ipsi facere debebant?

¶. Vide historiam paparum. Eximunt se ab omni obedientia. Reges sibi subijciunt, contra Christi verbum Matthæi 18. 20. Luc. 22. Ioan. 13. Sibi aduersantes excommunicant, &c. Non dubium ergo quin puniendi sint. Oremus.

HOMILIA. XII.

12 *At isti velut animantia rationis expertia, quæ naturali impetu feruntur, facta ad eum finem vt capta intereãt, ea vituperantes quæ ignorant, sua ipsorum corruptela interibunt.*

13 *Reportaturi mercedem iustitiæ, vt qui pro voluptate ducant quotidianas delicias, labes ac maculæ, qui fraudibus suis se oblectant, vobiscum epulando.*

14 *Oculos habentes plenos adulterij, & qui à peccando cessare nesciant, inescantes animas instabiles, cor haben*

tes ad auaritiam exercitatum, exe-crandi homines.

QVemadmodum syncera verbi Dei doctrina inter homines veram fidem & religionem vnà cum reliquis virtutibus plantat. Ita falsa doctrina omnium vitiorum mater & fomes est. Quia enim ab obseruatione verbi Dei abstrahit, facit vt circa fidem & religionem aberremus. Isa. 29. Matth. 15. At qui hic errant, paulatim in omne vitium delabuntur. Exempla sunt in gentibus Rom. 1. 1. Corinth 5. 6. &c. In Israelitis, Exod. 32. &c. Ideo & Diuus Petrus in præsenti tractatione, non dogmata modò, verumetiam vitam & corruptos mores falsorum doctorum describit. Primò obiecit effrenes libidines, quas matrimonij contemptus parit. 1. Tim. 4. 1. Cor. 7. Deinde magistratus contemptum notauit. Exod. 22. Rom. 13. &c. Sequitur.

I. Arrogans omnium eorum, qui ignorant, contemptus. Amplificat hunc simili à pecudibus sumpto. Vt hæ quiduis contemnunt, cuius vsum ignorant, & quod ipsorum naturæ repugnat: Ita falsi doctores, & quicunque hos sequuntur. Contemnitur ab his verbum Dei, & subsannantur: imò blasphe-

blaſphematur. Contemnitur omnis legum diſciplina.Coniugiorum religio.Magiſtratus.Prædicatio vitæ æternæ,&c.

Pœnam vero ſimul indicat:Vt pecudes ſic ſponte ruunt in capturà & in meritum; Ita iſti in ſua corruptione,id eſt,impoſturis peribunt.

NOTA. ¶. Quid omnes impoſtores maneat.Exitiales ſibipſis ſunt.Vnde magos Ægypt.Exod.9.Balaam. Num.31. Baalitas 3.Reg.18.Item Amoz 7. Zach.11. Idem de antichriſto prædictum,2. Theſſ. 2.2.Tim.3. Apocalip.17.18. Caueamus ergo eiuſmodi Iezim,irriſores.(Pſal.1.) niſi cum ipſis perire libeat. *Sors impoſtorum.*

II. Luxus vitæ & libido. Fœlicitatem ſtatuunt in præſentibus delitijs, & ſic viuunt,vt ſint labes & maculæ. Comprehendit hoc ſimul omnem vitæ æternæ contemptum.Sed enumeratione probat.¶. A. Deliciantur in ſuis impoſturis, id eſt, opibus quas impoſturis corradunt. Sic male partum male diſperdunt.Vide Iſa.56.Huc pertinẽt venationes,aucupia, equi, famuli,&c. *Eorum ſtudia & mores.*

¶. B. Conuiuantur inter vos. Inſolentiam taxat, quæ facit vt illos nullius rei pudeat.

¶. C. Oculos habent adulteræ,& inſa-

tiabiles ad peccandum. Ardens libidinis studium notat, & quod sint pœnitere nescij. Quã vero vulgaria hæc hodie? Imò, si quis ista reprehendat, in illum armantur. Tutius hæc omnia ab illis fiunt palam, quam à nobis reprehendantur, &c.

Noxij sunt alijs. III. Inescant animas instabiles. Periculum ostendit, quod ad alios manat ex his. In hoc toti sunt, vt omnes pertrahant in suam perniciem. Metaphora inescandi comprehendit conuiuia, munera, promissiones, &c. Habet enim antichristus thesauros terræ. Dan. 11. Quantum hęc possint, in nostris hodie cernitur.

Sed NOTA. ¶. 1. Inexcusabiles fore, qui se ab his seduci patiuntur. Nec enim aliam causam habent, quam leuitatem, quæ in religione locum non habet.

Cauendi et quomodo ¶. 2. Quomodo caueri possint. Illi inescant animas instabiles. Ergo nos stabiliamur in fide & timore Domini. Continent hæc verbi Dei obseruantiam. Matth. 7. Hęc quia nobis hodie deest, facile à quibusuis seducimur.

IIII. Cor habent exercitatũ in cupiditatibus. Norunt quomodo his satisfacere possint. Ideo sunt filij execrationis, & quócunque veniunt, execrationem secum ferunt. Zach.

Zach.5. Sic antichristus filius perditionis, & ἀπωλείας dicitur 2.Thess.2.Apoc.9.&c.Discamus tales cauere,ac gratos præbere nos domino,qui ex horum laqueis per verbi sui prædicationem nos liberauit. Oremus.

HOMILIA XIII.

15 *Qui relicta via recta, aberrarunt,sequuti viam Balaam* (filij) *Bosor,qui mercedem iniquitatis amauit.*

16 *Sed redargutionem suæ transgreßionis sustinuit: nã subiugis asina muta, humana voce loquuta, prohibuit Prophetæ dementiam.*

17 *Isti sunt fontes aqua carentes, nebulæ à turbine agitatæ: quibus caligo tenebrarum in æternum seruata est.*

QVemadmodum Spiritus sanctus in scripturis fidos veritatis doctores plurimum commendat: Ita vicissim falsos doctores constanter & magna cum seueritate impugnat, imò in eos ceu pub. humani generis pestes vbique inuehitur. Zach.5.11. Ier 23.Isa.56.Matth.7.23.21.Ioan.10.Omnium verofinis hic est, vt veritatis doctrinam amplectamur,fugiamus autem quæcunque

nos ab illa seducunt. Eodem & Petrus in præsenti Cap. respicit, hanc vnam ob causam & doctrinam & mores eiusmodi impostorum tam diligenter depingens.

Cæterum, vt planius omnia pateant, quę dicta sunt in epitomen contrahit.

I. Summam erroris ipsorum indicat. Deseruerunt viam rectam, & proinde aberrauerunt. Simile à peregrinantibus, &c.

Via recta Christus cur dicatur

NOTA. ¶. 1. Quæ sit via illa recta & vera. Est ipse Christus, qui bifariam via dicitur. ¶. A. Quia nos coniungit cum Deo patre, solus inter hunc & nos mediator existens. De hoc ipse loquitur, Ioan. 14. Eódem pertinent, Matth. 3. 17. Iohan. 10. 1. Tim. 2. Hebr. 4. &c.

¶. B. Quia docendo viam fœlicitatis monstrat. Nam & doctor datus est. Deut. 18. Isa. 51. Matth. 17. Actor. 7. Pertinet eódem & vitæ exemplum, quo præluxit. Iohan. 13. 1. Pet. 2. Vnica ergo salutis via est.

Falsi doctoru nota certa

¶. 2. Notam infallibilem falsi doctoris esse, si quis ab hac via declinet. Simile. Fit hoc, si quæ salutis sunt, alijs tribuantur. Iohan. 10. Isa. 42. Actor. 4. Item, si noui constituantur articuli fidei. Præterea, si noui cultus tradantur ex hominum traditionibus.

bus. Isa.29. Matthæi 15.&c. Non est ergo, vt inquiras, qui nam hodie pro falsis doctoribus agnosci debeant. Notum est omnibus quid in Papatu fiat.

II. Causam, quæ hos mouet, denuò indicat. Miretur enim quis eò dementiæ homines delabi. Supra vero auaritiæ meminit. Id nunc explicat exemplo Balaami, de quo legimus Num.22.23.24.

NOTA. ¶. 1. Balaamum. Propheta fuit, & ideo magnæ authoritatis. Nouit & fatetur, se nihil nisi quod Dominus loquatur, posse facere. Excæcatus promissionib. munerum cupit morem gerere regi Moabitico, & sæpe frustratus denuo conatum suum repetit. *Balaam.*

Patet hinc quid possit auaritia. Sic Iudas Iohan.12. Matthæi 26. Simon Actor.8. Verum igitur quod habes Exod.23. Deuteronom.16. 1.Tim.6. Quid itaq; miramur hodie? *Auaritiæ vis.*

¶. 2. Pœnam Balaami. ¶. A. Redarguitur ab asina. Horribile Dei iudicium. Reuelatur Deus ijs, quos pseudoprophetæ vt asinos aggrauant, quò magis illorum arguatur inscitia & impudentia. Fit idem hodie. Stulti sunt, qui volunt obstare. Imò lapides clamabunt. Matth.21. *Pœna Balaami.*

¶. B. Impenitens percutitur gladio vnà cum suis asseclis. Num.31.&c. Manet idem iudicium omnes,qui impietati pertinaciter patrocinari volunt.

III. Quia promissis & falsa specie ferè imponunt simplicioribus.Docet nihil ex illis boni sperandum.Vide duo similia NOTA.

Similes. ¶. 1. Fontes sunt sine aqua.Fontis aspectus spem facit sitientibus. Si aqua careat, frustrat,&c. Tales isti sunt, quia Christum non tradunt.Vbi Isa.55.Ier.2.Ioã.4. 7. Imò vt in vacuis cisternis nil nisi lutum est: Ita illi cœnum exhibent,&c.

¶. 2. Nebulæ, quæ à vento agitantur. Hæ aut pluuiam optatam non ferunt, aut exeunt in grandinem. Sic isti aut nihil docent,aut noxia obtrudunt,&c. Pœna,quod æterna caligine premetur. Matth. 24.25. Apoc.17.&c.Oremus.

HOMILIA. XIIII.

18 *Nam prætumidam vanitatem loquendo per carnis cupiditates lasciuas, eos inescant qui verê effugerant eos qui in errore versantur.*

19 *Libertatem eis pollicendo, quum ipsi serui sint corruptionis,siquidem à quo*

uis

nis quis superatus est, huic etiã in seruitutem est addictus.

QVãmuis multa humanæ corruptionis argumenta sint, euidentissimè tamen circa religionem & salutis negotium elucent. Cum enim quæcunq; ad hanc spectant in scripturis sufficienter & perspicuè comprehensa sint. (Ioan. 5. 2. Tim. 3.) ea tamen est nostra peruersitas, vt alios potius audiamus, qui ab hac simplici veritatis doctrina abducunt. Adhæc, quia ex falsis doctrinis temporaria ferè commoda speramus, easdem nolumus argui. Simile ægrotantis. Sed quam in hoc erremus, suo exemplo Petrus docet, qui non modo de sui sæculi impostoribus, verumetiam de ijs qui post venturi erant, scribit. Imò Balaami exemplo, tales vel ab asinis redargui debere, docet. Num. 22.

Pergit verò contra vanas illorum promissiones & fucatam sanctimoniæ speciem nos præmunire.

I. Tumida & magnifica loquuntur: nimirum de rebus sacris, Deo, voluntate Dei, minis, promissionibus, &c. Sed addit, Vana esse omnia hæc: quia Dei voluntati contraria loquuntur. Exempla sunt in veteri te-

ſtamento 3.Reg.22.Ier.23.28.Amoz 7.Mich. 3.Item Matth.6.15.23.Ioan.3.&c.

¶. Sic prædictum de antichriſto. Dan.7. Zach.11. Matth.24. 2. Theſſ.2.Apoc.13.&c. Vide quid de primatu Papæ dicant ex verbis Chriſti, Matth.16.Ioan.21.Diſt.40.Cap. Si papa,&c. Eodem pertinent tituli epiſcoporum, doctorũ, vota monaſtica. Ceremoniæ. Sed nil niſi vanitas ſunt.Iſa. 29. Matthæi 15.

NOTA. ¶. Non temere credendum cuiuis de religione magnifice loquenti. Hic enim ſolius Dei authoritas valere debet.1. Sam.15.Num 15.Iſa.40.Adhęc,regnumDei non eſt in ſermone.1.Corin.4.Omnia ergo probemus & dijudicemus ſpiritus.1. Theſ. 5.1.Ioan.4.Ioan.10.&c

II. Quibus præcipue noceant falſi doctores,& quomodo? Ineſcant eos,qui ſemel aufugerant ab ijs,qui in errore verſantur.

De quibus impoſtoribus loquatur. ¶. Patet hinc Petrum de ijs impoſtoribus loqui, qui in eccleſia ſub Chriſti nomine ſint graſſaturi. Pugnat hoc cum eorum ſententia, qui eiuſmodi loca ad Mahumetiſtas & plane alienos à fide Chriſti referunt. Imò in ipſa eccleſia hæ peſtes nobis monſtrantur.Matth.24.2.Theſ.2.Actor.20.&c.

Sed NOTA.¶.1. Non ſufficere vt ſemel libe-

liberemur ex erroribus. Quia enim natura corrupti sumus,facile relabimur. Prou. 24. Iob.4.&c.Deinde insidijs vndiq; petimur à seductoribus.Vide Luc.17.Matth.24. *Errores semper cauendi.*

¶. 2. Quibus artibus inescent? Per concupiscentias:lasciuijs carnis,id est. Doctrinam suam & religionem sic accommodant, vt carni in cupiditatibus lasciuienti plausibilis fiat. Id verò explicat:Pollicentur libertatem, id est, remissionem peccatorum, quam non maioris faciunt, quam quod nostris operibus & meritis possit acquiri. Hinc satisfactiones,quibus semper delectatus est mundus. VidePs.50.Isa.1.29.58.Ier. 4.7.Mich.6. Hos. 6. Item Matthæi 6.15. 23. Luc.18. *Inescatio pseudodoctorum.*

¶. Sed non in his totus papatus consistit? Promittitur libertas, id est, remissio peccatorum,hoc aut illud agentibus,numerantibus pecuniam,&c. Interim friget pœnitentia vera,de qua apostoli,Roman. 6.12. Col.3.&c.

III. Probat, promissiones ipsorum esse vanas. Seruus non potest cuiquam dare libertatem. Isti sunt serui peccati.Ergo,&c. Minorem probat:A quo quis vincitur, eius seruus est,&c.

NOTA. ¶. 1. Quam fallantur qui pec-

catorum remiſsionem apud falſos docto-
res quærunt. Fit illis quod eſt, Ier. 2. Solus Chriſtus ab peccato liber eſt. Iſa. 53. Solus ergo libertatem nobis confert. Iohan. 8.

Libertas Chriſti. ¶. 2. Libertas Chriſtiana quæ? Non quidvis agendi licentia: ſed immunitas à peccati tyrannide, vt libere Deo ſeruire queamus. Vide Roman. 6. Col. 3. Tit. 2. 1. Ioan. 2. 3 &c.

¶. Arguuntur, qui doctrina euágelij carnis licentiam plantari clamant. Hanc minime fert fides in Chriſtum. Gal. 5. 6. 1. Cor. 5. 6. &c. Oremus.

HOMILIA. XV.

10 *Itaq; ſi poſtquam inquinamenta mundi, per agnitionem Domini & ſeruatoris Ieſu Chriſti effugerint, his rurſum implicati ſuperentur, facta eſt vltima eorum conditio deterior priore.*
11 *Satius enim fuiſſet non cognouiſſe viam iuſtitiæ, quam cognita illa, regredi à ſancta doctrina ipſis tradita.*
12 *Sed accidit eis quod vero prouerbio dici ſolet, canis reuerſus eſt ad ſuum ipſius vomitum, & ſus lota ad volutabrum cœni.*

Domi-

DOminus noster Iesus Christus Luc. 9. ait: Nemo, qui manu aratro admota respicit à tergo, dignus est regno Dei. Item Matt. 24. Qui perseuerauerit in finem, saluus erit, &c. Indicant verò tam seriæ & crebræ admonitiones, multa vbique obijci, quæ à via salutis reuocant, vel in illa remorantur. Inter omnia verò nihil pernitiosius est falsa doctrina: partim quia sub nomine Dei proponitur: partim quia præsenti vitæ & carnis cupiditatibus seruit, simulque æternam salutem pollicetur. Propterea Diuus Petrus contra hanc fortissimè pugnat, & probauit, omnes falsorum doctorum promissiones vanas & inanes esse. Sic Isa. 55. Matth. 15. &c. *Nulla salutis remora falsa doctrina pernitiosior.*

Cæterum, quia homines in hac causa oscitantiores sunt, eò quod se extra culpam esse putant, & solos doctores Deo rationē reddituros: ostendit in auditoribus quoque culpam esse, & contra eos qui à veritate se abduci patiuntur, scribit.

I. Propositio est: Qui semel liberati, denuo recidunt, ijs postrema peiora sunt primis. Habet hoc ex verbis Christi, Matth. 12. Luc. 11. Addit comparationem: Satius esset, nunquam cognouisse veritatem, quam à cognita recessisse, &c. *Illuminati veritate, si redeant in errores, peius habēt.*

Rationes huius sententiæ sunt: ¶.A.Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, magis vapulat. Luc. 12. Audiuerunt item in testimonium. Matth.10.

¶. B. Ingratitudo hæc maxima est, qua non modo contemnimus donum gratiæ, verumetiam in hoc iniurij sumus Christo suum honorem negantes. At quàm horribilis ingratitudinis pœna sit, exempla docent. Amoz 2.3. Mich. 6. 2.Par. 36. Matth.23. & 24. Luc.19. &c.

Hoc obseruare debebant, quos hodie propter mundum hunc pudet euangelij. Mar.8. Peccant in spiritum sanctum, de quo Matth.12.

Sed insuper hic NOTA. ¶. 1. Quod mundo inquinamenta tribuit. Odit enim lucem verbi Dei. Ioan.3. Deinde non potest accipere spiritum veritatis. Ioan.14. Item à suo principe regitur, de quo Ioan. 8. Hinc fit, vt totus in malo sit constitutus. 1. Ioan. 5. Facit hoc eò, vt intelligamus periculosam esse mundi conuersationem, & proinde huius amicitiam non affectemus. Iac.4. Gal. 1. 1. Ioan. 2.

Mundus cauendus.

¶. 2. Liberari nos dicit, per cognitionem Christi, id est, per euangeliũ. Hoc Christus traditur, qui è mundo selectos patri consecrat.

Euangeliũ nos liberat

erat.Ioan. 15.Idem verbo ſuo mundi ſtudia cauere monet. 2.Pet. 1. Tit.1. Roman. 6. 12.1.Ioan.2.3.&c. Incendit item ſtudio voluntatis Dei & rerum cœleſtium.Eſt hic maximus euangelij fructus.

Euangelici ergo nequaquam ſunt, qui mundi ſtudijs toti occupantur. Vide de his Tit.1.Matth.7. *Euangelij fructus.*

II. Similibus inconſtantium hominum turpitudinem declarat. Vt canes reſorbent quod vomuerunt. Prou.26. Vt porci loti denuo volutantur in luto. Innuunt & hæc euangelij fructus. Grauamur omnes faſtidio rerum diuinarum, & ſordet nobis regnum cœlorũ.Hanc cruditatem curat,dum expectorat nobis carnis ſapientiam & mundi amorem. Polluti ſumus omnes peccatis. Pſal.51.Iſa.64.Gen.8.Rom.3.Ezech.16.&c. Euangelio Chriſti ſanguis monſtratur, qui mundat.1.Ioan.1.Iſa.53. Idem pedes, id eſt, affectus abluit.Ioan.13.&c.

NOTA. ¶. Turpem apoſtaſiam & defectionem, non debere verbo Dei & euangelio acceptam ferri,ſed hominũ vitio. Quia enim hi canes & porci ſunt, ideo ſpernunt ſancta.Matth. 7.Idem ſentiendum de omnibus, qui ſub euangelij prætextu impure viuunt,ne offendamur,&c. Diſcimus doctri- *Apoſtaſia cauſa.*

næ rationem ad omnes pertinere. Fugiamus falsam, sequamur veram. Iohan. 10. Oremus.

CAPVT. III.

HOMILIA. XVI.

1 *Hasce iam alteras vobis literas scribo, dilecti, quibus sinceram mentem vestram per commonefactionem excito.*
2 *Vt memores sitis verborum quæ prædicta sunt à sanctis prophetis, & doctrinæ nostræ qui sumus Apostoli Domini & seruatoris.*
3 *Illud primum scientes, venturos extremis diebus irrisores, vt qui in suis ipsorum cupiditatibus incedant.*
4 *Et dicant, Vbi est pollicitatio aduentus eius? nam ex quo die Patres obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis.*

QVàmuis omnibus sæculis mundus hic corruptus fuerit, plènusque offendiculorum, quæ in salutis via homines remorantur: periculosissimum tamen piorum conditionem nouissimis temporibus fore

ſcriptura vbiq; prædicat. Duo autem præci- puè commemorantur, quæ ſint obfutura. Primùm falſa doctrina eſt, de qua diligen- ter admonemur, Dan. 7. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. 4. Matth. 24. Alterum eſt, impia ſecuritas, & contemptus iudiciorum Dei, de quo Matt. 24. 25. Luc. 17. 21. 18. 1. Theſſ. 5. &c. De falſa do- ctrina diligenter egit Petrus, ſimul docens quàm horribiliter peccent, qui per hanc à via veritatis ſeſe abduci patiuntur Matth. 12. &c.

Impedimenta ſalutis duo.

Sequitur nunc morum huius nouiſsimi ſeculi expoſitio, quam in præſenti ſic orditur.

I. Rationem reddit, cur hanc quoq; epi- ſtolam primæ adijcere voluerit. Indignè e- nim ferimus, ſi ignorantiæ craſsioris inſimu- lemur. Scopus eſt, vt excitem per admoni- tiones mentem veſtram puram. &c. Quaſi dicat: Scio vos tenere fidei articulos. Sed ta- men excitatione opus eſt, vt animorum pu- ritati ſtudentes, eorum probè memineritis, quę per prophetas & Apoſtolos vobis ſunt tradita, &c.

Finis huius epiſtolæ.

NOTA. ¶ 1. Admonitiones in eccleſia eſ- ſe neceſſarias. Sine his enim animi ceu rubi- gine obducuntur, & facilè obdormimus in carnis & affectuum ſecuritate. Vide Matth.

Admonitiones eccleſiæ.

26.Hinc illud 2.Timoth.4.

¶ 2. Quod scripturas & harum studium commendat, vbi de tantis periculis sermonem instituit. Causæ sunt: ¶. A. Quia solæ hę sufficiunt ad instituendum & excitandum nos. 2.Tim.3.Rom.15.Hinc illa scripturæ sacræ præconia.Ps.1.119.Ioan.5.&c.

¶ B. Quia oraculis suis præmuniunt aduersus omnia salutis pericula,&c.

Illusores. II. Describit homines nouissimorũ temporum hoc modo: ¶ I. Nomine illos insignit,& vocat illusores. Hebręis Lezim dicuntur. Ps.1. Eos intelligit qui omnia diuina & sacra pro ludibrio habent,& in illis extenuandis volunt ingeniosi videri.

Negantes Scrip.S. NOTA.¶ Quid de illis sentiendum,qui hodie & religionem & scripturas in dubiũ vocant. Cultus omnes faciunt indifferentes. Mendacium perinde scribi posse dicunt,vt veritatem, &c.Sed Lezim sunt, qui dum alios rident, sibijpsis maximè imponunt, id quod olim sentient.

¶ II. Studia illorum attingit. Ambulant iuxta proprias concupiscentias. Sequitur hoc ex præcedenti. Vbi enim Dei verbum ridetur, quæ nam authoritas in officio retinebit homines? Comprehendit autem hoc omne genus peccatorum.

NOTA.

NOTA. ¶ Quàm necessarium sit,vt scripturis suus honos deferatur. Quia sine harum authoritate omnis honestas intercidit. Vide 4.Reg.22.Neh.8.&c.Ideo Deus quoq; libros sacros mirabiliter seruauit ex tot persecutionibus. Vtinam maior hodie esset illorum authoritas.

Scripturæ S.authoritas vt salua sit necessarium est.

¶ III. Sermones illorum exprimit Mimesi.Vbi est pollicitatio aduentus eius? Habent rationem: Quia ex quo patres nostri mortui sunt, semper sic mundus durauit. Nemo vnquam redijt, qui de alia vita nos instrueret.

NOTA. ¶ Cur hunc articulum semper impetat satan? Quia si iudicium extremum negatur, iustitia Dei & omnis religio euertitur. Tolluntur enim pœnæ impiorum, & piorum præmia. Vide 1.Cor.15.&c. Præterea sic habenæ laxantur carnis cupiditatibus & morum licentiæ. Vide Matt.24.Luc. 21.&c. Discamus eiusmodi moribus & sermonibus non moueri. Oremus.

Iudicij Dei doctrina maximè impetitur à satana.

HOMILIA XVII.

5 *Illud enim sponte ipsos latet, cœlos iam olim extitisse per Dei sermonem, & terram ex aqua & in aqua consistentem.*

6 *Quamobrem is qui tum erat mundus, aqua inundatus perijt.*

7 *Qui verò nunc sunt cœli ac terra eodem sermone repositi, seruantur igni in diē damnationis & exitij impiorum hominum.*

8 *Vnum autem hoc ne vos lateat, dilecti, vnum diem apud Dominum* (perinde esse) *vt mille annos, & mille annos vt diem vnum.*

9 *Non tardat Dominus qui promisit (vt nonnulli tarditatem* (hanc esse) *ducunt) sed patiens est erga nos nolens vllos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.*

QVamuis multa sint nouissimi seculi pericula, nullum tamen post falsam doctrinam nocentius est, quàm securus aduentus Christi & nouissimi iudicij contemptus. Vt enim vulgò solemus ibi minime timere, vbi maxima pericula instant: Ita securitatem hanc nouissimis diebus maximè regnaturum Christus prædixit, Matt. 24. Luc. 17. 21. Sic Paulus 1. Thess. 5. Ideo etiam Petrus hoc ipsum indicat, quò minus offendamur.

Produxit verò argumentum, quo impij isti

isti vtuntur. Sumptum est à tempore. Tot iam seculis durauit mundus, nec quicquam in hoc mutatum est: Ergo in posterum quo que durabit, nec vnquam abolebitur. His nunc respondet.

I. Exemplo probat, illos falli. Incusat au tem eorum voluntariam inscitiam. Possent diluuij historiam nouisse, si vellent, cùm & gentium historici eam prodiderint. Vide Gen. 6. 7. 8. Sic verò argumentatur: Si olim totum orbem punire potuit Deus, & illius faciem mutare, idem & nouissimo die pote rit. Sed potuit olim, & quidem eo modo, quem nemo expectauisset, vt nimirum a-quæ, ex quibus terra prodijt & quibus niti-tur (Gen. 1) eandē obruerent, &c. Nunc ta-men ignis paratus est, non aqua ad eius in-teritum, vt patet Gen. 9.

¶ Docemur ergo, Dei iustitiam nullo se-culo dormiuisse, nec adhuc dormire, Exod. 33. Nah. 1. &c.

NOTA. ¶ 1. Quod verbo Dei dicit or-bem conditum fuisse, & eodem consistere. Vide Gen. 1. Ioan. 1. Psal. 33. Stulti ergo sunt, qui in causis inferioribus subinde hærent. Psal. 113. 147. 145. &c. *Orbis cau-sa efficiens*

¶ 2. Quod terram aquis perdidit Deus, quæ aliâs hanc sustinent, rigant & seruant.

Elementa nō iuuant citra Deū.

Nullum ergo elementum iuuat, nisi quantum Deo lubet. Imò quorum natura eſt prodeſſe, ea is in perditionem conuertere poteſt. Sic factum Ægyptijs per mare rubrum, vt patet Exod. 14. Exempla quotidiana ſunt in tempeſtatibus. Soli igitur Deo nitamur in omnibus.

¶ 3. Quod mundum hunc igne abolendū dicit. Sic 2. Theſſ. 1. 1. Cor. 3. &c. Confer diluuij formam cum hoc incendio, quod nulla vis arcebit, &c.

Theſauros colligere ſtultum.

Hinc diſce, quàm ſtultum ſit theſauros ad incendium coaceruare. Quin potius cœleſtes opes acquirere ſtudemus. Matt. 6. Luc. 16. 1. Tim. 6.

II. Sermonem ad pios conuertit, qui dilatione huius aduentus ſæpe grauiter tentantur. Hab. 1. Apoc. 7. Argumenta quibus eos erigit, ſumit à perſona Dei.

¶ I. Vnus dies coram Domino tanquam mille anni, & contra. Sumptum hoc ex Pſal. 90. Senſus eſt: Dei aduentus non debet æſtimari ex ſenſu carnis & annorum numero: quia Deus tempori nō ſubiacet, ſed infinitus & ęternus eſt, &c.

Deus noſtra non negligit quæ diſfert.

NOTA. ¶ Non putandum quòd Deus noſtra negligat, quando iudicia ſua differt. Prouidentiæ enim ipſius omnia ſubiacent.

Pſal.

Psal.56.Matth.6.10.&c.Nostrum ergo est, illius iudicia cum silentio & spe expectare. Psal.27.62.&c.

¶ II. Deus non tardat, vt qui occasionem patiuntur effluere. Sed quia omnium saluti studet (1.Tim.2.) iudicia sua in hoc differt, vt pœnitentiæ tempus habeant homines. Sic factum ante diluuium, Gen.6. Sic Ægypto diu pepercit, si ætatem Mosis supputes, Exod.2.Deut.34.Idem videmus in Assyrijs, Persis, Romanis, Iudæis, Luc.19.Matth.23. 24. Quotidiana experientia. *Cur differat.*

NOTA. ¶ Non contemnendam longanimitatem Dei, sed bene vtendum tempore pœnitentiæ diuinitus nobis concesso. Roman.2. Necessarium hoc consyderatu hodie. Oremus. *Longanimitas Dei.*

HOMILIA XVIII.

10 *Veniet autem noctu, sicut fur, dies ille Domini, quo cœli cum stridore præter ibunt, elementa verò æstuantia soluentur, terraq́ & ea quæ in ea sunt opera exurentur.*

11 *Quum igitur hæc omnia soluantur, quales oportet esse vos in sanctis conuersationibus & pietatis officijs,*

Nullum ergo elementum iuuat, nisi quantum Deo lubet. Imò quorum natura est prodesse, ea is in perditionem conuertere potest. Sic factum Ægyptijs per mare rubrum, vt patet Exod. 14. Exempla quotidiana sunt in tempestatibus. Soli igitur Deo nitamur in omnibus.

Elementa nō iuuant citra Deū.

¶ 3. Quod mundum hunc igne abolendū dicit. Sic 2. Thess. 1. 1. Cor. 3. &c. Confer diluuij formam cum hoc incendio, quod nulla vis arcebit, &c.

Hinc disce, quàm stultum sit thesauros ad incendium coaceruare. Quin potius cœlestes opes acquirere studemus. Matt. 6. Luc. 16. 1. Tim. 6.

Thesauros colligere stultum.

II. Sermonem ad pios conuertit, qui dilatione huius aduentus sæpe grauiter tentantur. Hab. 1. Apoc. 7. Argumenta quibus eos erigit, sumit à persona Dei.

¶ I. Vnus dies coram Domino tanquam mille anni, & contra. Sumptum hoc ex Psal. 90. Sensus est: Dei aduentus non debet æstimari ex sensu carnis & annorum numero: quia Deus tempori nō subiacet, sed infinitus & ęternus est, &c.

Deus nostra non negligit quæ differt.

NOTA. ¶ Non putandum quòd Deus nostra negligat, quando iudicia sua differt. Prouidentiæ enim ipsius omnia subiacent.

Psal.

Psal.56.Matth.6.10.&c.Nostrum ergo est, illius iudicia cum silentio & spe expectare. Psal.27.62.&c.

¶ II. Deus non tardat, vt qui occasionem patiuntur effluere. Sed quia omnium saluti studet (1.Tim.2.) iudicia sua in hoc differt, vt pœnitentiæ tempus habeant homines. Sic factum ante diluuium, Gen.6. Sic Ægypto diu pepercit, si ætatem Mosis supputes, Exod.2. Deut.34. Idem videmus in Assyrijs, Persis, Romanis, Iudæis, Luc.19. Matth.23. 24. Quotidiana experientia. *Cur differat.*

NOTA. ¶ Non contemnendam longanimitatem Dei, sed bene vtendum tempore pœnitentiæ diuinitus nobis concesso. Roman.2. Necessarium hoc consyderatu hodie. Oremus. *Longanimitas Dei.*

HOMILIA XVIII.

10 *Veniet autem noctu, sicut fur, dies ille Domini, quo cæli cum stridore præter ibunt, elementa verò æstuantia soluentur, terraq; & ea quæ in ea sunt opera exurentur.*

11 *Quum igitur hæc omnia soluantur, quales oportet esse vos in sanctis conuersationibus & pietatis officijs,*

12 *Expectantes & properantes ad aduentum diei Dei, in quo cœli conflagrantes soluentur, & elimenta æstuantia liquescent.*
13 *Sed cœlos nouos ac terram nouã secundum promissum expectamus, in quibus iustitia inhabitat.*
14 *Quapropter dilecti, hæc expectantes, studete vt immaculati & incontaminati ab eo reperiamini cum pace. Dominiq; nostri patientiam, salutem arbitremini.*

QVemadmodum Deus nouissimum diem vniuersali iudicio destinauit, in quo omnibus rependat secundum facta ipsorum. 2. Cor. 5. Rom. 14. Ita satan semper in hoc fuit, vt illum in dubium vocaret. Hinc enim secura carnis licentia enascitur, & publico multorum exemplo boni quoq; inficiuntur. 1. Cor. 15. Habet hic ortũ suum corruptela morum, de qua Matth. 24. &c. Non temerè ergo tot extant de nouissimo die oracula, vt Dan. 7. 12. Isa. 65. 66. Sed & Christus formam huius describit, Matt. 24. 25. Sic Paulus 1. Thess. 4. 5. &c. In primis verò hic Petri locus inspiciendus, qui duo tractauit hucusq;. Primò confutauit eorum senten-

Nouissimus dies.

sententiam, qui omnem hanc doctrinam in dubium vocant. Deinde fideles instruxit, ne dilatione iudiciorum Dei facilè offendantur, &c. Sequitur:

I. Ad vigilantiam & excubias assiduas hortatur. Argumentū est: In periculis, quæ certo, sed repentè incidunt, prouida cura opus est. Dies Domini certò veniet (vt modò demonstrauimus) sed de improuiso. Id explicat simili. Vide de hac re Matth. 24. 1. Thess. 5 &c.

¶ Porrò vt magis moueat, hypotyposi depingit vniuersalem orbis ruinam. Cœli cum fragore corruent. Elementa liquefient. Terra cum omnibus, quæ hac continentur, ardebit, &c.

NOTA. ¶ Quàm incerta sit rerum terrenarum fiduciæ. Item quàm stulti, qui propter has cœlestia planè negligunt. Quid enim dabis pro redemptione animæ? Matth. 16. In cœlis igitur thesauros nobis præparemus. Matth. 6. Luc. 16. 1. Tim. 6. Quę hic parantur opes, accusabunt olim. Iac. 5. Vtinam horum cura maiori tangeremur hodie, &c. *Terrenarum rerum fiducia incerta.*

II. Studium rerum cœlestium commendat. Infert ex præmissis, & duplex est argumentum.

¶ A. Si solui & purgari oportet mundi

partes, quæ bonæ creaturæ Dei sunt, quantò magis nos, qui tot mundi inquinamentis polluimur. Pertinet huc 1. Cor. 15.

¶ B. Cœlum & terra innouabuntur, vt est Isa. 65. Apoc. 21. Rom. 8. &c. Nouos ergo habitatores, innouatos scilicet in iustitia requirunt, &c.

Falluntur qui putant Deum nostra negligere.

NOTA. ¶ 1. Quàm fallantur, qui Deũ mundi studia curare negant. Sed cogitandum carnis studia cum conditione cœlestis illius vitæ pugnare. 1. Cor. 15. Matt. 19. Vestis nuptialis, Matth. 22. &c.

Officium nostrum.

¶ 2. Officium fidelium. Expectantes properent. ¶ A. Expectent patienter, nec iniquius ferant dilationem iudicij & suæ liberationis. Ps. 27. 62. Hab. 1. 2. Apo. 7. &c.

¶ B. Properent in studio vitæ sanctæ, ne torpore carnis circumueniantur. Luc. 17. 21. Matth. 24. & 25. Mar. 13. Solet enim caro, vel murmurare, vel secura procrastinare suum officium. Vtrumq; fugiamus.

III. Plenius exprimit etiam effectus huius studij.

Tria NOTA. ¶ 1. Incontaminati & impolluti inueniamini ipsi Christo. Est hoc præcipuum in vita Christiana. 2. Pet. 1. Iac. 1. Tit. 2. 1. Ioan. 3. 1. Thess. 4.

¶ Interim discimus, veram innocentiam esse

esse, quæ coram Deo potest subsistere, non modò hominibus. Sic Psal.15. Isa. 33 .&c. *Innocentia vera.*

¶ 2.In pace: Intelligit silentium pacatæ animæ, quæ in verbo Dei acquiescit. Continet veram patientiam, excludit æmulationem, murmur,&c. De quibus Psal. 37.73. *Anima pacata.*

¶ 3.Longanimitatem domini nostri putate salutem vestram, id est, Intelligite, Deū propter vos & multorum aliorum salutem tardius venire. Eundem quoq; abbreuiaturum hos dies, cum opus fuerit. Matth.24. Vos modò studete, vt hac mora benè vtamini,&c. Oremus. *Longanimitas Dei.*

HOMILIA XIX.

15 *Sicut & charus frater noster Paulus pro sibi data sapientia scripsit vobis.*
16 *Vt qui in omnibus ferè epistolis loquatur de istis, inter quæ sunt nõnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumq; stabilē detorquent, vt & reliquas scripturas, suo ipsorum exitio.*
17 *Vos igitur dilecti qui hæc præscitis, cauete ne illorum nefariorum errore abducti, excidatis à propria stabilitate.*
18 *Sed crescite in gratia & agnitione Domini nostri et seruatoris Iesu Christi,*

cui gloria & nunc & ad tempus sempiternum, Amen.

QVamuis mortis consyderatio ad studium innocentiæ & resipiscentiæ non parum excitet (Eccles. 7.) efficacior tamen multò est nouissimi diei & venturi iudicij contemplatio. Ibi enim vniuersalis totius mundi ruina proponitur, quæ docet, nihil nos habituros ex omni substantia mundi, quod demus pro redemptione animarum. Matth. 16. Psal. 49. Decet ergo vt in his consyderandis crebrò versemur. In primis verò, quæ de officio nostro dicta sunt, obseruanda erunt.

Officium nostrum. ¶ A. Expectemus patienter Dominum; nec propter tribulationes mundi huius de iudicij extremi dilatione conqueramur. Psal. 27. & 62. Differtur enim propter nos.

¶ B. Festinemus industrij circa præparationem nostri, nec simus illic procrastinatores. Matth. 24. 25. Luc. 12. Huc pertinent quæ de innocentiæ studio passim dicuntur: vt 1. Ioannis 3. 1. Thessal. 4. Ioan. 13. &c. Sequitur.

I. Testimonium D. Pauli Apostoli, quod adducit, tam vt doceat se non solum ita sentire, quàm vt Paulo authoritatem conciliet,

cui

cui multi detrahebant, quasi minus ipsi cum reliquis Apostolis conueniret. Vide Gal.1.2.1.Cor.9.2.Cor.11.12. Quæ causa est, quòd obscuritatem, quæ in epistolis ipsius apparet, excusat.

NOTA. ¶1. Vnam & eandem esse omnium apostolorum docendi rationem. Vt enim vnus omnium magister Christus fuit, ita vno & eodem spiritu ducti sunt. Ioan.14. 16. Patet hoc, si articulatim inspicias quæcunq; docuerunt. Hinc illa in prædicando libertas. Gal.1.1.Ioan.1. *Doctrinæ Apostolicæ consensus.*

¶2. Quod Petrus Pauli scripta citat, & fidelibus commendat, imò etiam defendit à calumnijs. ¶A. Charitatis concordiæq; exemplum. Fuit duriusculè habitus à Paulo Petrus, vt extat Gal.2. Non tamen ambitiosè contra illum furit, vt quidam nostro sæculo fecerunt. *D. Petri charitas & modestia.*

¶B. Modestiæ sanctorum specimen. Licet se donis varijs ornatos videant, non tamen alios contemnunt. Respiciunt enim ad harmoniam illam corporis ecclesiæ, de qua 1.Cor.12. Sic Daniel Ieremiam legit. Dan.9. Christum vide Luc.4. Matth.24. Ioan,5.&c. Prô quantum hodie peccatur superbia?

¶3. Quod multa in Pauli & aliorum scriptis torqueri dicit ab indoctis & vanis, &c.

Scripturæ obſcuritas vnde?

¶ A. Vnde ſua ſcripturis obſcuritas? Per ſe lucerna ſunt & regula. Pſalm.19. 119. Sed multi ſuæ rationis tenebras inferunt. Patet hoc in doctrina fidei & operum. Sobriè ergo agendum. Exuendi calcei. Exod.3. Pſ.73. Accedamus diſcipuli, non magiſtri.

Detortorũ ſcripturæ pœna.

¶ B. Quid detortores ſcripturæ maneat. Sibijpſis interitum accerſunt. Non impunè fert, qui tabulas publicas violarit: multò minus ergo, qui in ſcripturas fuerit impius. Apoc. 11. Exempla ſunt in tyrannis & hæreticis.

¶ C. Falli, qui propter obſcuritatem à lectione ſcripturarum plebem arcent, &c.

II. Concludit epiſtolam, vbi hæc NOTA.

¶ 1. Curate, ne ſeducti prophanorum errore excidatis à propria firmitate. Loquitur de illuſoribus, quorum initio capitis meminit. Poteſt labi qui ſtat. 1. Cor. 10. Nocent hic multum praua colloquia. 1. Cor. 15. Maiori ergo cura tales erant hodie compeſcendi.

¶ 2. Creſcite in gratia, id eſt, donis ſpiritualibus, per cognitionem Chriſti. Profectu & augmento opus eſt. Vt primum pedem ſiſtimus, retrò labimur. Vide Phil. 3. Luc. 17. Arguit hoc eos, qui nihil pupereſſe putant, quod diſci oporteat, &c.

¶ 3. Elo-

¶3. Elogio breui diuinitatem Christi asserit. Soli Deo debetur gloria in æternum. Psal.113. At eadem debetur & Christo. Dan. 7. Isa.53.9. Mich.5. Luc.1. &c.

Soletur nos regni huius æternitas. Psalmo 110.

Didicimus veritatem fidei Christianæ, non seducamur vel falsa doctrina, vel Epicureismo.

Oremus.

17 Nouemb. 1551.

IN D. IOANNIS APOSTOLI EPISTOLAM CAtholicam primam D. Rodolphi Gualtheri Ministri Ecclesiæ Tigurinæ Homiliarum syluæ vel archetypi.

CAPVT I.

HOMILIA I.

QVod erat à principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, et manus nostræ cõtrectarunt de sermone vitæ.

APOstoli & Euangelistæ non modò historiam Christi describunt, sed eandem diligenter hominis institutioni applicant, & docent quid singuli credere & facere debeant, vt salutem assequantur. Adhæc occurrunt ijs, quibus à salutis via auocamur. Facit hoc ipsum in hac epistola Ioannes, quæ & fidem veram in Christum, & vitæ Christianæ officia tradit. Vt verò rectius intelligatur, & fructu maiori audiatur, initio de duobus erit dicendum. I. Occa-

I. Occasio scribendi, quod apostolis adhuc viuentibus errores multi in Ecclesiam irrepserunt. 1. Impostores quidam Christum palàm oppugnabant. Simon M. Acto. 8. Hebion. Cerinth. Nazaræi. Actor. 15. Occasio huius epistolæ scribendæ.

2. In cultu externo peccabatur. Communicabant cum simulachris. 1. Cor. 8. 9. 10. Sa cram, prophanabant, 1. Cor. 11.

3. Sub Euangelij prætextu multi quærebant peccandi licentiam, &c. Denique ea tunc erat rerum facies, quæ hodie. NOTA. ¶. Quod apostolis adhuc viuentibus hæc facta prædictum Matth. 13. Non dormitarunt quidem apostoli. Sed qui audierant eos, &c. Neminem igitur similia offendant, vt ideo Anabaptistis locum det. Vigilent autem ministri, &c. Actor. 20. Singuli item cogitent non sufficere si semel instituti sint, sed perpetuo studio opus esse, cum propter naturæ nostræ vitiositatem, Genes. 8. tum propter satanam, 1. Pet. 5. Et quid possit, experimur. Oremus ergo Matth. 26. 6. Hæreses & scandala quem offendant.

II. Argumentum epistolæ, vt his malis medeatur, hoc ordine 1. Christum, & in hoc omnem salutis rationem proponit, docens, qui nos, quid item nobis Christus conferat.

2. Ea remouet, quæ à salutis via auocant, Mundi studium & doctrinam Antichristianam. Argumentum.

3. Contra falsos fidei professores dis- serit de vitæ Christianæ officijs, puritate animi, innocentia, charitate. Interserit autem subinde Christi & fidei mysterium.

Vsus. ¶. Seruit ergo epistola hæc nostro sæculo, quando falsa dogmata sperguntur, religio friget, feruent autem superstitiones & scelera, vt prædictum Matthæi 24. Lucæ 18.

Propositio. Proponit summam, & sensus est: Scribam de verbo vitæ, Iesu Christo: eo nimirum, qui ab initio erat, & quem in carne ipsi coràm audiuimus, vidimus, palpauimus, &c. Habet propositio hæc partes duas.

Verbum vitæ. ¶. Qua de re velit scribere? De verbo vitæ. Ita dicit Christum, vt etiam Ioan. 1. Est enim verbum illud Dei æternum & essentiale, per quod hic omnia iubet & facit. Psa. 33. Ioan. 1. Deinde vt sermo est animi index, ita Christus est expressa substantiæ Dei imago, per quam hic nobis innotescit. Hebræ. 1.

¶. Vitæ autem verbum dicitur, quia in ipso vita est, & eandem alijs cōmunicat, Ioan. 1 Loquitur autem de æterna vita. Huius ipse author & Mediator est. Ipse enim peccatum expiauit, per quod mors introi-

uerat.

uerat.Isa.53.1.Pet.2.Mortem resurrectione vicit,&c.Iohan. 5. Patrem nobis placauit. Matth.3.17.2.Corinth.5. Nos sibi cohæredes fecit.Eph.1. Denique in ipso vno salus est,Actor.4.

¶. Nihil ergo maius poterat polliceri Iohan. & nos quam chara nobis est vita nostra, tam grata esse debet hæc epistola.

2. Quid scribere velit? Sunt enim qui de rebus magnis disserunt, sed vel noua & inutilia, vel incomperta dicunt. Duo igitur ait: ¶. 1. Quod erat ab initio. Initij vox ad Deū & æternū eius decretū refertur. 1.Pet. 1.Ephes. 1. Sensus ergo est: Non nouum quid dicam, sed de eo qui iam inde ab æterno fuit, & quod de illo Deus ab æterno decreuit: Vt nimirum in carne natus humani generis redemptor fieret. Ad huius confirmationem faciunt primæ promissiones. Gen.3.12.22.&c. Et hic fundatur vetustas fidei nostræ, quæ etiam catholica est. *A principio.*

¶.2. Quod audiuimus,&c. id est, quod vere nobis compertū est,&c. Adducit autem omnes sensus, ne quis eos vanis speculationibus deceptos putaret. *Testes.*

1. Audiuerunt D.F. coràm, non ex alio-

rum relatione. Huc facit, Ioan.1.15. Matth. 13. Imò Patrem audierunt cœlitus, &c. Matthæi 17.

2. Viderunt oculis suis, imò spectarunt. Viderunt autem incarnatum 2. Pet. 1. miracula facientem, vinctum, &c. Ioan. in cruce vidit, &c. Ioan. 19. Resuscitatum & ascendentem in cœlos Ioan. 1.

3. Contrectarunt denique etiam à resurrectione. Luc. 24. Ioan. 26. &c.

Apostolicæ doctrinæ certitudo.

¶. Asseritur his apostolicæ doctrinæ & nostræ fidei certitudo. Fuerunt quidem apostoli homines, sed ijdem testes Christi fuerunt. Ioan. 15. Actor. 1. Testati autem sunt de re comperta: & quidem Spiritu suggestore, Ioan. 14. 16. Act. 2. Testimonium suum primum miraculis (Marc. 16.) deinde morte & sanguine suo obsignarunt. Et Christus ipse suum testamentum condit ea conditione, vt credamus, &c. Ioan. 17. At illi nihil præter Christum tradiderunt. Actor. 4. 1. Cor. 2. Hunc ergo amplectamur, & eo vno contenti simus, & pro fidei incremento atq; constantia assiduè Oremus.

HOMI-

HOMILIA. II.

2 *(Nam vita patefacta est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam illam æternam quæ erat apud Patrem, & patefacta est nobis.)*

IEsus Christus iam cœlum ascensurus discipulis dixit: Vos eritis mihi testes, &c. Actor. 1. Vtque scirent, quid de ipso deberent testari, addit: Prædicate, &c. Marc. 16. His verò non solum ipsos officij admonere voluit, vt libere & constanter prædicent quæ de ipso comperta habeant: Sed simul docet, quæ apud nos esse debeat apostolicæ doctrinæ, id est, euangelij authoritas. Vt nimirum testimonium esse meminerimus, cui omnes credere oporteat, qui seruari volunt. Ideo Apostoli, non modo constanter prædicant, sed in suis concionibus & scriptis subinde vrgent se Christi testes esse, & sui testimonij veritatē asserunt, non tam sui honoris ergò, quam vt plures lucrifaciant. Sic Pet. Acto. 2. 3. 10. Et nuper Ioan.

¶. Quia autem protestatus fuit, se dicturum de verbo vitæ, non solum quæ audiuerint, sed quæ viderint, & c: idque absurdum poterat videri, nunc plenius se expli-

cat, simulque qualis sit hæc vita docet, &c.

Christus vita dicitur. I. Vita manifestata est, &c. Christum, quem verbum vitæ dixerat, nunc ipsam vitam dicit. Primum, quia non ipse modo viuit, sed vitam in se credentibus confert. Iohan. 1. 11. 5. In homine nihil quam peccatum & mors. Roman. 7. Solus Christus liberat & vitæ restituit. 1. Corinth. 1. Idem in credentibus viuit suo spiritu, & per vitæ semitas ducit, Gal. 2. Extra hunc qui vagantur, pereunt.

Status. ¶ Quoad verò statum huius loci, vult Apostolus docere, quomodo vitam hanc viderint, vnde item ipsis hæc cognitio, vt ijs respondeat, qui dicebant: Quis vos tam sagaces fecit, vt quæ alios latuerunt, videritis? Num in cœlo fuistis? Ita enim solent prophani. Respondent ergo: Vita manifestata, &c. Non dico nos nostro acumine hanc inuenisse. Deus illam æterno suo decreto concluserat in filio, & quamuis patribus eam obscurius adumbraret, perfectam tamen reuelationem seruauit, præfinito tempori. *Vita quomodo manifestata.* Hoc igitur vbi aduenit, Vita manifestata, &c. id est, Verbum caro factum, & Deus Filius qui vita est, in carne se manifestauit, Ioã. 1. 1. Tim. 3. Et nos vidimus, id est, licet in carne esset, vidimus tamen eum vt

vnige-

vnigenitum Filium, plenum gratia & veritate. Ioan. 1. Et quia talem vidimus, de eodem testamur & annuntiamus vobis, &c.

NOTA. ¶. 1. Quòd vitam manifestatã dicit, non cognitam alicuius industria. Nihil enim hîc potest hominis industria. 1. Corinth. 2. 1. Hinc illud Ioan. 6. Isa. 54. Imò nisi Deus nos præueniat, neque de illo neque de vita seriò cogitamus. Ita factum hoc nouissimo seculo. Est ergo hoc gratuitum Dei beneficium. 1. Tim. 2. Huic debetur omnis nostræ salutis gloria.

Salus gratuita.

Nemo tamen ideo securus sit. Habet sua media Deus inter quæ Verbũ est. Rom. 10. Vult item orari. Itaque cum Dauide & apostolis, &c. Psal. 25. Luc. 17.

¶. 2. Cur Apostolis potius quam alijs manifestata? Nihil enim habuerunt eximiũ præ alijs. Actor 4. Luc. 22. Act. 1. Sed ita Domino placuit? Matth. 11.) vt mundum confunderet (1. Cor. 1.) & ostenderet, hoc negotium non esse humanum. Habes quod respondeas quærentibus, Cur hodie tam obscuris hæc reuelata, cæcutientibus tam multis? &c. Regnum Dei non pendet ab hominum dignitate, neque illi opus est nostro splendore. Neque debemus ab eo rationes exigere.

Apostolis cur præ alijs reuelata.

¶. 3. Quòd Apostoli quod viderunt, testati sunt & prædicarunt. Hoc itidem repetit, Nec enim debuerunt sibi seruare. Matt. 10. Quam verò constanter fuerint, patet Actor. 4. 5. Imitentur ministri. Amos. 3. Vt verò vnum Christum prędicarunt Apostoli (Actor. 4.) ita hodie fiat. Qui aliquid addunt, euangelium adulterant. Gal. 1. 5. Seducunt item Ier. 2. Isa. 3.

Apud Patrem quomodo fuerit.

II. Docet de qua vita loquatur? De vera nimirum & essentiali: Vita erat apud Patrem, &c. Non locum exprimit, sed essentiam, vt Ioan. 1. Apud Deum esse dicitur, non vt Angeli & sancti, sed quia cum Patre vnitus est, neque ex incarnatione imminutus. Ioan. 14. 10. Similis locutio, Ioan. 3. Filius hominis, qui est in cœlo. Ideo addit, Et manifest. &c. quasi diceret. Etsi hominem assumpserit, & nobis manifestaretur, tamen erat apud Patrem, neq; propterea Deus esse desijt. Vtraq; natura exprimitur.

Fidei nostra certitudo.

¶. Fundatur hic fidei nostræ dignitas & certitudo. Ridet nos Turcæ, & Iud. obijciunt, Ier. 17. Atqui nos ei fidimus, qui etsi homo sit factus, est tamen verbum vitæ & vita, qui vnum cum Patre & Deus est. Qui item se talem esse probauit operibus olim prædictis. Isa. 35. Ideo dicebat, Ioan. 5. 10.

Meritò

Meritò igitur ei fidimus, qui & poteſt ſolus ſeruare (Iſa. 45.) & vult, cum noſtras infirmitates in ſe receperit Hebr. 4. & nos inuitet. Matth. 11. Agnoſcamus ergo hanc Dei bonitatem, grati ſimus, & ei viuamus, qui pro nobis eſt mortuus. 2. Cor. 5. Oremus.

HOMILIA III.

3 *Quod* (inquam) *vidimus & audiuimus, id annuntiamus vobis, vt et vos communionem habeatis nobiſcum: et communio noſtra ſit cum Patre & cum filio eius Ieſu Chriſto.*

4 *Et hæc ſcribimus vobis vt gaudium veſtrum ſit plenum.*

QVia apoſtoli Chriſtum prędicarunt, in quo vno ſalus omnis habetur. (Actor. 4.) nemo niſi qui ipſorum doctrinę crediderit, poteſt ſeruari. Vt ergo ſalutem hominum impediat ſatan, multa aduerſus illam cominiſcitur per ſuos ſatellites: quorũ alij eam nouitatis accuſant, alij incertam dicunt, & ab hominibus confictam. Ideo Ioannes non temere ab initio ſtatim ſuæ epiſtolæ multis docet, quæ doctrinæ apoſtolicæ authoritas & certitudo ſit, oſtendens ipſos

non aliud docere, quam quod Deus æterno decreto statuerit, & quod primis promissionibus nitatur. Deinde ipsos coràm hæc omnia audiuisse, vidisse, idque ex peculiari Dei beneficio, qui vitam ipsis manifestarit, vt per ipsos alijs innotesceret, &c.

Quia autem, quotquot vnquam nouas religiones instituerunt, eas sui commodi causa cõmenti sunt, vt Numa, Ierob. 1. Reg. 12. ideoq; qui prius inaudita tradunt, ferè suspecti sunt, in præsenti suspicionem hanc amolitur, & quis Apostolorum scopus sit, docet.

Scopum suũ ostendit. Quod vidimus, &c. Repetit, ipsos de sua doctrina certos esse, & simul hoc vult dicere: Si vestras opes venaremur, aut honores aut quodcunque commodũ priuatum, merito essemus suspecti. Sed adeo non quærimus vestra, vt vos eorum cupiamus consortes facere, quæ nos iam habemus. Habemus autem communionem cum Patre & Filio. Is nobis regnum præparauit, & nos pro hæredibus agnoscit. Vt ergo idem vobis obtingat quærimus, &c.

Fidei, & bonorũ cœlest. ratio. NOTA. ¶. Ingenium fidei & quæ ratio sit bonorũ cœlestium. Fides nõ est sine charitate. Gal. 5. ideoq; nemini inuidet nõ quærit sua, &c. 1. Corin. 13. Ipsa verò bona cœlestia.

ctia, quia omnibus sufficiunt, non reddunt inuidos, sed charitate accendunt. Qui enim illa fide apprehenderunt, in solius Dei gloriam intenti sunt. Quia ergo hæc aliorum salute in primis prouehitur, hanc quærunt. Hinc illud studium Apostolorum (2. Corin. 11.) Martyrum. Quales ergo censendi, qui de aliorum salute nihil soliciti hoc vnum agunt, vt ipsis bene sit, imò voluptuantur.

¶. Sed quoad statum loci, obseruandum.

I. Vnam & eandem salutis rationem esse tam nostræ quam Apostolorum. Vt enim omnis salus in Christo est: ita hunc habeant oportet qui seruari volunt, & talem quidem, qualem Apostoli tradiderunt. Ideò ipse nos cum Apostolis coniungit. Iohan. 17. &c. Ita ipsi, 1. Iohan. 2. 1. Tim. 1. Vt ergo illi per solius Christi meritum seruati sunt. (1 Corith. 2. Galat. 6.) Ita nos illo vno niti debemus. Vt illi vnum Christum agnouerunt Mediatorem. (1. Tim. 2. 1. Ioan. 2.) ita idem nobis sufficiat.

Salutis nostræ eadem est ratio quæ Apostolorum.

¶. Falluntur ergo qui Apostolos quidem in Christo seruatos fatentur, nos autem illorum & nostris meritis seruari contendunt. Ille gloriam suam nemini dat. Isa. 42 Ioan. 14. 4. Neque exhauritur eius meri-

Merita Apostolorum & nostra.

tum,&c.Heb. 13.Et absurdum fuerit diuersam ab Apostolis salutis viam ingredi, cùm illi omnia fecerint,vt nos suos consortes haberent.

2. Quæ & qualis hæc communio? Apostoli sanè miserrimi fuerunt mundi iudicio.1.Cor. 4. Rom. 8. Et caro cum talibus non vult communionem habere. Ostendit ergo quò vsque hæc extendatur. Communio nostra est,cum Patre & Filio.IdemChristus ait,Ioan.14.Ergo nō hærendum in præsenti facie rerū.Quos enim Christus è mundo selegit,sibi vnit.Iohan. 6. Et quia vnum cum Patre est, eosdem huic etiam adducit. Continetur ergo hic omnis felicitas. Christus totus noster est. 1.Corin. 1. Et propter hunc nobis quoque Pater estOmnipotens, Bonus,Verax,Sapiens,Iustus,&c.Hęc item ad omnes credentes pertinent,neque obest multitudo eorum,qui ante nos fuerunt.Ioan.14.Psal.136.

Communio nostra cum apostolis quid?

¶.Hæc dulcissima est consolatio in aduersis omnibus, & simul officij admonet. Qui communionem habent cum Deo, ijs non nocet egestas.Matth. 6. Psal.145. 147. Non infamia,1.Sam.2.Non exilium, Iohan. 14.Non mors,Ioan.1.11.Col.3.Hinc illa fiducia Pauli Rom.8.

Consolatio.

3. Finis:

3. Finis: Hæc ſcribo, vt gaudium, &c. Gaudia mũdi varia ſunt, pro diuerſis homi num cupiditatibus & ſtudijs. Sed nullũ per fectum aut ſtabile eſt. Vana enim ſunt, quæ cunque mundus magnifacit. Iſa. 40. Eccle. 1. &c. Et concurrunt curæ, dolor, moleſtia, &c. At hîc plenum gaudiũ promittitur. Fun damentum eſt Chriſtus, qui conſcientias placat & Patri reconciliat. Roman. 5. Hinc omnia bono noſtro ſeruiunt. Roman. 8. Sequitur gaudium hîc quoque interdum. Ioan. decimo ſexto. Et ſi omnia fallant, æternum. Iſa. 64.

Gaudium verum.

NOTA. ¶. Quid in euangelio quæri debeat? Non quæ carni arrident & mundo. Sed vt hæc communio cum Deo nobis ſalua ſit. Id fiet, ſi in Chriſto firmi ſtemus & intrepidi. Item ſi ambulemus in eius luce. De eo in proximè ſequentibus. In his ſimus, & Oremus.

In euangelio quid quærendũ?

HOMILIA IIII.

5 *Hoc eſt igitur nuntium quod audiuimus ex ipſo, & renuntiamus vobis, Deum lucem eſſe, nec tenebras in eo eſſe vllas.*

6 *Si dixerimus nos societatem habere cum eo, & in tenebris incedimus mentimur, nec sincere agimus.*

7 *Quod si in luce incedimus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo mutuam, & sanguis Iesu Christi Filij eius purgat nos ab omni peccato.*

QVemadmodum qui nouam religionē, tradunt ferè suspecti sunt, ac si id priuati commodi causa faciant, Ioan. nuper testatus est, Euangelij hunc finem esse, vt qui à Deo alieni erant, huic reconcilentur, & cum eo communionem habeant. Conuenit hoc cum verbis Christi. (Iohan. 14.) & omnem fœlicitatem comprehendit. At quia plerique pro innata sibi vitiositate, ex hac doctrina peccandi licentiam captant, nunc de officio hominis Christiani disserit, & simul ijs respondet, qui per Euangelium licentiam inuehi clamant.

ἐπαγγελίαν, Erasmus promissionum vertit

Hæc est promissio, &c. Euangelium promissionem dicit, quia non nuda est rerum per Christum gestarum prædicatio, sed nobis insuper promittit & offert quicquid ille meruit. Docet enim præstitisse Deū, quæ olim promisit, 2. Corinth. 1. Gen. 3. 22.

3.21.53. & Christum producit, qui ad se inuitat & pollicetur, &c. Matth. 11. Iohan. 7. Et ratas esse promissiones quas olim dedit, apparet ex eius postremis verbis, Ioan. 17. Mar. 16.

¶. Vsus, vt credamus Euangelio, ne fidem Christi in dubium vocantes in ipsum peccemus. Vide Bapt. verba Iohan. 3. Quid vero in præsenti ait?

I. Deus lux est, & tenebræ in eo non, &c. A Dei natura argumentatur. Qui cum Deo volunt communionem habere, eius ingenio se accommodent oportet: Deus lux est: ergo luci studeant, & huius opera faciant.

Dicitur autem Lux per comparationem, multas ob causas. 1. Lux & ipsa videtur, & alia illustrat: Ita Deus vbi nobis innotuit, simul animos illuminat. Psal. 36. *Deus cur lux dicatur*

2. Lux iucunda est & exhilarat: Ita Deus si nobis clemens affulgeat. Psalm. vigesimo septimo.

3. Lux dirigit gressus: Ita Deus suo verbo & Spiritu. Psal. 119.

In primis tamen huc facit, quod vt nihil purius luce: Ita Deus purissimus est in omnibus suis attributis & operibus. Isa. 6. Psalm. 51. Nulla igitur potest ei esse com-

munio cum tenebris.2.Corinth. 6. Et pro-inde in luce ambulare oportet,& lucis ope-ra facere eos, qui cum illo communionem habere cupiunt,&c.

Opera lucis & tenebrarum. Sed NOTA. ¶. Quæ sint opera lucis? Id patet ex collatione.Rom. 13.Opera tenebrarũ cum operibus carnis coniunguntur. De his vide Gal.5.Sunt quæ cum fide & religione, morum innocentia,veritate,sobrietate & charitate pugnant. E contra lucis opera erunt, fides vera in Deũ,religio pura, veritatis studium, sanctimonia & dilectio fraterna. Sine his non videbimus Deum, Heb.12.Psal.15.Isa.33.

2. Ideo subijcit Apostolus:Si dicamus, &c. 1. Si nos Christianos & Dei filios esse gloriemur, ambulamus autẽ in tenebris, adeò non proderit hæc gloriatio vt potius arguat nos mendacij, & ita diaboli filios nos esse prodamus, qui pater mendacij est. Ioan.8.

Professio fidei nuda nõ prodest. ¶. Non prodesse fidei professionẽ,sed vt huic respondeamus oportet.Iac.2.Matt. 7.Interim nemo offendatur, si qui secus agunt.Fuerunt tales semper & nisi essent,nõ opus haberemus hisce admonitionibus.

3. Fructus & præmia. 1. Communionem habemus inter nos:Eam nimirum,quã

dixi

dixi nobis esse cum Patre & Filio. Veri erimus Christiani, & Ecclesiæ membra, quam Christus pro sponsa sua agnoscit. Psal. 45.

2. Sanguis Filij Dei emundat, &c. Etsi enim per fidem Christo inseramur & iustificemur, restant tamen peccati reliquiæ &c. Rom. 7. Prou. 24. Promittit ergo Christum esse qui suos emundet, ne ipsis peccata imputentur.

NOTA. ¶1. Solius Christi mentionem fieri. Solus ergo hic emundat. Si enim hîc aliquid nostris meritis deberetur, quantam habuisset hæc extollendi occasionem Apostolus. Sed solum Christum nominat, & dicit, Ab omni peccato, &c. Ita ipse D. docet, Isa. 43. 44. Bapt. Ioan. 1. Christus Ioan. 13. Ideo omnes sancti ad hunc vnum confugerunt, & ita docuerunt. Psal. 51. Acto. 4. 13. 15. Iugulantur omnes aliæ peccatorum expiationes. In primis Purgatorium. *Peccatorũ expiatio vnica, sanguis Christi.*

¶2. Peccati atrocitas quanta sit? Si enim solius Filij Dei sanguine eluuntur, horribilis sit oportet illorum culpa. Expendant hoc diligenter qui sibijpsis blandiuntur. An non pro te Christus mortuus? In summa hæc omnia nobis applicemus. Res grauis est Christi professio. Et qui hîc fallunt, ijs cum Deo res est, & non hominibus, sed spi- *Peccati atrocitas.*

ritui Sancto mentiuntur. Acto.5. Itaque se-
riò agamus, & procul relictis tenebrarum
operibus, ambulemus in luce Euangelij, vt-
que nos in ea Deus suo Spiritu dirigat, in-
desinenter Oremus.

HOMILIA V.

8 *Si dixerimus, nos peccatum non habe-
re, nos ipsos fallimus, & veritas in no
bis non est.*
9 *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est
& iust⁹, vt remittat nobis peccata no
stra, et purget nos ab omni iniquitate.*
10 *Si dixerimus, nos non peccasse, menda
cem facimus eum, & sermo eius non
est in nobis.*

VT Deus suum Filium propter nos misit, ita in eodem proponit omnem salutis plenitudinem, Col.1. Comprehendit hanc Ioannes duobus capitibus. 1. Communione cum Deo, quæ sola sufficit. Gen. 17. Rom.8. 2. Ablutione à peccatis, quæ à Deo alienant. Isa.59. Quando autem hæc doctrina prædicatur, duo hominum genera occurrunt. Vnum Epicuræorum illam ridentium. Psal.94. Alterum hypocritarum, qui suæ iustitiæ fidunt. Vtriq; non putant

Christo

Christo opus esse. Sed vtrisque respondet Joannes,& docet,Christo & gratia,quã nobis meruit, opus esse hominibus. Deinde quid fieri debeat, vt eam acquiramus.

I. Summa primæ partis. Qui peccatores sunt,ijs Christo opus est,per quem abluantur:Atqui omnes homines sunt peccatores. ergo &c.

Quia autem hypocritarum confidentiam non ignorabat,in Minori grauiter pronunciat:quasi diceret:Si quis hoc negare ausit, is fallit seipsum,& veritas in eo non est:ideo que ei neq; cum Deo potest conuenire. Verè autem hoc dici,apparet ex Gen 6.8. Et sancti omnes hoc semper confessi sunt:Psal. 51.25.130.143.Isa.64.Rom.7. Et prodest de isto sæpe cogitare. *Negantes se peccatores esse.*

¶1.Securitati medetur, quæ nobis naturæ inhæret.Et hæc causa est,quod à satana et proprijs cupiditatibus circumuenimur, vt Eua Gen.3.2.Cor.11.Sæpe ergo de his cogitemus,et examinemus nos ad legis speculũ. *Securitas.*

¶ 2. Retundit propriæ iustitiæ fiduciam, qua nihil nocentius est. Volumus enim boni videri,& quidem coram Deo quoque. Hinc hypocrisis nascitur, ex qua nostrorum operum fiducia prouenit : quæ facit, ne Christi iustitiam apprehendamus. *Iustitiæ propriæ fiducia.*

Videtur enim dementis esse alibi quærere quod domi habeas. Quod si verò tales vrgeantur, hostes fiunt gratiæ & meriti Christi. Sic olim Pharisæi Luc. 18. Rom. 10. Imitantur istos hodie monachi & horum similes. Semper ergo nobisipsis occinamus quod in præsenti dicitur, &c.

Confeßio. II. Quid ergo fieri debet, ne damnemur? Si confiteamur, &c. Confessionem requirit, quia vt medicum non admittunt, qui nolūt ægroti videri: Ita non admittunt Christum, qui animi morbos dissimulant. Et ijdem vt Deo non dant gloriam; ita intra se non quiescunt, &c. Psal. 32. Prou. 28. &c.

Qualis requiratur. At hic NOTA. ¶ 1. Qualis confessio requiratur? Nam hoc quidam exponunt de auriculari. Sed de ea agitur, quæ Deo fit, qui solus peccata remittere potest. Matth. 9. Est ea duplex. Priuata, qua semper opus est, cum subinde peccemus. Prou. 24. De hac admonemur in oratione Dominica. Publica, quæ fit cum tota Ecclesia, vt Deo gloria tribuatur, & eiusdem imploretur misericordia. Ad hanc opus vera agnitione nostrijpsius. Psal. 51. 19. Contritione cordis. Fiducia misericordiæ Dei. Psal. 130. Emendationis studio. Exempla huius in Dauide. Item Mar. 1. Act 2. 19. Hęc nihil commune habent

cum

ſum auriculari, vbi exigitur quod impoſsibile eſt, Pſal.19. Et ab homine petitur, quod ſolius Dei eſt. Matth.9.

¶2. Fructum. Remittet peccata noſtra, & emundabit, &c. Ita nobis applicat quod dixit de Chriſti ſanguine. Conuenit hoc cum Pſal.32. Et cum parabola Matt.18. Item cum exemplo publicani Luc.18. *Confeßionis fructus*

Addit tamen loco confirmationis argumenta ex Dei natura 1. Fidelis eſt Deus, ergo præſtabit quod promiſit. Iſa.1.43.44. Zach.1. Ezech.18

2. Iuſtus eſt: ergo non turbabit à ſe ſancitum ordinem: qui eſt, vt Chriſtus ſit noſtra ſatisfactio, iuſtitia, &c. 1. Cor.1. Iſa.53. 2. Cor. 5. Col.2. Item non exiget mulctam ab ijs, qui Chriſtum audiunt, &c. Matth.17. Eſt ergo in iuſtitia Dei quoque fundata ſalus noſtra.

III. Quia nihil confidentius hypocriſi, repetit quod initio dixerat, & amplius quid addit, Quaſi dicat: Quid opus eſt verbis, quaſi alicui Chriſto non ſit opus? Si enim hoc dixerimus, non modò ipſi mendaces ſumus, ſed Deum quoq; mendacij inſimulamus, & ſermo eius non eſt in nobis. Durum hoc, ſed veriſsimum. Deus enim clamat, Gen.8. Pſal.14. Iſa.53. Rom.3. Quin in Filij miſsione nos omnes peccati arguit. *Quantopere peccent peccata ſua dißimulantes.*

Iustitia propria fiducia.

¶ Confutantur hic omnes, qui hominem propria iustitia seruari dicũt. In primis qui opera supererogationis venditant. Agnoscã mus ergo nos peccatores esse. Amplexemur autem Dei gratiam nobis in Christo factam. Huius merito fidamus. Interim eidem grati simus, & eidem nos sistam' viuentem hostiam. Roman. 12. 2. Corinth. 5. Oremus. *Psal.* XXXII. *Peccatum meum tibi notum feci, & iniquitatem meam non cælaui: Cogitabam, Fatebor contra me transgreßionem meam Domino: Et tu remisisti iniquitatẽ peccati mei.*

CAPVT II.

HOMILIA VI.

1 *Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis. Quod si quis peccarit, aduocatũ apud Patrẽ habemus Iesum Christũ iustũ.*

VT multi homines externis donis Dei ex innata vitiositate ad suã pernitiem abutuntur: ita hoc ipsum in euangelio quod vitæ æternæ (2. Cor. 2.) verbum est, solet fieri. Constat hoc doctrina pœnitentiæ & remißionis peccatorum, Luc. 24. At si pœnitentia cum suis fructibus exigitur, mox suorum operum merita stabiliri putant hypocritæ, & suam iustitiam statuendo, eam negligunt,

gligunt,quam Deus in Christo nobis offert. Rom.9. Quòd si illos confutes & salutem in gratuita Dei misericordia & Christi merito consistere doceas,carni & mundo dediti,ex eo licentiā peccandi arripiūt, & ita viuūt,vt euang.propter ipsos malè audiat.Factū hoc apostolorū quoq; tēpore,qui ideo doctrinā suā sic moderantur,vt vtrisq; occurrant. Et huc facit præsens locus in primis,&c.

I. Quia dixerat omnes peccatores esse,& id necessariò omnes fateri debere,erant qui dicerent:Quid ergo nosipsos nequicquā fatigamus? Quin indulgemus desiderijs, vt sit quod confiteamur, & Deus suā misericordiam exercendi habeat occasionē. Docet ergo hoc minimè sequi. Sed illud dictū esse in cōsolationē conscientiarū: Vt itē de reconciliatione cū Deo cogitemus,quando constat,huius irā accendi peccatis(Col.3.)& eadem omnis generis calamitates parere. Sed singulas voces obseruemus. *In quem finem doceamur nos peccatores esse.*

¶ 1. Filiolos dicit. Frequēs hoc Apost. Gal. 4. Ratio, quia per ministros regeneramur. 1. Cor.4. 1. Pet.1. Officij admonētur ministri, vt nō scurras aut tyrannos,sed patres agant, ament,& saluti consultum velint. 2. Cor.11. Vicissim populus suos doctores amet,& vt patres reuereatur,Exod.20. *Ministri sint patres Auditores filij.*

Epistolæ Apostolorum.

¶2. Hæc ſcribo. Atqui ad prædicandum miſsi fuerunt.Mar.16. Sed non literam huius mandati,ſed ſui miniſterij finem potius reſpexerunt.Matt.28.Act. 1. Ad hoc imprimis faciebant Epiſtolę,&c. Deinde poſteris erat conſulendum propter impoſtores.

In hac igitur Apoſtolorum diligentia curam Dei pro ſua Eccleſia agnoſcamus, vt grati ſimus.

Scriptis etiam docendum.

Imitentur item Apoſtolos, quibus hoc datum eſt.Nec audiendi,qui ſcribendo multos irritari aiunt. Fit enim idem prædicando,& Apoſtolis hoc exprobratum. Act. 16. 17. Num autem ideo ceſſarunt? Idem ergo fiat hodie.

¶3. Ne peccetis. Generale præceptum, & neceſſarium. Iſa.59. Ideo vrgetur in Lege & Prophetis. Leuit.19.20.26. Iſa.1.&c. In nouo Teſtamento quoad generalem doctrinam Luc.3.24. Specialia exempla, Ioan.8.5. Baptiſmus idem exigit. Rom. 6. Arguuntur hic pſeudoeuangelici, quibus ſeruit Matth.7.

II. Quia impoſsibile eſt, vt omnino non peccemus, docet quid faciant qui peccarũt. Neceſſaria doctrina. Alij enim deſperant, vt Cain. Gẽ.4. Alij ex ſeipſis nouas ſalutis vias, & Mediatores quærunt. Dicit ergo: Si quis pecca-

peccarit,&c. Quasi dicat:Scio hoc præstitu impossibile esse. Sed nemo ideo desperet. Nemo incertus vagetur. Quia peccatores sumus,aduocato opus est. Hunc habemus, vt nō opus sit quærere.Et quidem vnū,non multos, vt nullum sit in delectu periculum. Est hic Iesus Christus , qui & gratia valet, quia Filius, & potest,quia iustus, &c.Ad hūc ergo confugite,qui inuitat,Matt.11. Ioan.7. Sunt hæc consolationis plenissima. *Peccatorum remedium.*

Sed probè NOTA.¶1.Solum Christum aduocatū dici.Opus enim est eo,qui & Dei iudicium sustinere,& quem nostra infirmitas ferre queat.Qui item valeat gratia. Ista soli Christo insunt. Deus & homo.Ioan.1. Heb.2.4.Solus ex hominibus iustus. Isa.53. Ioan.8.Solus à Deo ad hoc ordinatus,vt patet Ps.110.Isa.42.Matth.3. 17. Ipse quoque hanc gloriam sibi soli vendicat Mat.11.Ioan. 14.Ideo veteres in hunc vnum respexerunt, Ioan.8.&c. Et Apostoli hunc vnum tradiderunt.1.Tim.2. Eodem ergo contenti simus. *Christus aduocatus noster solus.*

¶2. Falli eos, qui gloriam hanc in Diuos transferunt, & nos in hos dicunt contumeliosos esse. Nituntur hi rationibus humanis.Sed audi Deum.Is. 55.Deinde Ioannem vide.Fuit ei credita virgo Maria,cui primatus inter Diuos debetur.Ioan.19.Et procul *Non transferenda hæc gloria ad diuos.*

dubio noluit illam defraudare sua gloria. Attamen non ad hanc, sed ad Christum nos remittit. Deinde fuit ipse discipulus ille dilectus. Ioan. 13. 20. 21. At adeò sibi nihil vendicat, vt potius se ijs adnumeret, qui Aduocato opus habent. Ita omnes alij fecerunt. Actor. 14. 1. Corinth. 15. 1. Timoth. 1. Et hoc facit ad seruandam Ecclesiæ vnitatem, quæ scinditur, vt primùm alios quærimus Mediatores. Vide Augustinum, &c. Oremus.

HOMILIA VII.

2 *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi* (peccatis.)

NOrunt quidem omnes homines, ijs qui Deum peccando irritarunt, reconciliatione opus esse, quomodo autem & per quem hæc fiat, ex seipsis videre non possunt. Fit ergo, vt dum quisq; sibi propriam rationem aut proprios mediatores fingit, mundus in diuersas religiones scindatur. Est ergo dignissimus obseruatu hic locus, quo Ioannes breuiter & perspicuè comprehendit, quicquid de hac causa potest dici.

Et NOTA. ¶ 1. Quòd vnius modò mediato-

diatoris meminit,qui omnibus sit communis. In eo enim cernitur Dei bonitas, qui partim nos noluit grauare, partim concordiæ inter nos consuluit, ne in eo scinderemur, ex quo salus omnis dependet. Et arguitur eorum stultitia,& pertinacia,qui hîc præter rationem sibijpsis labores pariunt. *Mediator cur vnus nobis datus.*

¶ 2. Quis ille Mediator? Iesus Christus. Hunc non solus Ioannes, sed omnis Scriptura monstrat. Vide promissiones, Gen. 22.26.&c.Item Isa.7.42.Pater ipse, Matth.3. 17. Ipse Ioan. 14. Matth.11. Et si rem ipsam consideremus, non potest alius constitui. Opus enim erat eo, qui vtriq; parti acceptus esset, qui ipse peccato careret,(Heb.2.) gratia item & authoritate valeret.Hæc omnia vnus Christus habet. Ideo hunc in suis precibus allegarunt omnes sancti. Ita ipse iubet Ioan.14.16. Et Ioannes in præsenti se & Apostolos omnes ijs adnumerat,qui isto Mediatore habeant opus. *Qui.*

Sed obijciunt aliqui: Fatemur Christum esse aduocatum nostrum apud Patrē: quia autem Christus ipse Deus est, & quidem iustus,vtiq; apud hunc quoq; opus erit Intercessoribus,qui nos illi commendent.Et hoc occasionem dedit Monachis absurda & indignissima docendi de Maria virgine. Sed his quoq; occurrit Ioannes.

Propitiatio.

Et ipse est propitiatio pro, &c. Alludit ad sacrificia, &c. Sensus: Est sanè Christus De' & idem iustus est. Sed non debet hoc aliquem terrere, quò minus rectà ad ipsum accedat. Nam ille ipse est nostra propitiatio factus, quando se pro nostris peccatis tradidit, 2. Cor. 5.

Apud Christum nullo nobis opus est intercessore.

¶ Vanissimum ergo est, quicquid illi fingunt de intercessoribus quibus apud Christum opus sit. Finge aliquem spontè pro alio spondere & satisfacere, simulq; in posterum omnia amica polliceri. Annon stultus & malè gratus erit, qui adhuc diffidit, & alijs sibi apud illum aduocatis opus esse dicit? Atqui eadem hic est ratio. Nos omnes sumus in ære Dei. Psal. 65. 143. Matth. 18. 6. Hîc Dei Filius spontè se interponit, & homo factus est, vt posset noster vindex esse, Iob. 19. Delicta nostra in se recepit. Isa. 53. Dissoluit in cruce, &c. Col. 2. Ibidem expansis brachijs ad se inuitat, &c. Matth. 11. Ioan. 7. Isa. 11. Et in latrone exemplum præbuit, se nolle quenquam auersari, Luc. 23. Ioan. 6. Quibus adde quæ in publicanos & meretrices fecit. Matth. 9. Luc. 7. 19. Quid ergo dubitamus de eius voluntate? Aut quid præterea impetrabũt nobis noui illi mediatores? Num vt nostra peccata in se recipiat? Nobis

condo-

condoleat? Pro illis satisfaciat? Apud Patrē intercedat? Atqui hæc omnia iam præstitit, ad hoc prædestinatus. 1. Pet 1. Et eius meritum semper recēs & ratū est apud Patrem.

¶ Confirmationi seruit quod totius mundi meminit Ioannes. Est ergo Christus vniuersalis omnium Seruator, in quo nullus est personæ respectus, Act. 10. Gal. 3. 6. Col. 3. Licet enim promissiones olim Iudæis datæ sint, & ex his ille nasci debuerit, meritum tamen eius ad omnes pertinet, qui ipsum recipiunt, Ioan. 1. Ideo Adamo promissus, Gen. 3. In alijs promissionibus gentes nominantur, Gen. 15. 22. 26. 28. Ita in prophetis, Is. 42. 49. 53. Et Christus ipse hoc de se prædicat. Ioan 10. Matth. 8. In primis vide Ioan. 17. Act. 1. Matth. 28. Mar. 16. Hoc vt nos solatur, ita eos confutat, qui vnumquenq; in sua religione seruari putant. Aliter Apostoli Acto. 4. *Christus omnium seruator est.*

¶ Interim semper meminerimus, magnam esse atrocitatem peccati, quæ non aliter expiari potuit. Itaq; semper ob oculos versetur, quod initio dixit: Hæc scribo vobis, ne peccetis. Est enim finis Euang. obedientia fidei. Rom. 1. 16. Neq; ideo nos Christus liberauit, vt libertate vtamur ad peccandi licentiam. Gal. 5. Rom. 6. 12. Oremus. *Peccati atrocitas.*

HOMILIA. VIII.

3 *Et per hoc ſcimus nos eum noſſe ſi mandata ipſius obſeruamus.*

4 *Qui dicit noui eũ,et mãdata eius nõ ſeruat, mẽdax eſt,et in eo veritas nõ eſt.*

IOannes Apoſtolus nuper aduerſus eos egit, qui ſuis viribus & propria ſua iuſtitia freti, ſalutem extra Chriſtum quærunt. Docuit autem omnes homines peccatores eſſe, propitiationem verò pro peccatis noſtris eſſe Chriſtum, qui idem aduocatus quoque noſter ſit apud Patrem, in quo vno debeamus repoſitam habere ſalutis noſtræ fiduciam. Quia verò (vt aliâs diximus) ex hac doctrina multi licentiæ occaſionẽ arripiũt, nunc cum ijs agit, & docet, verã Chriſti cognitionẽ nõ otioſam, multò minus licentiæ cauſam eſſe, ſed nos ita illi totos vendicare, vt præceptorũ eius obſeruationem pariat.

Mens Ioannis exponitur.

Cognitio ſalutis qualis requiratur.

I. Summam proponit: Per hoc ſcimus, id eſt, hoc argumento conſtat, nos vera cognitione Chriſti & fide præditos eſſe, ſi præcepta, &c. Ita verò innuit, non agi de hiſtorica cognitione (Iac. 2.) ſed viua & ſaluifica, quæ iuſtificat. Iſ. 53. Senſus ergo eſt: Dixi omnes homines peccatores, Chriſtum verò pro totius mundi peccatis ſacrificium, & inſuper noſtrũ aduocatũ eſſe. Id verò nemo ſic acci-

piat,

piat, quasi satis sit Christianũ dici, historiam nouisse, sacris Christi initiatũ esse. Requiritur enim quid maius, viua scilicet cognitio, quæ illi nos inserit, eius amore accendit, & obsequentes facit. Qui igitur eius præcepta seruat, is verè Christianus est.

NOTA. ¶ 1. Sciendi & cognoscẽdi verba. His enim arguũtur sophistæ, qui nos nostrę fidei & salutis certos esse posse negãt. Et sic docendũ esse aiũt, ne homines securi fiant. At Ioan. quando hoc in primis vult cauere, nos scire ait, &c. Sic Pet. Io. 6. Et Paul. nos arrabonẽ salutis habere dicit, spiritũ S. 2. Cor. 1. 5. Eph. 1. Ro. 8. Gal. 4. Itẽ nos spiritũ accepimus, nõ huius mundi, sed qui ex Deo est, vt sciam⁹, quę à Deo donata sunt nobis. 1. Cor. 2. Debemus quidẽ salutẽ operari in timore, &c. Phil. 2. 2. Cor. 4. &c. At simul fortes esse debemus in fide, &c. 1. Pet. 5. Id non possumus, nisi certi simus.

Salutis nos certos esse posse.

¶ 2. Quæ verò est nota, ex qua scimus nos Christũ verè cognoscere? Fides quidẽ sola Christianos facit. Ioan. 6. Quia aũt hæc non semper apparet, & ea hypocritę etiã gloriantur, externo etiã indicio op⁹ est. Iac. 2. Quod illud? Si præcepta illius seruamus. Non ait: Si de illis loquamur, disputemus, &c. Ita verò loquitur ex ore Christi. Ioã. 14. 15. Luc. 11. E contra Matt. 7.

Vnde nobis constet Christum nos rectè nosse.

Obſerua hoc non modò propter licentiæ ſtudioſos, verumetiã propter eos, qui Chriſtianiſmũ in humanarũ traditionũ obſeruatione cõſiſtere putãt. Aliter omnis ſcriptura. Deut.12.28. Iſ.29. Matth.15. Confutantur monachorum ordines, 1. Cor.1.3.7.

Præcepta Chriſti quæ.

¶ 3. Quæ ſunt præcepta Chriſti? Obſerua hoc probè propter eos, qui ſuas traditiones nomine eccleſiæ & Chriſti venditant, & abutuntur verbis Chriſti, Luc.10. Sed ipſe audiendus qui ſibijpſi ſemper cõſtat (Heb.13.) & ne apoſtolis quidem dedit poteſtatẽ aliquid ſtatuendi ex ſeipſis, Matt.28. Gal.1. Vide ergo quid infra dicatur, 1. Ioan.3.

Vbi duo tradũtur, quę ipſe Chriſt⁹ exigit.

Fidem.

¶ 1. Fidẽ in ſe. Ioã.6.17. Vt verò clari⁹ intelligamus, quę ſit illa fides, Ioan. nominis Filij Dei meminit, id eſt, vt talẽ eſſe credam⁹, qualis ſuo nomine deſcribitur. Ioã.1. IESVS, id eſt, ſeruator. Mat.1. CHRISTVS, id eſt, Rex & ſacerdos Pſ.110.2. Qui verò talẽ agnoſcũt & credunt, cultus quoq; forma, quã ille tradidit, contenti nihil addunt, nihil mutant, &c. Itaque in primum præceptum peccant, qui non vni Chriſto fidunt, & quæ nobis in eo offeruntur, quærunt alibi. Ierem.2. Qui item nouos inuehũt ritus in Eccleſiam pro ſuo arbitrio, &c.

¶ 2. Vt

¶. 2. Vt diligamus nos mutuò. Sic ipse Joan. 13. 15. Non quòd alia præcepta Legis aboleat. (Matth. 5.) sed quòd sub dilectione continetur totius legis impletio, iustitia, innocentia. Rom. 13. 1. Cor. 13.

Hæc verè Christianos faciunt. Galat. 5. Ad quæ si nostri sæculi Christianos examines, videbis quàm multa nobis vbiq; desint, quoad vtrumque caput, &c.

II. Quid verò de talibus hîc pronuntiatur? Qui dicit, Noui eum, & præcepta eius non seruat, mendax est, &c. Grauiter dictũ. Quia enim Deus est veritas, non potest ei cõuenire cum mendacibus qui diaboli sunt filij. Ioan. 8.

NOTA. ¶. Causam omnium malorum nostri sæculi. Ex communione cum Deo omnis felicitas. Miseri ergo & infelices, quot quot ab illo alieni sunt. Annon verò pleriq; ab eo recedunt? Ad hunc ergo reuertamur, &c. Zach. 1. Oremus. *Malorum huius seculi causa.*

HOMILIA. IX.

5 *Qui autem seruat sermonem eius, verè in hoc charitas Dei expleta est: per hoc scimus nos in ipso esse.*
6 *Qui dicit se in eo habitare, debet, si-*

cut ille ambulauit, ita & ipse ambulare.

CHristus non temere ait, multos vocari, paucos esse electos. Etsi enim Euãgelium omnibus prædicetur, pleriq; tamen oderũt, quod suis superstitionibus illud aduersari sentiunt. Ex ijs autẽ qui recipiunt, pleriq; ad licentiã abutuntur, & ita viuunt, vt propter ipsos male audiat. Ideò Ioan. hac epistola Euangelij doctrinam ita proponit, vt cum fide in Christũ tradat vitæ Christianę officia. Cum enim iussisset eos qui peccarunt, ad Christum confugere, mox ne qui inde licentiæ occasionem arriperent, monuit, eos qui Christi cognitionem profitentur, debere præcepta eius seruare: Alioqu mendaces esse. Id in præsenti amplius illustrat & confirmat.

Obedientia Dei in quo consistat.

I. Quia multi obedientiam falsò gloriantur, docet in quo consistat: Qui seruat eius sermonẽ, &c. Sensus, obseruationẽ præceptorum eius in eo consistere, vt Deũ verè & perfectè diligamus. ¶. Ergo non opera modò externa requiruntur, sed Deus nos sibi totos vendicat. Hoc enim amoris proprium est. Ideo Moses idem requirebat, Deut. 10.30. In primis Deut. 6. Magnum φιλαυτία ... Dei

Dei argumentum. Simile superbientium in hoc sæculo. Sed adeò non pudet illum nostri, &c.

Excitet hoc, vt cogitemus quomodo à nobis velit diligi. 1. Ex toto corde. Est hic fons affectuum qui natura mali sunt. Gen. 8. Rom. 7. Hos ergo Dei amore gubernari oportet, vt illi obsequantur. *Deus quomodo diligendus.*

2. Ex tota anima. Hæc vitam habet. Tota igitur Dei dilectionem spiret, ne vetuli demum ad illum veniamus.

3. Totis viribus corporis, fortitudine animi, &c. Omnia enim ex Deo sunt. 1. Cor. 4. Actor. 17. Denique tota mente & cogitatione.

¶. Qui ita Deum diligunt, ijdem proximum quoque diligent, & in Dei præceptis viuent. Et hanc dicit perfectam dilectionem Apostolus: Non quòd vnquam possimus ad perfectioné peruenire, sed vt Dei bonitatem nobis commendet, qui Filij sui perfectionem nobis imputat. 1. Corinth. primo. *Dilectio perfecta.*

II. Fructum huius dilectionis ostendit: Per hoc scimus, quod in ipso sumus, id est, quod ipsi insiti sumus. Ex quo sequitur, quòd ipse in nobis est, &c. Iohannis sexto, decimo quinto, decimo quarto,

Regula qua discimus an verè Deo vniti simus.

¶. Ad hanc regulam singuli se examinent. Quoad nobis aliquid charius est Deo, quod propter eum nolumus relinquere, non est adhuc in nobis perfecta Dei charitas, & proinde eidem nondum sumus vniti. Arguuntur, qui nolunt de fortuna periclitari, suos relinquere, vitam exponere, &c. Hi omnes ore appropinquant. (Isa. 29.) & illis loquitur Christus Luc. 14. Matth. 10. Quales verò, qui ne sceleribus quidem abstinere volunt? Gergeſ. Matth. 8,

III. Confirmat exemplo Christi. Qui dicit se in eo manere, id est, ei insitum esse per fidem, debet, &c. Simile Cap. 1. de luce. Vis argumenti ex Christi mandato dependet. (Matth. 11. 16. Iohan, 13. &c.) & ex Spiritus Christi communione. Roman. 8. Gal. 2.

Christus quomodo ambularit.

At hìc NOTA. ¶. 1. Quomodo Christus ambularit? Cùm esset in forma Dei, demisit se, &c. Phil. 2. Matth. 20. Ioan. 13. Ita nos humiliemur. 1. Pet. 4.

2. Obediuit Patri, vt nullius sceleris conuinci posset. Ioan. 8. Mar. 14. Isa. 53. Imò in mortem vsque. Philip. 2. Vbi fuit patientissimus.

3. Se totum pro nobis impendit, Ioannis 15.

4. Finis omniũ ei fuit gloria Dei & salus homi-

hominum. Ioan. 17. Iſta nos quoque imitemur, & ad eundem finem contendamus.

¶. 2. Quales ſint noſtri ſæculi Chriſtiani? Regnat faſtus, quo alij alios contemnunt. Imò ne Deo quidem ſubeſſe volunt plerique. Luc. 19. Obedientia nulla, niſi lucrum præſens ſit: Alioqui nihil facere aut ferre volumus. Philauti ex aliorum incommodo noſtra lucra quærimus immiſericorditer. Amos 6. Plerique nec Dei gloria, nec aliorum ſalute tanguntur. Sunt ergo dies poſtremi, &c. Matth. 24. Itaque memores Chriſti expergiſcamur & attollamus capita noſtra. (Luc. 17. 21.) & in illius aduentum parati, indeſinenter Oremus.

Chriſtiani noſtri ſeculi quales.

HOMILIA X.

7 *Fratres nouam doctrinam non ſcribo vobis, ſed doctrinam veterem, quam habuiſtis à principio. Vetus hæc doctrina, ſermo ille eſt, quem audiuiſtis à principio.*

8 *E contrario doctrinam nouam ſcribo vobis, quod verum eſt in ipſo, & in vobis: quia tenebræ prætereunt, et vera illa lux iam lucet.*

Christianæ religionis duæ partes

CHristiana religio duabus partibus cõtinetur.1. Vt nos Christo insiti simus per fidem. Quia enim in hoc vno salus habetur. (Act.4.) frustra sine illo, in alijs laborabimus. Ioan.4.2. Vt ipse vicissim in nobis agat suo spiritu & verbo. Ex eo fit, vt eius præcepta seruemus, & imago Dei in nobis instauretur. At quando hæc doctrina proponitur, variè de ea iudicatur. Et sunt qui eam non modò arduam dicant, sed nouam quoque, & proinde non necessariam. Et hodie Euangelium & fides vera Christi nouitatis suspicione grauatur. His autem Ioannes respondet.

I. Negat se nouam doctrinam proponere. Probat, quia nihil scribat, quam quod audierint ab initio. Quasi diceret: Scio quam aduersa sint carni quæ tradimus, & quia plerique erroribus & licentiæ assueuerunt, illico nouum esse clamant, quicquid ipsorum libidini aduersatur. Atqui nihil doceo, quam quod iam inde ab initio audiuistis.

Veteris doctrinæ capita.

¶.1. Deum qui lux est, velle cultores habere sui similes, & eos qui se huic insitos gloriantur, ambulare debere, sicuti ille, &c. Atqui hoc ipsum Deus olim requisiuit in fœdere. Gen.17 In lege Leuit.19.20. In prophetis, Isa.1.33. Mich.6. Ier.4. &c. Christus ipse, Matth.

Matth.5.Ioan.4.8.12. 13.&c. Et ista quidem communis sensus probat, quando inter dissimiles non potest conuenire.

¶. 2. Quoad medium, quo huc peruenitur, etiam non aliud tradimus, quam Christum, quē similiter Deus iā inde ab æterno proposuit. Gen.3.22.26.28. &c. Moses ipse, Deut.18.Ioan.5.Prophetæ, Luc.24. Annon igitur iniquum est, nos nouitatis nomine suspectos facere?

NOTA. ¶. Hæc nostris temporibus inprimis seruire, quando in omniū ore est Vetus & Noua religio, & nos nouitatis accusamur. Atqui docemus. *Religio quæ noua, vetus sit.*

1. Vnum Deum esse inuocandum per vnum Christum.

2. Hunc vnicum esse inter nos & Deū mediatorem.

3. Vnicum sacrificium.

4. Nostram iustitiam, &c.

5. Eundē peracto redēptionis nostræ negotio in cœlos ascendisse, nec credendū esse ijs, qui ipsum in terris monstrant.

6. Eundem nobis meruisse libertatem quoad cibos, coniugia, ferias.

7. Nec aliud requirere quam vt ipsi sistamur hostia, & sanctè quidē viuamus, gloriam autem omnem ipsi transcribamus.

8. Item credentes à morte transire in in vitam, nec esse Purgatorium.

Probatur. Quid verò hoc nouum. Annon hęc ipse Christus docuit. Matth. 6. Ioan. 16. 2. Ioan. 10. 14. Pater item Matth. 5. 17. 2. Annon Apostoli dicunt, Heb. 9. 1. Cor. 5. 2. Corin. 5. 4. Item 1. Cor. 1. Ier. 23. 5. Actor. 3. Philp. 3. Matth. 24. 6. 1. Tim. 4. Col. 2. Rom. 14. Heb. 13. 7. Rom. 12. 8. Iohan. 5. Luc. 23. Attamen nouitatis accusamur, quòd ea nolumus fateri, de quorum authoribus & initio constat. Neminem ergo moueant calumnię. Tu persistito. 2. Tim. 3. &c.

Quid in Euangelio nouum. II. At mouet multos, quod Deus ipse Noui testamenti meminit. Iere. 31. 1. Cor. 11. Ioan. 15. Itaque huius etiam rationem reddit: Rursus fateor me nouum, &c. Et hoc verum est, non quidem quoad doctrinam sed respectu eorum, circa quas versatur.

1. Christi, qui testamentum illud, nostra culpa antiquatum, innouauit. Simile picturæ.

2. Nostro respectu, quia tenebræ præteteunt, & vera lux iam lucet, id est, innouata est mundi facies, & sublatis vmbris, quæ ad solos Iud. pertinebant, lux toti mundo lucet. (Isa. 49.) & ex tenebrarum potestate asserti in vera luce Christo exultamus. &c.

Ergo

Ergo Vet. & Noui testament. doctrina eadem. Ita verò dicuntur propter nos & diuersum tradendi modum. In veteri testamento erāt promissiones, typi, vaticinia: in nouo res ipsa exhibita. Illic lapideis tabulis inscripta lex, nunc cordibus. Ierem. 31. 2. Corinth. 3.

¶. Meminerimus autem in Christo lucem affulsisse, quæ omnia innouauit, nos quoque. 2. Corinth. 5. Relictis ergo tenebrarum operibus in luce ambulemus. (Rom, 13. Ioan. 12.) & renati in Christo vita & moribus testemur, nos nouam esse creaturam. Oremus. *Lux in Christo.*

HOMILIA. XI.

9 *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est, vsque adhuc.*

10 *Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & offendiculum in eo non est.*

11 *Qui autem odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ oculos ipsius obcæcarunt.*

APostoli ita fidem in Christũ docent, vt simul moneant, eos qui hanc profitentur, debere vitam viuere eius professionem dignam. Facit eò præsens locus. Dixit nuper Ioan. ijs, qui euangelij lucem amplexi sunt, verum lumen lucere, & eosdem ex tenebrarũ potestate esse liberatos. At quia multi hac libertate gloriantur, in quibus tenebræ adhuc regnant, id quod peccatis, maxime autem odijs testantur, nunc cum istis agit.

I. Docet dilectionem proximi opus esse ijs, qui Christiani esse volunt: Qui dicit se in luce, id est, Christo insitum & huius cognitione illustratum esse, &c. Argumentum tale: Qui tenebrarum opera faciunt, in tenebris sunt: Qui fratrem odit, tenebrarum opus facit. (Ioan. 8. Gal. 5.) Ergo idem adhuc in tenebris est, neq; luce illa fruitur.

Fraternitas duplex

NOTA. ¶. 2. Quòd fratres nominat, qui proximi aliâs dicuntur. Duplex fraternitas: Carnalis, quæ omnes homines cõplectitur. Gen. 5. 3. Spiritualis, quam credentes habẽt in Christo, qui noster frater fieri voluit. Vnus omnium Pater. (Mat. 6.) idem spiritus. (Rom. 8.) idem omnium bapt. & eadem hæreditas. Eph. 4. Neq; vlla arctior fraternitas potest fingi: quia neq; locorũ, neq; tẽporũ

ſpatijs, neq; conditionum diuerſitate diſſol uitur. Apo. 13. Matth. 8. Gal. 3. Col. 3.

Et huc facit particula SVVM: vt Cainis reſpondeat, Gen. 4. Nā vtut nos tergiuerſemur, noſtri fratres ſunt, quia à Deo nobis commendati, qui à nobis eos requiret. Arguuntur qui ipſi fingunt perſonarum diſcrimina.

¶. I. Quòd non de iniurijs, ſed odio ſolo loquitur. Odiū eſt irremiſſa malignitas, quę vel ex ira inueterata, vel inuidia naſcitur. Hæc vbi admittitur, omnia parit, quæ proximo incommodant. Vide Cain Geneſ. 4. 1. Ringitur fratris felicitate. 2. Vultu concidit, nec aſpicere poteſt. 3. Implacabilis ſpernit Dei admonitionem. 4. Occidit. Vt ergo fontem omnis mali obturet Ioannes, de odio loquitur. *Odium, et. uſq; effecta*

II. Antitheſi rem illuſtrat, opponit inter ſe dilectionē & odiū, &c. ¶.1. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, id eſt, Chriſto verè eſt inſitus, & certum habet ſuæ fidei teſtimonium. Sic Chriſtus loquitur, Ioan. 13. *In lumine manere, quid.*

Deinde offendiculum in eo non eſt. Partim, quia ipſe neminem offendit (nam memor Chriſti dicti. Matth. 18. licitis quoque abſtinet, ne quem offendat, vt Paul. 1. Cor. 8.) Partim non offenditur aliorum factis. *Offendiculo carere.*

APostoli ita fidem in Christũ docent, vt simul moneant, eos qui hanc profitentur, debere vitam viuere eius professionem dignam. Facit eò præsens locus. Dixit nuper Ioan. ijs, qui euangelij lucem amplexi sunt, verum lumen lucere, & eosdem ex tenebrarũ potestate esse liberatos. At quia multi hac libertate gloriantur, in quibus tenebræ adhuc regnant, id quod peccatis, maxime autem odijs testantur, nunc cum istis agit.

I. Docet dilectionem proximi opus esse ijs, qui Christiani esse volunt: Qui dicit se in luce, id est, Christo insitum & huius cognitione illustratum esse, &c. Argumentum tale: Qui tenebrarum opera faciunt, in tenebris sunt: Qui fratrem odit, tenebrarum opus facit. (Ioan. 8. Gal. 5.) Ergo idem adhuc in tenebris est, neq; luce illa fruitur.

Fraternitas duplex

NOTA. ¶. 2. Quòd fratres nominat, qui proximi aliàs dicuntur. Duplex fraternitas: Carnalis, quæ omnes homines cõplectitur. Gen. 5. 3. Spiritualis, quam credentes habẽt in Christo, qui noster frater fieri voluit. Vnus omnium Pater. (Mat. 6.) idem spiritus. (Rom. 8.) idem omnium bapt. & eadem hæreditas. Eph. 4. Neq; vlla arctior fraternitas potest fingi: quia neq; locorũ, neq; tẽporũ spatijs.

ſpatijs, neq; conditionum diuerſitate diſſol uitur. Apo. 13. Matth. 8. Gal. 3. Col. 3.

Et huc facit particula SVVM: vt Cainis reſpondeat, Gen. 4. Nā vtut nos tergiuerſemur, noſtri fratres ſunt, quia à Deo nobis commendati, qui à nobis eos requiret. Arguuntur qui ipſi fingunt perſonarum diſcrimina.

¶. I. Quòd non de iniurijs, ſed odio ſolo loquitur. Odiū eſt irremiſſa malignitas, quę vel ex ira inueterata, vel inuidia naſcitur. Hæc vbi admittitur, omnia parit, quæ proximo incommodant. Vide Cain Geneſ. 4. 1. Ringitur fratris felicitate. 2. Vultu concidit, nec aſpicere poteſt. 3. Implacabilis ſpernit Dei admonitionem. 4. Occidit. Vt ergo fontem omnis mali obturet Ioannes, de odio loquitur. *Odium, eiusq; effecta.*

II. Antitheſi rem illuſtrat, opponit inter ſe dilectionē & odiū, &c. ¶. 1. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, id eſt, Chriſto verè eſt inſitus, & certum habet ſuæ fidei teſtimonium. Sic Chriſtus loquitur, Ioan. 13. *In lumine manere, quid.*

Deinde offendiculum in eo non eſt. Partim, quia ipſe neminem offendit (nam memor Chriſti dicti. Matth. 18. licitis quoque abſtinet, ne quem offendat, vt Paul. 1. Cor. 8.) Partim non offenditur aliorum factis. *Offendiculo carere.*

Charitas enim bene ſperat ſemper & tegit multitudinẽ peccatorũ.1.Cor.13.Prou.10. 1.Pet.4. Quod ſi nõ aliter poteſt,condolet. Exempla,1.Sam.15.16.Rõ.9.10.Ergo charitas neceſſaria eſt non ſolùm ad animarum ſalutem, verumetiam ad pacem & concordiam ſeruandam.

In tenebris eſſe. ¶. 2. Qui odit fratrem,&c.1.In tenebris eſt, id eſt, caret adhuc Chriſto & fide (Gal. 5.) & proinde Deo non poteſt placere.Heb.11.Rom.14.

Ambulare. 2. In tenebris ambulat & neſcit quò eat. Extra Chriſtum enim nihil niſi tenebræ, cùm hic ſolus lux ſit.Ioan.8.

A tenebris excæcari. 3. Cauſa,quia tenebræ, id eſt, affectus quos princeps tenebrarum offundit,excæcarunt,&c. Non poteſt igitur aliquid certi habere. Imò tales ſeipſos perdunt, quando volunt ſuis rebus conſulere.Sic Cain.Gen. 4.Saul.1.Sam.18.20.24.26.28.31.

Hodie infinita huius generis fiunt priuatim & publicè inter eos, qui dum alijs ex odio nocere volunt, ſibijpſis incommodãt. Fugiamus ergo priuati commodi ſtudium & ſuperbiam,quæ odij cauſæ ſunt. Studeamus autem charitati & humilitati.Philip.2. Ita nos pro ſuis agnoſcet Chriſtus, & verè felices erimus.Oremus.

HOMI-

HOMILIA. XII.

12 *Scribo vobis, filioli, quoniam remissa sunt vobis peccata propter nomen eius.*

QVoniam mundus pro corrupto suo ingenio Euangelij lucẽ pessimè odit.(Ioan. 3.) multa indies comminiscitur, quibus illud in odium apud quosuis, aut saltem in cõtemptum adducat. Inter hęc ferrè præcipua & maximè vulgaria sunt: 1. Doctrinam esse nouam, quæ à paucis annis exorta patrum salutem in dubium vocet, & turbas pariat. 2. Absurdam esse, & quæ vix vlli conueniat. Ea enim exigere, quæ communi consuetudini repugnent, &c. Nec dubium est Apostolorum temporibus multa eiusmodi fuisse iactata inter Iud. & gentes. Act. 15. 16. &c.

Quæ Euangelio obijciantur.

¶. Quare Ioannes hac epistola Euangeliũ sic tradit, vt calumnijs istis subinde occurrat Et hoc loco atq; sequẽtibus vtrumque diluit, reipsa docens, hanc doctrinam non nouam, sed vetustissimam esse, & omnibus hominibus cuiuscunq; ætatis sint, conuenire.

Quoad primum, repetit summam

Filiolos quos vocet Euangelij vt ex hac constet, illo nihil nouum tradi. Scribo vobis filioli, &c. Ita vocat eos, qui per prædicationem Euangelij renati erant: & hos Apostoli propter ministerium solent suos filios dicere. 1. Corin. 4. Gal. 4. 1. Tim. 1.

In præsenti verò sic vult dicere: Scio Euangelium multis nouitatis prætextu suspectum & inuisum esse, quasi non sine patrum contumelia religionem & fidem nouam inuehat. Atqui non aliud docemus, *Summa Euangelij.* quam hominibus qui natura peccatores sunt, peccata remitti propter nomen Filij Dei, qui se pro nobis tradidit, &c. At nos non primi hoc docemus. Idem Deus Adamo promisit. Genes. 3. Abrahamo, &c. Genes. 22. 26. 28. &c. Moses item Deuteronom. 18. Imò sacrificia idem adumbrarunt. Hebr. nono, & decimo. Et Christus ipse Mosem & Prophetas testes adducit, Iohannis 5. Lucæ 24.

¶. Quia autem hoc dictum omnẽ salutis rationem comprehendit, oportet singulos eius partes inspicere.

Renati adhuc peccāt. I. Quibus loquatur? Credentibus, qui iam erant in Christo renati & noua creatura. Et tamen ait: Remittuntur vobis peccata, ergo in his quoque peccata sunt, & remis-

remiſsionae opus habent. Fatentur hoc omnes ſancti. Pſalm. 130. 143. Roman. 7. Et hoc iubet Chriſtus in precationis forma Matth. 6. Quid ergo de ijs ſentiendum, qui adhuc à Chriſto alieni & prophani ſunt? Rom. 3. &c.

¶. Obſeruandum hoc diligenter, ne vel negligentes ſimus, vel ſalutem alibi quæramus, quam vbi ſcript. eam monſtrat.

II. Vbi verò illam monſtrat? Docet hoc remittendi verbum. Simile à debitoribus, qui non ſunt ſoluendo, & quibus gratuita remiſsione opus eſt. Talis eſt noſtra conditio. Matth. 18. Iſa. 43. 44. Ita Dauid Pſ. 65. 32. Item Mich. 7.

¶. Eſt ergo ſalus noſtra gratuita, & euertuntur hîc omnes ſatisfactiones. Vide 1. Cor 4. Luc 17.

III. Quia autem Deus iuſtus eſt, vtique non inconſiderata indulgentia remittit, ſed alicuius reſpectu. Dicit ergo, Propter nomen eius, Chriſti nimirum. Hic enim noſter frater factus in ſe recepit noſtra debita, & ſatisfecit, &c. Iſa. 53. 2. Corinth. 5. Coloſ. 2. *Medium. Remiſsio peccatorū.*

¶. Huic doctrinæ non modò Prophetæ & Apoſtoli teſtimonium ferunt, ſed ipſe Deus cœlitus, Matth. 3. 17. Et qui totius or-

bis doctores fuerunt Apostoli, noluerunt aliud scire. Actor.4.1.Cor.2.Galat.6.1. Vide Symbolum apostolicum.

Obijcitur: Atqui ita homines securi fiunt, & licentia peccandi introducitur.

Respon. Nequaquam. Primò enim atrocitas peccati arguitur, quam non agnoscimus, quoad vel nostris vel aliorum meritis illa putamus expiari. At qui gratuita misericordia & sanguine Filij Dei opus fuisse sciunt, peccata incipiunt horrere, &c.

Deinde hæc consideratio gratiæ Dei nos eius amore accendit, qui obedientes facit. Quòd multi hoc prætextu licenter agunt, id non debet Euangelio fraudi esse.

Vsus. ¶. Vsus huius doctrinæ sit: 1. Vt hinc consolationem petamus in tentationibus conscientiæ. Huc pertinent. Iohannis 3. Roman. 8.

2. Vt vno Christo contenti, nos ab eo diuelli nullis rationibus patiamur. Iohan. 6.

3. Vt nos ei gratos præbeamus, & huic insiti eiusque spiritu animati, illum vita & moribus referamus. Galat. 3. Illi denique vni viuamus, qui pro nobis mortuus est. 2. Corinth. 3. Oremus.

HOMI-

HOMILIA XIII.

13 *Scribo vobis, patres, quoniã nostis eum, qui à principio est: Scribo vobis adolescentes, quoniam malum illum vicistis.*

EVangelium duo præcipuè tradit: 1. Fidem in vnum Deum, per Iesum Christum vnicum mediatorem. 2. Vt per hunc redempti peccato moriamur, & in vitæ nouitate ambulemus. Quia verò vtrumq; carni & mundo aduersatur, doctrina hæc plerisq; partim noua videtur, partim absurda, & nemini conuenire. Et hic varia audiuntur iudicia. Nam si senibus prædicetur, multi indignum putant, hos velle docere, imò ipsi sibi hoc ignominiosum esse ducunt. Si iuuenibus iniquum videtur, hos velle seueriore disciplina coercere. Si pueris, altiorem esse clamant, quàm vt ab his posit intelligi. Ideo Ioannes cùm nuper Euangeliũ à nouitatis suspicione liberauisset, nunc illud omnibus hominibus conuenire ostendit, & diuidit genus humanum in senes, iuuenes & puerulos, & singulis aliquid applicat. *Varia de prædicatione euang. iudicia.*

I. Senes producit, qui ferè nolunt doceri,

& antiquitate gloriantur. Dicit ergo se his etiam scribere, non vt nouum quid discant, sed vt proficiant in eius cognitione, qui fuit ab initio, & quem iam ante cognorint. Intelligit Christum, qui quoad Deitatis essentiam ab initio est (1.Ioan.1.Ioan.1.) & quoad meriti sui virtutem. Apo.13. Itaq; sensus est: Si lubet antiquum quid audire, Euangeliũ audiatis, quo Christus prædicatur, qui iam inde ab initio fuit traditus, &c.

Christus à principio est.

NOTA. ¶ 1. Certitudinem euangelij immutabilem, quando ad illud senes quoq; remittuntur. Licet ergo aliquot seculis viuas, tamen in salutis causa non opus aliquid nouum discere. Vt enim euangelij doctrina cœpit in paradiso, Gen.3. & postea variè tradita, & tandem per prophetas quoq;. 1.Pet. 1.2.Pet.1. Ita æternum illud Dei verbum est, &c. Is.40. Ps.33. Matt.24. Falluntur, qui quoties controuersia oritur, aliquid nouum putant esse quærendum.

Euangelij certitudo immutabilis.

¶ 2. Senes officij admonentur. 1. Constantes sint in Euangelio, neq; se vllis periculis auelli sinant. Animosos reddat senectus. M. Castritius.

Senum officia.

2. Præparent se ad mortem, & curent Christo impendere quicquid reliquum est vitæ. Imò cupiant abire, &c. Simeon Luc.1.

3. Do-

3. Doceant iuuenes verbis & exemplo. Psal.78.Tit.2.

¶ Arguuntur, qui ad nouas superstitiones declinant. Vide Polycarpum. Lasciui item & obscœni. Meminerint dicti Christi Matth.18.1.Corin.15.Auari. Simile viatici. Qui item suos corrumpi sinunt, vt Heli,1. Sam.2.3.4.

II. Adolescentes.Scribo vobis adolescentes,id est doctrina hæc ad vos quoq; pertinet. Causa: Quia vicistis illum malum. Respicit ad ingenium iuuenum, qui viribus animi & corporis freti,pugnis & harum narrationibus delectantur. Dicit ergo:Si quid huius iuuat,age huc accedite, vbi pugna & victoria omnium nobilissima proponitur. Hic enim discetis, quomodo malus ille,satan, vobis deuictus sit à Christo, & vt vos hunc debeatis vincere.

Iuuenibus cur victorias narret.

Vbi NOTA.¶1. Errare eos,qui Euangelio otium plantari clamant.Atqui inBaptismo militiæ Christi nomen damus, neq; vnquam desunt pugnæ. Mundus odit, Ioan.5. 15. Huius princeps non quiescit, Ioan.8.1. Pet.5.Insinuat se,& propria carne cõtra nos vtitur.In primis autem adolescentes tentat, in quibus cupiditates sunt feruentiores. Si vincat,seruos facit peccati.2.Pet.2.Fit enim

Euang. nõ plantat otium.

vt sibi placeant in stupris, ebrietate, cædibus, deierationibus. Itaq; dum se vincere putant, ipsi vincuntur.

¶2. Quid ergo faciant? Recurrant ad verbum Dei, Psal. 119. Ex hoc petant armaturam illam, de qua Is. 59. Eph 6. Baltheum veritatis, thoracem iustitiæ, calceos Euangelij, scutum fidei, galeam salutis, gladium spiritus. His armatus Iosephus victoriam retulit clarissimam, Gen. 39. Ijsdem olim iuuenes, & puellæ tyrannorum minas, regum potentiam & carnificum manus superarũt, &c. Vides ergo Euangelium iuuenibus in primis conuenire: & vehementer falli eos, qui curam salutis in senectutẽ differunt. Vide Ioan. 12. Interim hæc singuli sibi applicent, &c. Oremus.

Militia Christianæ arma.

HOMILIA XIIII.

14 *Scribo vobis, pueruli, quoniam nostis patrem. Scripsi vobis patres, quoniam nostis eum qui est à principio. Scripsi vobis adolescentes, quia fortes estis, et verbum Dei habitat in vobis, & illum malum vicistis.*

Etsi

ETsi omnes homines propter innatam cæcitatem & ignorantiam institutione opus habeant, nullum autem doctrinæ genus simplicius, certius & salutarius sit Euangelio, quo & huius vitæ regula & salutis æternæ ratio traditur, ea tamen est hominum peruersitas, vt à nullo magis abhorreant. Causam indicat Christus Ioan. 3. Vt verò hoc dissimulent, ferè alia prætexunt, & inter alia hoc quoq;, Doctrinam esse absurdam, quæ vix vlli conueniat. Ideo Ioannes diligenter demonstrat, illam omnibus ætatibus conuenire. Et nuper de senibus & iuuenibus dixit, &c. Nunc de pueris.

I. Scribo vobis pueruli. Subinde tenendum, Ioannem ijs scribere, qui professione iam erant Christiani, & hoc agere, vt in Euangelio audiendo & legendo assidui discant, quomodo hanc suam dignitatem tueri possint *Scopus Ioannis.*

Vt verò prius senum & iuuenum ingenijs se attemperauit: ita hic quoq; puerorum. Conditio horum est, quòd regimine alieno opus habent, cùm sibijpsis prospicere nequeant. Dicit ergo: Cùm patre opus habeatis, ad nullos magis hæc doctrina pertinet, ex qua is agnoscitur, qui solus verus pater est, quem omnes colere debent, qui beati vi

uere & salutem æternam assequi cupiunt.

Deus pater est, puerorum in primis.

¶ Deum intelligit, qui omnium vniuersalis creator & seruator est, ideoq; pater, & quidem amantissimus. Isa. 49. Nec corporibus modò, sed animabus quoq; prospicit. Et licet omnium sit pater, in primis tamen puerulorum. Promissiones, Gen. 17. Matth. 19. 18. Exempla, quibus hoc confirmatur. Iacobi Gen. 25. Mosis Exod. 2. Ieremiæ, cap. 1. Pauli, Gal. 1. Quotidiana. Hinc Dauid, Ps. 22. 139. Id verò nos soletur.

Parentum officia.

¶ Interea parentes officij admonentur, & qui horum loco sunt: vt nimirum suos à pueris instituant in Euangelio, vt vera Dei cognitione imbuantur. Quia enim peccatores nascuntur (Psal. 51. Gen. 5. 8.) non poterunt magni facere Deum, æstuantibus cupiditatibus, nisi eum norint. Imbuendi ergo, &c. Simile testæ & tabulæ cereæ. Ita Deus præcepit, Deut. 6. Exod. 13. Psal. 78. Et hoc nomine Abraham commendatur. Gen. 18. Nec melius prospici potest liberis: quia si Deum habeant propitium, nihil deerit. Gen. 17. Idem contra quosuis tueri potest Iacob, Gen. 27. 28. &c. Ioseph, Gen. 39. 40. 41. &c. Hinc Paulus 2. Tim. 4.

¶ Arguuntur nostri seculi mores. Habemus omnes commoditatem benè instituendi pue-

di pueros: Scholas, Conciones,&c. At pleri que negligunt,& pluris faciũt canes,equos, aues,vitulos, &c. Alij cõſultò corrumpunt, &c. Quid ergo mirum, ſi omnia labantur in deterius?

2. Quia plus negotij eſt in ſenibus & iuuenibus, quia illi nolunt doceri, hi affectibus abripiuntur, repetit quod de illis dixerat.

In primis autem iuuenibus adhibet admonitionem & conſolationem,ne deficiant in pugna contra ſatanam. Tria dicit: ¶ 1. Laude accendit, Fortes eſtis. Quia verò tales videri vultis, age edite ſpecimen in iſto certamine, quo nullum pulchrius habetur. *Iuuenes quomodo admoneat.*

¶ 2. Auxilium monſtrat: Verbum Dei manet in vobis. Quaſi dicat: Furit quidem ſatan, & armis inſtructus eſt. Sed habetis vos gladium fortiorem, Dei verbum (Hebr. quarto cap.) quo arcetur. Eo ergo vtimini, Eph. 6.

¶ 3. Ab anteactis: Viciſtis illum malum: Nimirum quando Chriſtum amplexi eſtis, qui illum vicit (Geneſ. 3. Ioan. 14. 16.) & quidem nobis. Ne ergo ſuccumbatis, néue partam victoriam perdatis. Non deerit Chriſtus fortis ille paſtor, Ioannis decimo. Roman. 8. 16. *Satan quomodo vincatur à nobis.*

Arguit totus hic locus eorum tyranni-

dem, qui vulgus à lectione librorum sacrorum arcent. Prætexunt periculum hæreseos. Ita Scripturis imputant id, cuius ipsi authores sunt. Nos Ioannem audiamus, & Deo grati simus, & per omnes ætates exerceamus nos in Euangelio. Ita fiet, vt in Christo adolescamus in virum perfectum. Eph. 4. Oremus.

Vulgus à scripturæ lectione nō arcendus.

HOMILIA XV.

15 *Ne diligite mundum neq; ea quæ in mundo sunt, si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

IOannes nuper Euangelij doctrinam ita omnium ætatum hominibus accommodauit, vt quæ de singulis dixit, omnibus in genere cōueniant, qui Christiani esse & dici volūt. Obseruādū hoc in primis in eo, quod de iuuenibus dixit, qui hic erudiantur in certamine contra diabolum. Est enim hic communis omnium hostis. Gen. 3. Ioan. 8. Et licet iuuenes magis petat propter cupiditates quæ in eis feruentiores sunt, ab alijs tamen non abstinet, & vbiq; occasiones captat, Matt. 12. Ideo apostoli passim monent, vt illi resistamus. 1. Pet. 5. Eph. 6. Et Christus aduer-

Satanæ insidiæ.

aduersus illum orare docet, Matt. 6.

Sed obstat nobis maximè mundus cum suis illecebris, quibus multi sic inescantur, vt se putent benè facere, quando diabolo quàm maximè morem gerunt. Ideo de eo commodè nos nunc admonet Apostolus.

I. Summam proponit: Ne diligatis mundum, neq; ea, &c. Mundi vocabulum variè vsurpatur. 1. Pro machinà hac & creaturis omnibus quæ ea continentur. *Mundi significationes.*

2. Pro negotijs & studijs, quibus occupamur dum hic viuimus, &c. Sic Paulus 1. Corinth. 7.

3. Pro filijs huius seculi, qui spiritum veritatis non percipiunt, & lucem oderunt. Ioan. 14. 3. Istis omnibus seruit, quod hic dicitur.

¶ 1. Machina mundi non ita diligi debet, vt huic addicti simus. In eo olim peccarunt gentes, & ex creaturis fecerunt Deos. Rom. 1. Iudæi itē 2. Reg. 17. 21. Ier. 19. 44. &c. Idem hodie multi: in primis quibus mors hoc nomine acerba est, quòd vsum mundi nolunt amittere, &c. *Creaturis non debemus esse addicti.*

2. Studijs mundi etiam per se licitis non ita immergi debemus, vt Dei & eius præceptorum obliuiscamur. Opus hic singulari studio. Quia enim multa necessaria sunt, fa-

cilè illis inescámur,&c. Sic fit,quoad coniugium. Cibos & potum. Oeconomiam, contractus,&c.Matth.22. Luc.14. Hic ergo meminerimus eorum,quę habentur 1.Cor. 7.Psal.62.Matth.6.Fiet hoc facilè,si cogitemus,in omnibus istis nihil profici absq; benedictione Dei.Psal.127.

Nec filios huius seculi dil gere.

¶3. Filij huius seculi, qui propriè mundus dicuntur non diligendi. Pax quidem colenda cum omnibus,sed quantum in nobis est(Rom.12.) & diligendi etiam hostes, (Matt.5.)sed ita,vt lucrifiant, & ne quid faciamus contra Deum.Opus hic etiam multa cura:quia plurimũ hic peccatur sub charitatis prætextu,& quidẽ ab ijs maximè, qui si ipsorum res agatur, charitatem facilè negligunt.Contra hos tenendum hoc Apostoli præceptum, quod in illo Christi fundatur,Ioan.15.Matth.7.Eodem faciunt,2.Cor. 6.Iac.4.Gal.1.Nec est,quod religionem prętexamus. Hæc propagatur Verbi doctrina & exemplo bono,Matth.5. Consortia non necessaria prophanos confirmant in erroribus,pios autẽ corrumpunt. Exempla sunt Gen.6.Iud.14.16.1.Reg.11. Hinc illæ leges, Deut.7.Ios.23.

II. Quia hoc vix nobis persuadetur, rationes subtexit:ex quibus prima est : Qui diligit mun

dū, in eo non eſt charitasPatris, id eſt, Deum nō amat, neq; ei fidit: ideoq; neq; Dei filius, neq; Chriſtianus dici poteſt. Graue dictum, ſed verum. Qui enim Dei filius & verè Chriſtianus eſt, hunc nihil poteſt diuellere à dilectione Dei. Rom. 8. Imò ſi quando audit hunc dehoneſtari, mox amore eius accenditur, & ſe prodit. Simile filij bonæ indolis, &c. Hinc illa Pſ. 118. 139. &c. Et conuenit hoc cum verbis Chriſti Matth. 6. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, &c.

Chriſtianū à dilectione nihil poteſt auel

¶ Vide quid iudices de noſtri ſeculi Chriſtianis. Profitentur pleriq; Dei dilectionē. Sed qui propter huius gloriam velit mundo renuntiare, paucíſsimi ſunt. Imò ne ſcelera quidem manifeſta horremus, & effreni licentia in omnem nequitiam effundimur. Et cùm quoſuis poſsimus ferre, ſolos Dei ſeruos, qui ex huius verbo nos accuſant, putamus eſſe intolerabiles. Oremus.

HOMILIA XVI.

16 *Quoniam quicquid eſt in mundo, cupiditas carnis, & libido oculorum, et faſtus vitæ, nō eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.*

17 *Porrò mundus præterit, & cupiditas ipſius: qui verò præſtat voluntatem Dei, manet in æternum.*

VT Christus pro nostris peccatis mortuus est & ad vitam nouam resurrexit: Ita qui Christiani esse volunt, similiter peccatis mori & in vitæ nouitate ambulare debent. Rom. 6. At quia hîc maximè nos impedit mundus, frequẽter nos admonet scriptura, ne huic nos conformes faciamus, néue eius exemplum sectemur. Rom. 12 Matt. 7. &c. Et huc facit, quod nuper Ioannes monuit, ne mundum & quæ in eo sunt diligamus, id est, cor eis applicemus, vt Dei & officij erga hunc immemores simus. Quia autem caro hîc sibi blanditur, & Dei amore gloriatur, mundi studia dixit, non posse illos Deum amare, qui mundum diligunt: Nimirum quod duo hæc inter se dissideãt, &c. Id nunc probat:

I. Quomodo omne quod est in mundo, id est, quo hic ducitur & occupatur, quodque in pretio habet, non est ex Deo. Argumentum tale est: Quisquis quod non est ex patre diligit, in eo non est charitas patris: Qui mundum diligit, ea diligit quæ ex patre non sunt: Ergo, &c.

Argumentatio.

Minorem probat enumeratione, qua mundo tria tribuit. ¶ 1. Concupiscentiam carnis. Est hæc innata philautia, qua mundo dediti, vt benè viuant, suis modò commodis stu-

Concupiscentia carnis quid.

dis ſtudent, nulla Dei aut proximi ratione habita.

Id verò ex Deo nó eſt. qui vult, vt ipſum diligamus, &c. Deut. 6. Leu. 19. Luc. 10. &c. Et concupiſcentiam prohibet, Ex. 20 QVi ergo vult Deum diligere, ne faciat curam carnis ad concupiſcentiam. Rom. 13.

Non prohibetur moderata cura. 1. Tim. 5. Matth. 6. Sed non indulgendum cupiditatibus, quia hæ nihil moderatum habent.

¶ 2. Concupiſcentia oculorum. Intelligitur omne quod mundus obijcit, quo oculi & per hos internæ cupiditates mouentur. *Concupiſcentia oculorum quid.*

Ab iſto cœpit Satan, Gen. 3. Sic. 2. Sam. 11. Idem adhuc facit.

Hic ergo tenenda regula, Pſalm. 119. Similiter omnes ſenſus auertantur, ne ſe occaſionibus peccatorum accomodent, Marci nono.

¶ 3. Faſtus vitæ, id eſt, quicquid in mundo magnificum eſt. Eo accenditur ambitio, qua Chriſtum quoq; tentauit, Matt. 4. Hæc parit contemptum aliorum, iactantiam, confidentiam, &c. *Faſtus vitæ quid.*

Sunt iſta omnia à Dei ingenio & voluntate alieniſsima. Luc. 14. 1. 1. Pet. 5. Iac. 4. Itaque qui iſta diligunt, in ijs non eſt dilectio Patris.

II. A mundi conditione argumentum petit, quo docet, quàm fallantur, qui illum sic diligunt, vt Deum negligant: Mundus transit & cõcupiſcẽtia eius, id eſt, quicquid in eo eſt concupiſcibile. Similes loci, Iſ. 40. 1. Cor. 7. vbi nihil niſi figuram mundo tribuit. Id patet, ſi videas quæ ſit conditio opum. Honorum. Voluptatum. Vitæ humanæ. Pſ. 39. Iac. 4. &c. Machinæ totius, Rom. 8. Pſal. 102. 2. Pet. 3. Hinc illa Eccl. 1. 2. &c.

Mundus vt transeat.

¶ Sunt ergo hominum ſtultiſsimi & miſerrimi, qui his addicti viuunt, neq; animos altius attollunt. Col. 3.

III. Opponit pietatis veræ fructum: Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum, id eſt, æternum fœlix & beatus eſt, nec mouebitur.

Vbi NOTA. ¶ 1. Voluntatem Dei eſſe ſanctificationem noſtram. 1. Theſſ. 4. Hæc in nobis nulla. Pſal. 51. Iob. 14. Iſa. 64. Sanctificatio noſtra Chriſtus, 1. Cor. 1. 1. Ioan. 1. Hic apprehenditur fide, quæ deinde in nobis agit, vt ſanctitati ſtudeamus. Etſi ergo non perueniamus ad perfectionem, tamen quotidie pedes abluimus (Ioan. 13.) lapſi reſurgimus, & cupimus proficere. Et placet hoc Deo propter Chriſtum, in quo nobis placatus eſt. Matth. 3. 17.

Dei voluntas erga nos.

¶ 2. Ta-

¶2. Tales manent in æternum. Habent enim in se Dei verbum æternum. Isa.40.1. Pet.1.Nec possunt separari à dilectioneDei, Rom.8.Ioan.10.Itaq; omnia eis adiumento sunt in bonum, Rom.8.Et olim cum Christo viuent & regnabunt.Ioan.17. *Manere in æternum quid.*

Ista nos excitent, vt relicto mundo, D ú super omnia diligamus, eius voluntati studeamus,& vt hoc nobis ille det, Oremus.

HOMILIA. XVII.

18 *Pueruli, vltimum tempus adest: & sicut audistis Antichristum venturum, etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse: vnde scimus vltimum tempus adesse.*

19 *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum: sed* (hoc factum est) *vt pateficeret non omnes esse ex nobis.*

QVoniam Christus suos è mundo selegit & sibi consecrauit (Ioã. 15.17.) ijdem cauere debent, ne per mundi commertia ab illo abstrahantur. Sunt autẽ duo, quæ potisſimum nocent.1.Illecebrę pecca- *Duo in mundo potisſimùm nocent.*

ti & mundi, quæ in homine natura corrupto plurimum possunt. Gen. 8. De his nuper. 2. Falsa doctrina, & erroneæ opiniones, quibus vel superstitiones inuehuntur, vel Dei contemptus & Epicureismus. Psal. 14. 94. De hoc modò.

¶ Bonitas Dei obseruanda, qui olim suos non solum de seductoribus qui tunc erant, verumetiam de venturis admonuit. Sic Daniel. 7. Matth. 24. Actor. 20. 2. Thessal. 2. 1. Timoth. 4. 2. Pet. 2. Tota Apocal. Agnoscamus hoc non temerè fieri, & patienter feramus hodie admonitiones.

Nouißima tempora quæ, & cur eorum meminit.

I. Temporis circumstantia docet, cautione diligenti opus esse: Filioli, nouissima hora, &c. Dicitur sic tempus, quod à Christo vsq; ad finem mundi decurrit, &c. De eo autem admonet, quia prædictum tunc exorituros impostores, Matt. 24. Sensus: Scitis nouissima tempora periculossima fore propter pseudochristos. At nunc illa tempora sunt, & iam nunc multi Antichristi emerserunt. Ergo vigilate. Loquitur autem de illius seculi hæreticis, per quos satan tunc agebat mysterium iniquitatis (2. Thess. 2.) vt magno illi Antichristo viam sterneret.

Antichristus quis.

Sed NOTA. ¶ Scripturam de quodam singulari Antichristo loqui. Significat vox ista

ista Christi aduersarium siue æmulum, qui quæ huius sunt sibi vendicant.

1. Christus cùm esset in forma Dei humiliauit se, vt nobis seruiret: Philip. 2. Matt. 20. Ioan. 13. Antichristus ergo est, qui cùm homo sit, se exaltat, vt omnibus imperet.

2. Christus Legi obnoxius est factus, vt eos qui sub lege erant, vindicaret. Galat. 4. Antichristus ergo, qui legem operum reducit, & insuper humanis traditionibus onerat.

3. Christus seipsum pro nobis obtulit, & solus peccata remittit, sanctificat & saluosque facit. 1. Cor. 1 Antichristus, qui hæc sibi adscribit.

4. Christus se solum dicit esse viam ad Patrem, & omnes ad se vocat. Ioá. 14. Mat. 11. Antichristus, qui alias vias fingit, & ad se inuitat.

5. Christus est caput & fundamentum Ecclesiæ. Isa. 28. Matth. 16. 1. Pet. 2. Actor. 4. Ephes. 1. 5. Antichristus igitur, qui se ista esse dicit, &c.

Atqui omnia ista hodie fiunt à Rôman. Pontif. Imò si horum dogmata & mores cum Christo conferas, videbis omnia esse contraria. Accedunt arma contra Christum, &c. ¶. Fugiendi ergo. Nec enim hic

de fortunis solis agitur, sed de animarum salute. Vide Apo 18. Gratias autem agamus Deo qui nos liberauit, & libertatem hanc tueamur, &c. Gal. 5.

Vnde prodeant antichristi.

II. Vnde prodeant Antichristi, docet, vt scandalo medeatur. Quando enim in ipsa Ecclesia tales emergunt, multi de doctrina dubitant, & religionem omnem Deo non putant curæ esse. Dicit ergo: Ex nobis egressi sunt, sed, &c. Quasi diceret; Fateor hæc monstra ex nobis prodire, sed neminem hoc offendat, quasi Euangelium tales faciat. Nec enim ex nobis vnquam fuerunt. Probat: Si ex nobis fuissent, id est, si Christum verè amplexi essent, nobiscum mansissent.

Culpa non est Euangelij.

Oues enim Christi vocem audiunt, & hic eas non sinit sibi eripi. Ioan. 10. Ergo istorum improbitas, neque Christo neque Euangelio debet imputari.

Idem potest ijs responderi, qui hodie sectas dicunt ex Euangelio exortas. Vide parabolam Matth. 13.

Seductorũ nota.

Sed NOTA. ¶. Quo signo possint agnosci seductores? Non manent cum Ecclesia, id est, in ea fide & doctrina quam Ecclesia profitetur, sed noua fingunt. Tales olim Nazaræi. Hodie Pontificij & Monachi. Si ex Ecclesiæ membris essent, non in sectas scinderentur,

rentur, nec alia nomina assumerent. 1. Cor. 1. Non negarent fidei iustificationem. Acto. 15. Non peruerterent Christi testamentum. 1. Corin. 11. Non conderent nouos fidei articulos.

¶. Sufficiat hoc nobis contra eos, qui Ecclesiam, Concilia, Patres tonant.

III. Cur permittit Deus vt talia monstra exeant ab Ecclesia? Vt manifestum fiat, &c. Et ideo cauti simus, ne quibusuis fidamus. Sic 1. Cor. 11.

Neminem ergo offendat multorum defectio. Regnum Dei non pendet ex hominibus. Et solet Christus ventilabro vti. (Matth. 3.) vt Ecclesia purgetur, & sui sint in fide constantiores. Oremus.

Defectio multorum ne quem offendat.

ANTITHESIS CHRISTI & Antichristi.

CHRISTVS	Antichristus ergo est qui
1. *Dei Filius homo factus est.*	1. *Homo externus Deum se facit.*
2. *Dominus omnium humiliauit se, vt seruiret.*	2. *Exaltat se vt dominetur.*
3. *Legi obnoxius factus, &c. Gal. 4.*	3. *Legis iugum reducit.*
4. *Iustitia pro nobis peccatum factus. 2 Cor. 5.*	4. *Homo peccati vult dici ipsa sanctitas.*
5. *Sacerdos, sacrificium, satisfactio, sanctificatio.*	5. *Sacerdotem se dicit, sacrificium, satisfactionem, sanctificationem sibi ascribit.*
6. *Sapientia vnica. Col. 2.*	6. *Scrinium pectoris. &c.*
7. *Irreprehensibilis Ioan. 8.*	7. *Reprehendi non vult.*
8. *Fundamentum & caput Ecclesiæ.*	8. *Fundamentum & caput Ecclesiæ se dicit.*

HOMILIA XVIII.

20 *At vos vnctionem habetis à sancto il*
lo(profectam,) *& nostis omnia.*
21 *Non scripsi vobis idcirco quod veri-*
tatem ignoretis, sed quia eam nostis,
& nullum mendacium ex veritate
esse. 22. *Quis*

22 *Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? hic est antichristus negans Patrem & Filium.*
23 *Quisquis negat Filium, is ne Patrem quidem habet.*

INter omnia, quę homini nocere possunt, nihil nocentius est falsa doctrina. Alia enim ferè corporibus obsunt, hæc animam inficit. Alia item ferè noxia esse agnoscuntur, & caueri possunt: at qui falsa docent, ea sub specie veritatis, religionis, & quasi nostræ salutis studeant, propinant. Ideo Christus nos toties & tam seriò admonet de cauendis falsis doctoribus. Matth. 7. 15. 24. Ita Apostoli, & inter hos Iohannes, qui nuper à tempore sumpta occasione monuit cauendos esse Antichristianos doctores, qui tunc incipiebant emergere. Quia autem natura admonitionum impatientes sumus, nec libenter ignorantes aut negligentes vel obliuiosi videri volumus, excusat se Ioannes.

Et vos vnctionem. &c. Sic vocat internam institutionem Spiritus sancti quem Christus promisit. Iohan. 14. 16. Alludit autem ad veterem ritum, Exod. 29. Itaque sensus est: Nolim meam admonitionem sic accipi, quasi vos tam ignaros aut tam stupi- *Vnctio quid.*

dos putem, quos admoneri de his oporteat. Audistis euangelium & qui Christiani estis, spiritum Christi accepistis quia omnia suggerit. Ioan. 14. At quia vos amo, de his admoneo, & cùm non aliud dicam, quã quod cum spiritus S. dictatis intra animã vestrum consentit, eò magis vos vigilare decet.

Licet Spiritus sanctus sit doctor noster, opus est tamen prædicatione verbi Dei.

NOTA. ¶. Verum quidem doctorem esse spiritum. (Ioan. 6. Isa. 54.) eò quòd homo animalis non percipit quæ sunt Spiritus Dei (1. Cor. 2.) sed hoc non obstare, quò minus Verbum Dei prædicari, & per hoc homines moneri, vrgeri, corripi debeant. Etenim veritatis notitia ferè vt scintilla in cineribus delitescit, vbi sufflatione opus est, &c. Accedit innata securitas, cunctatio & obliuiositas. Ideo opus est ijs, qui vrgeant. 2. Tim. 4. Fatetur Ioannes istos omnia scire: & tamen repetit quod prius dixerat. Sic infra 4. Cap. Quid ergo facias hodie ijs, qui ita loquuntur de fidei dogmatibus ita viuunt, vt eos omnia ignorare appareat.

SED redit ad institutum Ioannes & duabus notis describit Antichristianos doctores, qui caueri debeant.

I. Scitis quòd omne mendacium ex veritate non est, id est, veritati aduersatur: At quis est mendax, nisi is, &c. Quasi diceret:

ret: Si Iesum negare esse Christū, nō est mendacium, quid obsecro mendacium dici debet. Ergo quisquis hoc negarit, is caueri debet, quisquis sit.

Vbi NOTA. ¶. Quid sit Iesum negare Christum esse. Christus vnctum sonat; & officiū denotat, cuius ergo Dei Filius in mundum venit, & homo factus est. Vngebantur autem olim Sacerdotes & Reges, & ex hoc more promissus redemptor Dei Filius dictus sic fuit, quia noster Sacerdos & Rex esse debuit. Psalm. 2. & 110. Et talem omnis scriptura esse testatur, Ioan. 5. Luc. 24. Acto. 3. 13. 2. Pet. 1. &c. Imò ipse Deus Matth. 17. Annon ergo mendacissimus qui hoc negat? *Negare Iesum esse Christum quid sit.*

Negant autem: ¶. 1. Qui disertè oppugnant quæ de illo dicuntur, vt hodie Iudæi & Turcæ. *Qui autem negent.*

¶. 2. Qui quæ illius sunt, vel sibijpsis tribuunt, vel alijs, contra illud Isa. 42. Vt qui illum pro nobis satisfecisse negát, & proinde alias satisfactiones alia sacrificia pro peccatis excogitant, &c. Alios quærunt Mediatores.

¶ 3. Qui ore quidem illum fatentur, negant autem factis. 1. Tit. 1. Vt qui Christi confessores persequuntur. Seipsos sceleribus

inquinant.1.Cor.6.2.Cor.6. Per eius vulnera, mortem, &c. Deierant. Quam verò vulgaria hodie sunt ista?

II. Quia hæc multis leuicula videntur, alteram notam addit, quæ ex priori sequitur: Hic est Antichristus, qui negat patrem & filium. At, qui negat filium is ne patrem quidem habet. Ergo idem reuera Antichristus est, & huius spiritu ducitur. Ratio huius argumenti est, quod Deus qui inuisibilis est, adhæc nobis inacessus propter peccatū. (Isa. 33.) se nobis in filio reuelat. (Heb. 1.) qui idem nos illi reconciliat. Iohan. 1.14. 3.Cor. 5. Quisquis ergo Christum negat, is Deum quoque totum reijcit. Vide Iohan. 5. Lucæ 10. &c.

Quæ religiones hic damnentur.

¶. Damnantur hic religiones omnes, quæ non vno Christo nituntur. Iohan. 14. Gloriantur Deo omnium creatore Iudæi & Turcæ: Sed hoc dictum illos iugulat. Idem accidit ijs, qui relicto Christo alias vias ingrediuntur per quas ad Deum veniant. Prætexunt zelum bonum, sed hic non est secundum scientiam. Rom. 10. Et Christum sibijpsis inutilem reddunt. Gal. 5. Ergo non leues sunt controuersię nostri sæculi, de religione agitur, de summa salutis. Tu in his persistito, quæ ex script. didicisti. 2. Tim. 3.

Hæ vnum

he vnum Christum tradunt. Acto. 4. 1. Corinth. 1. 2. Corinth. 5. Huic vni fidamus & oremus.

HOMILIA. XIX.

24 *Quod igitur audistis à principio, in vobis maneat: si in vobis manserit quod audistis à principio, vos quoque in Filio & Patre manebitis.*
25 *Hæc autem illa est promißio quam ipse pollicitus est nobis, nempe vita illa æterna.*
26 *Hæc scripsi vobis de ijs qui seducunt vos.*

APostoli non solùm fidem in Christũ tradunt, sed vt in ea perseueremus hortantur. Idq; faciunt seriò, non sine grauibus causis. Vt enim homo natura nouarum rerum cupidus, ideoq; ad defectionem procliuis est: ita non feriatur satan, qui indies multa excogitat, quibus nos à fide abducat. Inter hæc nihil est nocentius falsis doctoribus qui hominum mentes prauis & superstitiosis opinionibus de Deo & tota salutis ratione fascinant. Ideo de illis sæpe admonent Apostoli, & ne quid omittant, quia

nouissimis temporibus illorum agmina exoritura sciebant, de his etiã vaticinati sunt. Cęterum quando aduersus tales pugnatur, & hi vicissim pro suis placitis contendunt, quærunt aliqui: Quid vero in tanta opinionum varietate faciant simplices & plebei? His in præsenti respondet Ioannes.

Quid audierint à principio.

I. Breui præcepto omnia comprehendit. Vos igitur quod audiuistis, &c. Quasi diceret: Quicunque illi sint qui noua docent, vos in ijs persistite, quæ ab initio audiuistis. Loquitur de salutis doctrina quæ iam inde ab origine rerum tradita, inde magis illustrata, & tandem per Apostolos in toto orbe diuulgata est. In ea perseuerandum, quia perfecta est. Ita Christus admonet, Matthæi 24. Paul. 2. Tim. 3. Gal. 1.

Concilio dissensionis tolli non posse.

¶. Falluntur, qui propter dissensiones opus putant concilio, vbi doctrina constituatur, quæ posit omnibus conuenire. Hoc enim vt impossibile est, ita non prodesset in conspectu Dei. Ideo quò plures sectę, eò firmius nos stare oportet in eo, quod Apostoli tradiderunt. Hi soli sunt orbis doctores ordinati, Ioan. 20. Matth. 10. Vide item Mich. 4.

Obseruemus autem doctrinæ huius Capita.

¶. I.

¶. 1. Salutis rationem tradunt hoc ordine. A. Omnes homines natura peccatores & mortis reos esse, nec ex seipsis seruari posse. Necesse hoc scire: quia vt primi parentes suis viribus voluerunt Deo similes fieri: Ita confidentia hac adhuc decipimur. Ideo omnis scriptura hoc vrget, & ab eo ordiuntur Apostoli Rom. 1. 2. 3. 1. Cor. 2. 2. Cor. 3. Id verò confutat omnium figmenta, qui liberum hominis arbitrium, vires proprias, opera & meritum iactant. *Salutis ratio.*

B. Christum proponunt, qui nobis sit datus Sapientia, Iustitia, &c. 1. Corin. 1. Item Actor. 4. 13. 15.

C. Hunc sola fide apprehendi docent, & proinde hac sola nos iustificari, & seruari Galat. 2. Roman. 3. Ita Christus, Marc. decimo sexto.

¶. 2. Officia fidelium tradunt, quæ sunt. Deum colere in spiritu & veritate, & ex fide inuocare. Iohannis 4. 1. Timoth. 2. Sacramentis vti secundum Christi institutionem. 1. Corinth. vndecimo. Sanctimoniam sectari. Hebr. duodecimo, Roman. 12. Charitatem & pacem cum omnibus colere. In his persiste. *Officia fidelium.*

II. Fructum & præmia perseuerantiæ huius promittit. ¶. 1. In filio & Patre mane-

bitis,id eſt,habebitis cum Deo communionem, de qua Cap. 1. Et conuenit hoc cum Chriſti promiſsione.Ioan.14. Id verò omnem felicitatem in ſe continet,& ſumma eſt hominis dignitas,&c. E contra autem hinc colligi poteſt, à Deo alienos eſſe,qui à doctrina Apoſtolorum exorbitant. Ratio ex Ioan 10.14.

¶. 2. Vitam æternam. Eſt hæc prioris conſequens: quia Deus vita eſt, & hæc per Chriſtum in nos deriuatur Ioan.1. Neue dubitemus,promiſsiones allegat,quę habentur Ioan.17.Mar.16.

Perſeuerantia in Euangelio.

HINC diſcimus non leuem eſſe controuerſiam,quando de perſeuerantia in Euangelica fide agitur. De eo enim lis eſt, an à Chriſto diſcedamus, qui ſolus verba vitæ æternæ habet. Ioan.6. Actor. 4. Hoc olim expenderunt Martyres.Hos imitemur,Matthæi 16.

III. Indicat, cur de his tam diligenter admoneat.Hæc ſcribo vobis,&c. Quaſi diceret:Niſi eſſent, qui veſtræ ſaluti inſidiantur,tacere poteram. At quia tales paſsim occurrũt,ex officio de his admoneo,ne mercenarium agam.Ioan.10.

Lupi arguendi à miniſtris.

¶. Eadem ratio debet hodie etiam valere,vt & Miniſtri lupos arguant, & qui oues

ues dici volunt, id fieri patiantur. Maior necessitas hodie, quam Apostolis viuentibus, quando iam grassantur ij, de quibus illi nos præmonuerunt. 2. Thess. 2, 1. Tim. 4. 2. Pet. 2. Actor. 20. Et ea est stoliditas ouium, vt sponte se illorum vnguibus & dentibus obijciant. Firmiter ergo teneamus Apostolicę doctrinæ Cap. in ijsdem perseueremus, vigilemus & Oremus.

HOMILIA. XX.

29 *Sed vnctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis: nec necesse habetis vt quisquam doceat vos: verum sicut eadem vnctio docet vos de omnibus,* (quæ) *& verax est, & non mendax: & sicut docuit vos, manebitis in eo.*

ETsi Deus in Filio suo omnia proponat, quæ nobis ad salutem necessaria sunt, idemque omnes ad se inuitet, iugumq; eius suáue sit. (Ioan. 1. 3. Matth. 11.) ea tamen est humani ingenij peruersitas, vt pleriq́ue illo relicto ad ea conuertantur, quæ neque esurientes animas saturare, &c. Isa. 55. Ier. 2. Quæ causa est, quod seductoribus Deus multa permittit. 2. Thess. 2. Quia tamen idē

bitis, id est, habebitis cum Deo communionem, de qua Cap. 1. Et conuenit hoc cum Christi promissione. Ioan. 14. Id verò omnem felicitatem in se continet, & summa est hominis dignitas, &c. E contra autem hinc colligi potest, à Deo alienos esse, qui à doctrina Apostolorum exorbitant. Ratio ex Ioan 10.14.

¶. 2. Vitam æternam. Est hæc prioris consequens: quia Deus vita est, & hæc per Christum in nos deriuatur Ioan. 1. Neue dubitemus, promissiones allegat, quę habentur Ioan. 17. Mar. 16.

Perseuerantia in Euangelio.

HINC discimus non leuem esse controuersiam, quando de perseuerantia in Euangelica fide agitur. De eo enim lis est, an à Christo discedamus, qui solus verba vitæ æternæ habet? Ioan. 6. Actor. 4. Hoc olim expenderunt Martyres. Hos imitemur, Matthæi 16.

III. Indicat, cur de his tam diligenter admoneat. Hæc scribo vobis, &c. Quasi diceret: Nisi essent, qui vestræ saluti insidiantur, tacere poteram. At quia tales passim occurrũt, ex officio de his admoneo, ne mercenarium agam. Ioan. 10.

Lupi arguendi à ministris.

¶. Eadem ratio debet hodie etiam valere, vt & Ministri lupos arguant, & qui oues

ues dici volunt, id fieri patiantur. Maior necessitas hodie, quam Apostolis viuentibus, quando iam grassantur ij, de quibus illi nos præmonuerunt. 2. Thess. 2. 1. Tim. 4. 2. Pet. 2. Actor. 20. Et ea est stoliditas ouium, vt sponte se illorum vnguibus & dentibus obijciant. Firmiter ergo teneamus Apostolicę doctrinæ Cap. in ijsdem perseueremus, vigilemus & Oremus.

HOMILIA. XX.

29 *Sed vnctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis: nec necesse habetis vt quisquam doceat vos: verum sicut eadem vnctio docet vos de omnibus, (quæ) & verax est, & non mendax: & sicut docuit vos, manebitis in eo.*

ETsi Deus in Filio suo omnia proponat, quæ nobis ad salutem necessaria sunt, idemque omnes ad se inuitet, iugumq; eius suáue sit. (Ioan. 1. 3. Matth. 11.) ea tamen est humani ingenij peruersitas, vt plerique illo relicto ad ea conuertantur, quæ neque esurientes animas saturare, &c. Isa. 55. Ier. 2. Quæ causa est, quod seductoribus Deus multa permittit. 2. Thess. 2. Quia tamen idē

ſuorum curá habet, frequenter de illis præmonet, & quid fieri debeat docet.

Et huc facit maxime poſtrema huius Cap. pars, cuius ſtatus eſt, Chriſtianos perſeuerare debere in doctrina Apoſtolica. 1. Quia omnium ſit vetuſtiſsima. 2. Quod qui in ea manent, ijdem in Patre & Filio maneant. (Iohan. 14.) quæ ſumma beatitas eſt. 3. Quod hac vita æterna promiſſa. Iohan. 5. 17. Mar. 16.

¶. Quia verò ingenij humani curioſitati vix ſatisfit, & ſemper habet quod cauilletur, adhuc alia quædam ſubijcit Ioannes.

Contra abuſum huius loci. I. Oſtendit, non neceſſe eſſe alijs doctrinis. Id ſic enuntiat, Non neceſſe habetis, vt quis vos doceat. Abutuntur aliqui his verbis, vt dicant verbi prædicationem eſſe ſuperuacuam. Sed confutantur ab ipſo Chriſto. Iohan. 8. 10. Luc. 10. Idem Euangelij prædicationem inſtituit. (Luc. 24. Marc. 16. 13.) vt medium ordinet per quod fides datur. Rom. 10. Ipſe deniq; dat doctores, &c. Eph. 4. 1. Cor. 12.

Senſus verus. Non debet ergo hoc dictum rapi extra inſtitutum Apoſtoli, quod eſt, Ne Chriſtiani aliquid admittant nouum, ſed perſeuerent in eo, quod initio didicerunt. Id probat,

probat, Quia non necesse sit, vt quis doceat quid prӕterea.

Et est hӕc ratio firmissima. I. Quia non est prudentis occupari in non necessarijs, Simile ex re domestica & militari. Maximè in salutis negotio. Isa. 55.* 2. Quia non possunt noui doctores admitti absque priorum contumelia, qui sic insimulantur non bonӕ fidei.

¶. Obseruent hoc prӕposteri Diuorum cultores, qui hoc prӕcipuè agũt, quòd superstitionibus nouis occupati negligunt eam salutis rationem, quam illi tradiderũt.

II. Probat non necesse esse, vt quis doceat aliquid prӕterea: Vnctio quam accepistis, manet in vobis. Loquitur de Spiritu sancto cuius vmbra fuit vnctio veterum, & quem Christus promisit suis. Ioan. 14, 16. Hӕc (inquam) vt in vobis manet, vosque docet de omnibus, ita verax est, & nullũ in ea mendacium, &c.

¶. Dignitas magna Euangelij. Omnes aliӕ doctrinӕ homines incertos reddunt, & nequicquam fatigant. Socrates. Quoad verò aliarum religionum sectatores, omnibus conuenit, quod Samaritidi dicitur, Vos adoratis quod nescitis. Ioan. 4. Quia extra verum Deum Deus nullus prӕterea, Deut. 6. *Euangelij dignitas.*

Isa.45. Ita neq;, præter Christum, alius Dominus. Isa.42.1.Cor.8. Sola Christiana religio vero Deo & vero Seruatore nititur. Testimonia itẽ habet certissimarũ promissionum Mosem & Prophetas Lucæ 24. Bapt. Ioan.1.3. Deum ipsum. Matth.3.& 17. Apostolos, Actor.1.10. Quibus accedit testis Spiritus santus, qui animos certos facit. 2.Cor. 1.5. Ephes.1. Roman.8. Hinc illa constantia Martyrum.

III. Infert: Sicut ergo docuit vos manete in eo. Breue dictum, duo docens.

Constantiæ veræ in fide ratio.

¶. 1. In quo manendum? In eo, Christo nimirũ. Sunt enim qui pertinaces sunt in suis figmentis. Sic gentes, Iudæi olim & hodie. Superstitiosi item & hypocritæ. Sed sola perseuerantia in Christo probatur. In eo igitur firmi maneamus.

¶. 2. Quomodo? sicut ille docuit. Sunt qui Christum profitentur, & in eo se manere dicunt. Non autem eum habent, quem Spiritus sanctus tradit, sed nouum fingunt ex suo cerebro, qui subsidijs opus habeat. Mediatorem scilicet, apud quem Diuis sit opus Aduocatis. Iustitiam, sed quæ nostris operibus indigeat. Sacrificium, sed quod repeti oporteat. Atqui Spiritus sanctus aliter docet per Apostolos. Quod vnicus sit Seruator.

rator, Acto. 4. Vnicus mediator, 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2. Vnicum sacrificium, quod semel oblatum, &c. Heb. 10. 9. Vnicus Rex, Sacerdos, Caput, Sponsus, &c. His similia Spiritus sanctus suggerit per sensum communem. Qui talem agnoscunt, & vno cõtenti sunt, ij manent in eo, sicuti Spiritus docuit, &c.

Iugulantur ergo hic omnes hominum traditiones cum omnibus superstitionibus, quæ extra Christum instituuntur, Ioan. 14. Oremus.

HOMILIA XXI.

28 *Nunc igitur, filioli, manete in eo: vt quum patefactus fuerit, habeamus fiduciam, neq; pudefiamus coram eo in ipsius aduentu.*

29 *Si scitis eum iustum esse, nostis quicunque exercet iustitiam, ex ipso natum esse.*

CHristus Luc. 9. ait, Nemo qui manum aratro, &c. Docet non satis esse, vt in fide semel cœperimus, sed perseuerantia opus esse, Matth. 24. Qui enim deficiunt, non modò animi leuitate peccant, sed etiam contemptu gratiæ Dei, & fiunt postrema eo-

rum peiora primis. Matth. 12. 2. Pet. 2. Ioannes ergo non temerè Christianos hortatur, vt in Christo maneant ita, sicuti ex Apostolis didicerint. Rationes, quia hæc doctrina vetustissima. Quia hinc obtingat communio cum Deo; Quia perfecta & certa sit.

Sequitur fructus, quem tunc inde percipiunt pij, quando alia omnia fallunt.

I. Filij manete in eo, vt cum apparuerit, &c. Loquitur de Christi aduentu ad iudicium. Quasi dicat: Non de præsenti modò vita agitur, sed meminisse oportet, fore finem seculi, venturum Christum, &c. Videndum ergo vt tunc stare possitis. Id fiet, si manseritis, &c.

Christi aduentus ad iudicium.

Iudicij nouissimi ratio.

NOTA. ¶ 1. Scripturam passim iudicij postremi meminisse. Fatemur item in symbolo. Non sunt ergo Christiani qui negant. At obseruandum, aliam fore illius formam, quàm quæ est iudiciorũ in hoc seculo. Non iuuabit fuga, &c. Rom. 14. 2. Cor. 5. Matt. 24. Non negatio criminis, quia propria conscientia accusabit. Dan. 7. Non falletur iudex, Ioannis 2. Non proderunt opes, honores, &c. 2. Pet. 3. Quid ergo? Si nos Christus pro suis agnoscat. Agnoscet autem solos eos, qui in ipsum crediderunt secundum Apostolorum doctrinam, & ipsum coram homini-

minibus confeſſi ſunt. Ioan.17. Mat. 10. Qui vel nunquam crediderũt, vel propter mundum negarunt, eos procul à ſe relegabit. Mar.16.8. Matth.25.

¶2. Diſcrimen ingens fidelium Chriſti & infidelium. Hi quia præſentibus dediti vitã aliam ignorant, neq; mortis neq; nouiſsimi iudicij mentionem ferre poſſunt.. Imò eludunt omnia, &c. Pſ.94. Iſ.28. 2.Pet.3. Vitant conciones, colloquia grauiora, &c. Sed nequicquã. Obrepit nihil cogitantibus mors. Tunc miſerabiliter eiuſant. Adrianus. Et ferè impoſtoribus prę da fiunt. Olim excipiet illos nouiſsimus dies, & fiet illis quod habetur Ioã.19. Zac.13. Mat.24. Itẽ Sap.4.5. Quid quod in hac vita ſæpe ſentiunt Chriſtum iudicem? Vide Gen.4. Matth.27. *Fidelium & infidelium diſcrimen.*

Fœliciores pij, qui quoad mortem, credunt Chriſti verbis, Ioan.5. Apo.14. Rom.1. Et cupiunt diſſolui, Phil.1. Quoad nouiſsimum diem, ſciunt fore diem redemptionis, & ex eo conſolationem capiunt. Luc.21. Roman. octauo. Vide Iob.19. 2. Timoth.4. Apoc.22.

¶ Nihil ergo præſtantius fide, quæ tunc ſeruat, quando omnia alia fallũt. Huic ſtude, Matth.13. *Fide præſtantius.*

II. Obijciat aliquis: Ergo ne fides ſola,

eiusq; professio sufficit, nec aliquid præterea requiritur? Occurrit igitur Ioannes. Si scitis quod iustus est, &c. Quasi dicat: Cùm iubeo in illo manere, vt possitis stare in eius aduentu, simul vos cogitare velim quis sit: Nimirum iustus ille, &c. Isa. 53. Ioan. 8. Matt. 26. Mar. 14. 15. Erit ergo etiam iudex iustissimus, qui non feret sceleratos. Itaq; qui iustitiam fecerit, hunc ex se natum, & proinde pro Dei Filio & cohærede agnoscet.

In his ordinem Christianæ salutis NOTA.

Salutis ordo. Principiũ.

¶ 1. Loquitur de eo qui ex Deo natus sit, & ita salutis principium monstrat. Quia enim natura peccatores sumus, regeneratione opus est. Ioan. 3. Hæc non est in nostro arbitrio & potestate. Matth. 5. 6. Sed Deo opus est. Semen est verbũ Dei, 1. Pet. 1. Caussa efficiens Spiritus, qui illud viuificat, vt fructum ferat, totius hominis innouationem. 2. Corinth. 5. Gala. 6. Salus ergo omnis gratuita est.

Medium.

¶ 2. Quoad nos, apprehenditur fide. Ioan. 6. 5. Mar. 16. Et quia per hanc Christo inserimur, qui nobis à Deo iustitia factus est (1. Cor. 1. 2. Corin. 5.) per illam iustificari dicimur. Roman. 3. Isa. 53. Neque aliter id potest fieri.

¶ 3. Ita

¶ 3. Ita iustificati iustitiam faciunt. Verbum Dei enim per se est frugiferum semen Matth. 13. Fides item per se agit, &c. Gal. 5. Christus viuit in suis membris, Gal. 3. Sed & ipsi pij terrorem hunc Domini semper sibi ob oculos reuocant, &c. 2. Cor. 5. Matt. 16. Itaque etsi se nihil mereri sciant suis operibus, tamen his fidem suam publicè testantur. Iac. 2. *Effectus.*

¶ Arguuntur qui hac doctrina dicunt bona opera prohiberi. Abutuntur quidem ea multi: sed hoc non debet euangelio fraudi esse. Ferent hi suum iudicium. Nos constantes simus in agnita veritate, & frúctus feramus nostra professione dignos, vt in magno illo die possimus consistere, &c. Oremus.

CAPVT III.

HOMILIA XXII.

1 *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater* (nempe) *vt filij Dei vocemur: propterea mundus non nouit nos, quia non nouit eum.*

TRactauit hucusque Ioannes præcipua capita, in quibus omnis nostra salus

versatur. 1. A nobis exorsus docuit nos omnes peccatores esse, qui non possimus habere communionem cum Deo. Isa. 33.

2. Ablutionem & expiationem monstrauit in sanguine Filij Dei, qui idem noster sit aduocatus. Vnde sequitur, ad hunc recurrendum esse omnibus, qui se grauatos sentiunt, Matth. 11.

3. Quia multa nos auocant, hortatur vt in doctrina Apostolica persistamus. &c.

¶ At sunt, quibus hæc facilè persuadeas, & qui fide gloriantur, sed sub eius prætextu quærunt licentiam, & quod ore profitentur, factis negant. Tit. 1. Cum his porrò aget Ioannes, & quæ sint vitæ Christianæ officia, docebit, quæ sub puritate & dilectione fraterna comprehendit.

Bonitas Dei summa.

I. Orditur à Dei bonitate, vt per hanc nos excitet ad studium huic placendi. Videte, &c. Non digreditur in bonitatis Dei laudes, sed vt singuli hanc considerent, iubet, Sic Ps. 34. Nec temerè sic loquitur Scriptura, quia quoquò te vertas, huius argumenta occurrunt. Ps. 139. 8. 104. &c. At quia illa ferè temporaria sunt, & præsenti modò vitæ seruiunt, eius meminit, quod summum est, quòd nos filios suos dicit, &c. Cōtinet hoc omnem beatitatem. Si enim filij, etiam hæredes

redes, &c. Rom. 8. Adeoq; hîc præstat Deus quod promisit Gen. 17. Exod. 20.

Quia verò fundamentum pietatis in eo consistit, vt hanc Dei dilectionem rectè agnoscamus, hæc sunt consideranda.

¶ 1. Quis Deus & qui nos? Ille quoad essentiam, Iehoua æternus, ἀφθαρτος & nulli mutationi obnoxius. Exod. 3. Psal. 102. Propria eius sunt, Sapientia, Veritas, Iustitia, Lux, Omnipotentia, Maiestas, Ierem. 23. Isa. 66. Psal. 13. *Deus quid.* Esa. 40

E contra Homo, creatura est, & quidem creaturarum infima & miserrima propter lapsum. Ps. 49. Propria eius, Ignorantia (1. Cor. 2.) mendacium (Psal. 116.) quod tenebris gaudet, &c. Ioan. 3. Peccatum denique, ex quo mors & quæ hanc comitantur. Roman. 3. 5. Hæc obseruans Dauid exclamat, Psalm. 8. Atqui patres pudet sæpe ex se genitorum. *Homo quid.*

¶ 2. Quomodo & in quo dilexit? In Filio suo, quem pro nobis tradidit. Ioan. 3. Eph. 1. Est hoc quoq; incomparabile. *Dilectionis Dei modus.*

¶ 3. Quare? Num quod nostri egeret? An quòd nos meruerimus? Minimè. Sola charitas nominatur, vt gratuitam ostendat. Vide 1. Ioan. 4. Confirmatur, quia ab æterno, Eph. 1. 1. Pet. 1. *Causa mouens.*

Iſta nos diligenter conſiderare Ioannes iubet, quia multiplex vſus.

Vſus huius doctrinæ. ¶ 1. Fontem ſalutis monſtrat, & reprimit noſtrijpſorum fiduciam, qua nihil nocentius. Luc. 18. Rom. 10. In gratuita ergo hac Dei bonitate nobis acquieſcendum. Cõfutantur hic omnes ſuperſtitiones, quia Dei gratiæ derogant, &c. Rom. 11.

¶ 2. Officij admonet, vt Deum hunc redamemus, & ei obediamus. Simile filiorum qui patris amorem agnoſcunt. Arguuntur noſtri ſeculi Chriſtiani. Mal. 1.

¶ 3. Conſolatur in omni tentatione. Quia pater, noſtri eſt memor, &c. Iſa. 49. Hoc cogita in morbis, egeſtate, exilio, &c. Roman. 8. In conſcientiæ tentationibus. Roman. 5.

II. Obijciat aliquis: Si filij Dei ſumus, cur non pro talibus agnoſcimur? Cur pro alienis à Deo habemur, & pleriſque ſumus exoſi? Eſt hæc tentatio frequens, ſimilis ei, qua ſatan Chriſtum aggreſſus eſt. Matth. 4. Et quantum poſsit, docent exempla, Pſ. 73. Ierem. 12.

Sed præoccupat: Propterea mundus, &c. Quaſi dicat: Non mirum, mundum nos non agnoſcere pro Dei filijs. Hos enim nemo agnoſcit & in pretio habet, quàm qui Deum nouit.

nouit. At mundus non nouit Deum, Ioan. 14. 1. Cor. 2. Ergo neq; nos. Ad confirmationem facit, quod Deus absq; Christo non agnoscitur. Ioan. 14. 5.

NOTA. ¶ Neminem offendi debere iudicijs mundi, nec sorte iniqua piorũ. Quid enim aliud ille faciat? 1. Ioan. 5. Ioan. 3. Deinde peregrini vulgò exosi sunt, Gen. 19. At pij in mundo sunt peregrini, vt qui patrem & patriam in cœlis habent. Matth 6. Phil, 3. Heb. 11. Ita fatentur, Gen. 47. Psal. 39. Quid ergo aliud faciat mundus quàm olim? Gen. 4. Matt. 5. Imò Christum vide, quo non debemus melius habere. Matth. 10. Ioan. 15. & 16. Si ergo mundus nos odit, meminerimus hanc esse filiorum Dei notam. Ioan. 15. Rom. 8. Olim patefiet qui simus. Sed de hoc in sequentibus. Nunc agnoscamus bonitatem Dei, grati simus, & indesinenter Oremus.

Iudicia mundi neminem offendant.

HOMILIA XXIII.

2 *Charissimi, nunc filij Dei sumus, sed nondum patefactum est quod erimus: scimus autem fore, vt quum ipse patefactus fuerit, similes ei simus: quoniã videbimus eum sicuti est.*

3 *Et quisquis habet hanc spem in eo sitam, purificat se, sicut & ille purus est.*

QVoniam multi semper sunt, qui Euangelij prædicatione ad peccandi licentiam abutuntur, Ioannes postquam de ijs egit, quæ ad salutem faciunt, nosq; ad perseuerantiam hortatus est, hoc capite de vitę Christianæ officio differit. Summa, vt quia Deus nos ex mundo selegit, nos ab hoc puros seruemus. Id vt nobis persuadeat, orditur à dilectione Dei, qui nos indignos in filios adoptarit. Est enim hoc tantum beneficium, vt communis sensus dictet, nos viciſsim illi consecratos esse debere.

¶ Quia autem multos offendit iudicium mundi, qui Dei filios odit, persequitur, ostendit nuper hoc non debere insolens videri. Hoc enim ideo fieri, quia mundus Deũ non norit.

Nunc autem rem ipsam apertius tractat, vt nos in hac spe confirmet.

Vt nunc laveat nos Dei filios esse. I. Dilecti, nunc filij sumus Dei, & nõ, &c. Id est, etsi non constet omnibus, qui simus, singulis tamẽ persuasum esse debet, nos Dei filios esse. Opus hic multa consideratione. Vt enim mundus quiescat, tamen in nobis sunt, quæ fidem labefactant. Corpus infir-

mum

mum & morbis obnoxium. Labores, curæ, &c. Mors ſemper ob oculos. Anima modò illecebris peccatorum, modò ex his enatis terroribus exagitatur.

¶ Ergo neceſſe eſt, non hærere in præſenti ſtatu, ſed oculos altius attollere ad Chriſti exemplum. Matt. 22. Alioqui non nos modò, ſed totam filiorum Dei generationem damnabimus. Pſ. 73. Recurramus ergo ad promiſsiones fœderis, Gen. 17. Exo. 20. Ad orationem Dominicam, Matt. 6. Baptiſmũ, Matt. 28. Cœnam Domini. 1. Cor. 11. Quibus accedit ſpirit⁹ arrhabo. 2. Cor. 1. 5. Rō. 8. &c. *Vnde autẽ cognoſcendum.*

II. Quia dixerat non apparuiſſe quid erimus, dicat aliquis: Atqui hoc me cruciat, ne incerta ſpe lacter. Ideo ſubdit: Scimus autem, quod ſi apparuerit, &c. Quaſi dicat: Non incerta ſpe ducimur, ſed ſcimus, &c. Sic Col. 3. Vnde? Ex Chriſti verbis, Luc. 22. Ioan. 14. 17. Id in præſenti exponit per, Similes eius erimus.

NOTA. ¶ Plenam redemptionem promitti. *Redemptio noſtra.*

1. Chriſtus non manſit in morte: ita neq; nos. 1. Cor. 15.

2. Chriſtus reſurrexit corpore glorioſo: ita nos, Phil. 3. 1. Cor. 15.

3. Chriſtus viuit & regnat in cœlis: ita nos quoq;.

Deniq; nos Christo similes fore probat: Quia videbimus eum sicuti est, id est, ita reparabimur, vt cùm nunc Deum nemo possit videre (Exod.33.) & pij quoq; non nisi in speculo, &c. (1.Cor.13.) tunc Deum ipsum visuri simus, &c. Non vt impij (Zac.13. Sap. 5.) sed vt habetur, Iob.19. Ps.16. Ista nos consolentur in omni tentatione, in primis aduersus mundi iudicia.

III. Applicat hæc instituto: Omnis qui habet hanc spem, &c. id est, quicunque olim in eius aduentu eius similes fieri cupiunt, seipsos dùm hic viuunt, conformes illi debent facere. Defunctis enim nihil superest, &c. At ille purus & sanctus est: Ergo, &c Exigit hoc omnis Scriptura. Gen.17. Leuit. 19.20. Psal.15. Isa.33. Matth.5. Heb.12.1. Thessalonic.4. &c.

Quis purificandus. Sed hîc NOTA. ¶.1. Quis purificari debeat? Nimirum totus homo. Totus enim est pollutus. Psal.51. Gen.5. Ratio non percipit diuina. 1. Cor.2. Voluntas praua, Gen. 8. Gal.5. 2. Cor.3. Sensus omnes organa peccati. Opus ergo mortificatione & regeneratione. Mar.9. Ioan.3.

Quousq;? ¶ 2. Quousq; progrediendum? Vt fiamus, qualis ille est. Dicis: Atqui id impossibile. Rom.7. Ergo ne desperandum? Minimè

mè, ſed ita loquitur, vt perpetuo ſtudio opus eſſe oſtendat, Phil.3. Deinde vt doceat ad eum recurrere, qui nobis ſanctificatio factus eſt, ad Chriſtum nimirum, 1.Cor.1.6. Vide de hoc etiam 1.Ioan.1.

¶3. Quomodo id fit? Per fidem, quæ diſcitur ex Euangelio. Hac ſola Chriſtus apprehenditur. Ioan.6. Eadem nos Chriſto inſerit, vt in eo renati efficiamur noua creatura. Facit deniq;, vt perpetuo verbi ſtudio abluamus quotidie pedes. Ioan.13.15. Hinc illud Petri, Act.15. Quomodo?

Arguũt hęc noſtri ſeculi Chriſtianos, qui dum omnia fiunt, quæ Chriſti aduentũ præ foribus eſſe docent, ipſi viuunt impuriſſimè. Sed Deus non ridetur. Galat.6. Emendemur ergo, vigilemus & Oremus.

Iſa. 33. Quis ex nobis habitabit cum igne deuorante? Quis noſtrum habitabit cum ardoribus æternis? Qui ambulat in iuſtitijs, & loquitur quæ recta ſunt. Qui abhorret à lucro oppreßionum, & excutit manus ſuas, ne munus contrectent. Qui aurem ſuam obturat, ne audiat ſanguines: Et oculos ſuos comprimit, ne intueantur malum. Hic in excelſis habitabit, &c.

HOMILIA XXIIII.

4 *Quisquis committit peccatum, etiam legem transgreditur; nam peccatum est legis transgreßio.*

5 *Et scitis illum patefactum esse, vt peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non esse.*

6 *Quisquis in eo manet, non peccat, quisquis autem peccat, non vidit eum, neq; nouit eum.*

QVoniam Deus nos miseros & mortales ex gratuita misericordia in filios adoptauit, iure exigit, vt vitã viuamus, quæ Dei filios deceat, & per quam ipse glorificetur. Matt.5. Ideo cùm Ioannes hoc beneficium Dei exposuisset, subiecit: Qui habet hanc spem, purificat, &c. Et quia Dei exemplum proponit, studio perpetuo opus esse docet, Ioan.13.

De peccato iudiciũ corruptũ. ¶ At maximè obstat corruptũ iudicium de peccatis. Alij humanum esse aiunt peccare. Ps.36. Et exempla sanctorum adducunt. Ebriosi, Noa & Loth, Gẽ.9.19. Adulteri, Dauidem, 2.Sam.11. Alij se iustos putant, quòd non sint polluti sceleribus atrocioribus, & cùm vrgentur vt resipiscant, regerunt. Atqui neq; latrones sumus, neq; fures, &c.

Istis

Istis omnibus occurrit, & doctrinam de purificatione ad omnes pertinere docet.

I. De peccato iudicare docet: Omnis qui facit peccatū, legē transgreditur. Quasi dicat: Scio multis leue videri, si peccent. At hi cogitare debebant, peccatum quoduis esse transgresionem legis, & proinde maledictioni obnoxium, Deut. 27.

¶ Ergo de nostris operibus nō secundum mundi & carnis sensum, sed secundū legem iudicari debet. Hæc enim ideo Thorah, id est, regula dicitur. Ps. 19. 119. Hæc si applicetur actionibus nostris, patebit peccatū esse quod prius placebat. Exempli gratia. In religione multi putant intentionē bonā sufficere. Sed quid De⁹ in lege? Ex. 20. Nū. 15. Itē Is. 29. Matt. 15. Exēpla, Leu. 10. 1. Sā. 15. 1. Cor. 11. &c. Ita iudica de abusu nominis Dei. Ex. 20. Leu. 24. De scortatione. Deut. 23. 1. Cor. 10. 6. Heb. 13. Matth 5. De cædibus & militia mercenaria. Gē. 9. Nū. 35. Deu. 27. Hab. 2. Ita de alijs omnibus iudicetur, &c.

De operibus nostris vnde iudicandum.

II. Christi exemplo docet, peccandi studium debere à Christianis alienissimum esse: Et scitis, &c. Sciendi verbo vtitur, vt proprio testimonio conuincat. Argumentum: Christianorum est cauere ea, propter quæ tollenda Christus venit, & huic conformes

ſe facere: At Chriſtus venit, vt peccata tolleret, & in ipſo peccatum nullum eſt. Iſa.53, Ioan. 1. 8. &c. Ergo ab hoc Chriſtiani abhorreant.

Peccare quantum malum. Vbi NOTA. ¶ Eos qui peccatis indulgent, non modò in legem, ſed in Dei Filium contumelioſos eſſe, & huius meritum quaſi conculcare. Hebr.6. Indigni ergo nomine Chriſtiano, & quoad ita pergunt, non poſſunt ſeruari. Simile eius qui ære alieno liberatus, petulanter ſeipſum debitis nouis grauat, &c.

III. Concludit: Omnis qui in eo manet, id eſt, qui per fidem Chriſto verè eſt inſitus, non peccat: nimirum vt peccato ſeruiat, ſed lapſus reſurgit, &c. Ergo qui peccat, pertinaciter nimirũ & abſq; pœnitentia, is Chriſtum nunquam vidit aut agnouit.

Excommunicati. ¶ Excõmunicantur ergo hic omnes, qui peccando pergunt, & monitores non ferũt. Sibi ergo hoc applicent ſcortatores & adulteri. Ebrioſi, Auari, Eph.5. Col.3. Mercenarij Cares. Nec eſt, quod Chriſtianorum nomen prætexant. His enim omnibus olim reſpondebit Chriſtus. Matth.7. Eadem enim eſt illorum ratio, quæ olim Iſraelitarum. Erant hi omnes circuncisi, ſacrificabant item, &c. Quid verò illis dicitur? Iſ.1. Ier.7.4. Item Pſ. 50. In ſumma, Chriſtus ſanctos vult. ¶ Ca-

¶. Calumniatores ergo sunt, qui per Euangelium licentiam peccandi dicunt in uehi, & prohiberi bona opera. Ideo enim Christus venit, vt nos sibi acquiret 1.Pet.2. Tit.2. Nec fert in illo Deus palmites inutiles. Ioan. 5. Non probat autem opera alia, quam quæ secundum ipsius præcepta ex fide fiunt. Rom 14. His ergo studeamus, vigilemus item & asiduè Oremus. *Euangeliũ non inuehit peccandi licentiã.*

HOMILIA. XXV.

7 *Filioli, nemo vos seducat: qui exercet iustitiam iustus est, sicut ille iustus est.*

8 *Qui committit peccatum, ex diabolo est: quoniam à principio diabolus peccat.*

VT Christiani homines vitam sanctè transigant, admodum necesse est, vt sæpe & diligenter cogitent de dignitate in quam ipsos Deus euexit. Nam vt suo munere nunquam serio fungetur, qui quam graue illud sit, non intelligit: Ita neque Deo obsequium prestabunt, qui suæ vocationis dignitatem non expendunt. Ideo Iohannes cum vellet tradere vitæ Christianæ officiũ

initio docuit, qua bonitate nos Deus dignatus sit, qui nos non pro seruis habeat, sed in filios adoptarit, quos in nouissimo die pro talibus agnoscere, & Filio vnigenito conformes facere velit. Ex eo colligit, nos dum hic viuimus, debere Christo conformes fieri, & à peccatis abstinere.

¶. Quia autem multa nobis obstant, & partim à propria carne, partim ab improbis decipimur, istum locum subijcit, qui cōsideratu dignissimus est.

Filioli, nemo vos seducat. Breuis, sed grauis admonitio. Filioli dicit, vt animum & curam paternam exprimat.

Saluti nostræ qui struant insidias.

Simulque innuit, semper fore, qui saluti nostræ insidientur. Loquitur autem de ijs, qui bonos mores corrumpunt, dum peccata extenuant, & Dei iudicia negant. Tales sunt in ministerio canes muti, &c. Isa.56. Ezech.13. In magistratu, qui sceleribus patrocinantur. Isa.5. Inter priuatos, qui Deum negant, & nouissimum Christi aduentum in dubium vocant. Psalm.13.94.1. Cor.15.2.Pet.3.

Hodie isti omnes passim audiuntur, & habentur in pretio ab omnibus.

¶. At seductores sunt, qualescunque dican-

dicantur. Isa. 3. Timorem Dei eximunt, de quo Prouerb. 1. Abducunt à via iustitiæ & salutis, contra Dei verbum, Leuit. 26. Isa. 1. Malach 2. Pacem promittunt, quam non possunt dare. Isa. 48. Denique exitio demergunt. 1. Thess. 5. Cauendi ergo, Prouer. 1. Psalm. 1. *Quam sint noxij.*

Vt autem magis moueat, opponit inter se iustos & peccatores.

I. Qui facit iustitiam, iustus est, &c. Simulatores arguit, Quasi diceret: Scio multos gloriari, quod per fidem iustificati sint. Sed non prodest externa professio, sed vt qui artem exercet, artifex dicitur: Ita qui iustitiam facit, &c. Sed & ipsius Dei exemplum proponit, vt sic argumentetur: Qui Dei istitiam imitatur, iustus est: Deus non solùm iustus dicitur, sed iustitiam facit: Ergo, &c. Ita Christus, Matthæi quinto. Similes loci, Iacobi secundo. Galat. quinto, &c.

NOTA. ¶. 2. Christianorum iustitiam non verbis & nudis titulis constare, sed factis, & per omnẽ vitam extendi. Iustitia enim est, quę cuiq; quod suũ est. tribuit. Itaq; Christiani est videre, quid Deo, quid hominibus debeat. Deo debemus fidem, cultum *Iustitia Christianorum in quo sita.*

&obedientiam. Exod. 20. Psalm. 50. Num. 15. Deut. 6. 28. Hominibus in genere dilectionē. Luc. 10. Ro. 13. Gal. 5. Deinde singularia quædam pro nostræ & ipsorum vocationis ratione. Extende ad omnes ordines. Qui hæc præstant, hi iusti & veri Christiani sunt, &c.

II. Qui facit peccatum ex diabolo est.

Peccatores Vbi NOTA. ¶. 1. Quos intelligat? Si enim secundum literam hoc accipias, omnes damnabuntur. Roman. 5. 3. Iac, 3. 1. Iohan. 1. Sed peccatum facere dicuntur, qui nihil aliud quam peccant, lapsi non resurgunt, peccatis gaudent, gloriantur. (Psalm. 52.) Denique peccato seruiunt. Rom. 6.

Quomodo ex diabolo sint. ¶. 2. Quid de illis ait? Ex diabolo sunt. Non quidem generatione (vt Manich. docebant) sed imitatione, & quod tales se diabolo totos dedunt. Probat: Quia diabolus ab initio peccat. Bene conditus non mansit in veritate. Ioan. 8. Isa. 14. Ab eo se hostiliter opposuit Deo. Primos parentes seduxit, Gen. 3. Omnium scelerum suasor fuit, & est etiam hodie. 1. Pet, 5. Qui ergo ipsum imitantur, ij ex diabolo sunt. Sic Christus Ioannis. 5.

¶. Obseruandum quomodo in Ecclesia loqui oporteat de peccato & huius seruis. Sunt

Sunt qui modestiam requirunt,& hanc charitatis nomine palliant, cùm ipsi neque modum seruent, neque vllam habeant charitatis rationem. Sed neutra patrocinatur sceleribus. Simile patris & fidi amici vel monitoris. Neque aliter debemus loqui quam Deus contra quem peccatur. Simile debitoris & creditoris. Quid verò Deus? Vide Gen. 2.3. Sic postea Deut. 27. 28. Vult hanc suam sententiam ab omnibus probari. Quæ ergo temeritas aliud mandare ijs, quos Deus sui verbi præcones fecit? Ezech. 3. Iere. 1. Hoc prophetas olim mouit.

De peccato quomodo loquendum in Ecclesia.

AT Noui testamenti spiritus mitior. Nego. Ioan. 16. Vide exempla Bapt. Matth. 3. Christi, Ioan. 8. & 10. Matth. 21. 23. Apostolorum, Actor. 3. 7. 13. 4. 5. &c. 2. Tim. 4. Num hodie opus sit, res ipsa loquitur. Matth. 24. 2. Tim. 3. Luc. 18. &c. Nihil nocentius, quam virtutum & scelerum nomina amittere. Cato apud Sal. Qui id nolunt, tandem coguntur audire alios, &c. Vide Isa. 28.

Obiectio.

In summa, Dei filij & Christiani sunt, qui ex fide student iustitiæ: Diaboli verò, incurabiles pergunt. Singula ergo nobis applicemus, & emendemur & Oremus.

HOMILIA. XXVI.

8 *Ad hoc patefactus est Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.*

9 *Quisquis natus est ex Deo peccatum nō cōmittit: quoniā semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est.*

10 *Per hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli.*

EVangelij prædicatio per se quidem iucunda est, & multi sunt, qui vt gratiæ Dei & salutis, quæ per illam offertur, participes se ostendant, fidem profitentur: at qui vitam viuant, ista professione dignam, non passim inueniuntur. Plerique enim illa prædicatione abutuntur ad licentiam: Et in electis sunt, qui interdum securiores à satana & proprijs cupiditatibus se circumueniri sinunt. Hæc causa est, quòd Iohannes tam multis agit de vitæ Christianæ officio, & nuper monuit, ne qui se decipi sinant, vt putent nihil referre quomodo viuamus, &c. Ratio: quia Christianorum iustitia non verbis, sed reipsa constet, non Dei autem, sed diaboli filios esse, qui peccatis sese mancipant,

cipant. Id verò debet eò plus ponderis habere, quòd Christus eodem argumento vtitur. Ioan. 8.

At quia de hac re propter innatam vitiositatem non potest nimiũ dici, etiá hunc locum subtexit.

I. Repetit quod nuper dixit de fine incarnationis Filij Dei. In hoc apparuit vt opera diaboli, &c. Sic argumentatur: Qui Christo nomen dederunt, non debent ijs vacare, quibus dissoluendis ille venit. At hic venit vt opera diaboli dissoluat. Genes. 3. Et hoc iste fatetur. Marci primo, quinto. Ergo, &c.

Inter opera diaboli autem præcipuum est peccatum. Ab hoc ipse cœpit. Iohan. 8. Per hoc seduxit primos parentes, & idem per hos propagauit in posteros. Rõ. 5. Gen. 5. Per hoc regnat in filijs inobedientiæ. Colossen. 3.

Diaboli opus peccatū

E contra vt peccata destrueret & tolleret, Dei Filius in mundum venit. Iohan. 1. Et hoc expiato per mortem, diaboli regnũ destruxit. Ioan. 14. 16. 1. Corinth. 15. Vide Luc. 11. Non debent ergo Christiani peccato viuere.

Destruitur à Deo.

NOTA. q. In ipsum Christum eos peccare, qui hoc faciunt. Erigunt quod ille de-

Peccatores quid faciāt

ſtruxit. Meritum eius quoad ſe exinaniunt, adeoque conculcant, &c. Heb. 6. Membra ſua rurſus faciunt arma iniuſtitiæ. Rom. 6. Contriſtant Spiritum ſanctum cuius templum eſſe debebant. 1. Cor. 6. Eph. 4.

Applicent hæc ſibi ſinguli in omni tentatione. In auaritia. 1. Tim. 6. Matth. 6. Libidine, Intemperantia & Ebrietate. Cogita quid preceris: Veniat regnum tuum. Cur ergo tu diabolo regnum inſtauras?

II. A perſona filiorum Dei argumentum petit: Omnis qui ex Deo natus eſt, non facit peccatum. Ratio: Quia ſemen, &c. Imò non poteſt peccare, &c. Vbi ante omnia obſeruemus illum loqui de ijs, qui peccato ſeruiunt: ne cum Anab. perfectionem fingamus, quæ nulla eſt. Sunt enim in electis adhuc reliquiæ, &c. Roma. 7. Prou. 24. Iac. 3. 1. Ioan. 1. Argumentum eſt eiuſmodi: Quęcunque naſcuntur, ſui ſeminis naturā referunt: Chriſtiani renati ſunt ex Deo. Ergo huius ſemen, quod in ipſis eſt, referunt.

Quomodo non poſſent peccare.

NOTA. ¶. Semen Dei quid ſit? Verbum. 1. Pet. 1. Matt. 13. Quale hoc, Æternum. Iſa. 40. Purum & ſanctum. Pſal. 12. Ignitum, & proinde conſumens. Ier 23. &c. Seminatur prædicatione, Luc. 8. Excipitur fide. Conceptum & viuificatum repurgat intellectum.

Semen Dei quid?

tellectum.(Psal.19.)cor & voluntatem, acti
ones item.Ioan.15.

Itaq; tales non possunt se peccatis man
cipare,&c. Semen enim hoc etsi interdum
videatur emortuum, tamen latet vt carbo
viuus sub cineribus.Vide Dauidem 2.Sam.
11.12.Imitemur,& verbi follem admittamus
ipsi quoque.

III. Concludit: In hoc manifesti sunt,
&c. Sensus: Quia Christus elegit suos à
mundo (Iohan.15.) discrimen esse vult,&
vt olim peccatum, quando filij Dei se mi-
scuerunt filiabus hominum (Genes. 6.)
ita hodie hoc displicet 2. Corinth. sexto.
Atqui nota, qua discernuntur, manifesta
est. Scientes ergo falluntur, qui secus a-
gunt.

¶. Obseruemus autem quam cautè lo- *Cautè loquitur.*
quatur: Dixit: Qui in eo manet,non pec-
cat:Qui facit iustitiam,iustus est. Item qui
natus est Deo non facit peccatum, &c. At
ne operibus videatur tribuere, quod Dei
filios faciant, non ait: Per hoc efficimur,
&c:Sed,In hoc manifesti sunt,&c. Vt enim
filij Dei efficiamur,regeneratione opus est. *Filiorum*
Ioan. 3. Hæc non est nostrorum virium, *Dei nota*
aut operum. Matth. 5.6. Christi opus est, *externa.*
qui agit in cordibus. Ioan.1.2.Corinth.5.

Notæ autem externæ filiorum Dei,sunt opera iustitiæ,&c. Matth. 12. In hoc hodie controuersia est de bonis operibus.

Salus in quo. ¶. Discimus salutẽ in Dei gratia fundatam esse,qui hanc exhibuit in Christo.Ioan. 3. Hic nos Dei filios facit. Nos ista accipimus fide.Ioan.1. Hanc testemur bonis operibus.Iac.2.Matth.7.Oremus.

HOMILIA. XXVII.

10 *Quisquis non exercet iustitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.*

11 *Quoniam hoc est nuntium, quod audistis à principio, vt diligamus alij alios.*

12 *Non sicut Cain, qui ex illo Malo erat, & occidit fratrem suum. Cuius autem rei gratia occidit eum? quia opera eius mala erant, fratris autem eius iusta.*

SIcuti Dei Filius in mundum venit, vt opera diaboli dissoluat, & Dei regnum instauret: Ita Christiani à diaboli operibus sibi cauere debent,ne fidem quam ore profitentur, operibus negent,dum toti ijs vaeant,

cant, quæ ille destruxit. Nec enim sibi solis peccant tales, sed alijs sunt scandalo, & propter ipsos Euangelium malè audit. Ideo Ioannes multis disserit de vitæ Christianæ officio. Et vt peccata homines magis horreant, nuper docuit, hanc notam esse, qua Dei & diaboli filij dignoscantur: quod illi iustitiæ studeant, hi iniustitiam sectentur.

Id in præsenti amplius confirmat.

I. Dixit ex Deo natos non posse peccare, id est, peccato seruire, &c: quia Dei semen in ipsis sit. Ex his nunc infert contrarium: Omnis qui non facit Iustitiam, ex Deo non est. Peccare enim non aliud est, quam non facere iustitiam. At quia multi hanc facere videri volunt, quia neminem lædunt, &c: addit, Et qui non diligit fratrem.

Ex his colliguntur duæ notæ hominis Christiani.

¶. 1. Facere iustitiam. Hæc continet omniũ præceptorũ Dei obseruationẽ. Est enim virtus, quę suum cuique tribuit. Facit ergo iustitiam, qui Deo & hominibus dat quod debet.

Duæ notæ Christiani hominis, iustitia.

Deo debetur, vt vni fidamus. Exod. 20. Genes. 17. Eundem supra omnia diligamus, Deut. 6. Colamus, vt ipse iubet. Isa. 29. Ei-

dem obediendum. Qui ergo non vni fidunt, non præferunt omnibus, qui item cultus nouos instituunt, &c: ij non faciunt iustitiam, & proinde ex Deo non sunt.

Hominibus varia debemus pro ratione vocationis cuiusque. Qui ergo non omnibus prẹstant quod debetur, similiter non sunt ex Deo.

Dilectio fraterna. ¶. 2. Dilectio fraterna. Alibi proximus nominatur, Leuit. 19. Luc. 10. Sed fratrum nomine vtitur, vt magis moueat, & simul doceat dilectionem omnibus deberi. Vnus enim idemque omnium pater. In primis tamen fratres sunt Christiani. Eph. 4. Omnibus ergo debemus dilectioné, quæ nõ est inanis affectus, sed animi totius propensio, quæ beneficentiam parit, & huius studium. Luc. 10.

Alieni à charitate. Arguuntur, qui dilectione gloriantur, quòd neminem lædant, cum nemini quoq; benefaciant. Dilectio legem implet. Rom. 13. At hæc non otiosum affectum, sed opera exigit. Leuit. 26. Christus item Patris exemplũ proponit. Matt. 5. Vide item Matth. 25: Satis enim nocet, qui perire sinit eum, quẽ poterat iuuare.

Quales verò, qui insuper nocent? Damnatur, qui esurientem, nudum, peregrinum,

capti

captiuum negligit. Quid ergo tibi fiet, qui cibum, vestes eripis, domo depellis, carceribus mancipas, violenter, imposturis, vsuris? Occidis denique? Sunt hæc clamantia peccata. Deuter. 24. Vulgaria autem inter Christiani nominis professores. Sed non fert crudelitatem & hypocrisim, qui ipsa est charitas & veritas. 1. Ioan. 4. Ioan. 14.

II. Probat, dilectionem esse notam, ex qua Christiani agnoscantur: Hæc est annunciatio, &c. Alludit ad Matth. 5. 22. Ioan. 13. 15. Et illustrat exemplo contrario, Non sicut Cain, &c. Quasi diceret: Quia alij alios diligere debemus, minime imitemur Cainum, qui ex malo erat, id est, ex diabolo, nō generatione, sed imitatione, vt de Iud. Christus Ioan. 8. Vide Gen. 4.

NOTA. ¶. Non sufficere externam professionē, nisi fides sit viua & agens. In externa nullū discrimē inter Abelū & Cainū. Vnus vtriusq; Deus. Eidē vterq; sacrificauit. Sacrificij materia vtrinq; bona. Idem ritus. Quid ergo habuit præ hoc Abel⁹? Fidē viuā & ex charitate agentē. Heb. 11. Hac seipsum obtulit. (Roman. 12.) & dilexit fratrem, &c. Cain fide destitutus nō nisi sua quærit, Deo irascitur, fremit, & tandem occidit. Oportet ergo corde accedere ad Deum. Isa. 29. *Fides qualis requiratur.*

Id fit sola fide. Hebræ. 11.

III. Amplificat: Et quare occidit? Num tam morosus Abelus? Num contra hunc se defendere oportuit? Minime. Sed quia eius opera mala, huius autem bona erant, &c.

Persequutionum causa. Hîc NOTA. ¶. Cur impij pios persequantur? Quę natura pugnant, non possunt conuenire. At nihil pugnantius quam filij Dei & diaboli. 2. Cor. 6. Accedit odium lucis. Ioan. 3. 15. 14. Est ergo pugna hæc perpetua. Noe & Nephilim. Loth & Sod. Genes, 19. 2. Pet. 2. Ismael & Isaac, Gen. 21. Gal. 4. Ioseph & fratres. Ita prædictum de nobis. Ioan. 15. 2. Tim. 3. &c.

Stulti nostri seculi. Stulti qui putant se Deo seruire, & insuper mundo placere. Iac. 4. Galat. 1. Pacem quidem debemus sectari cum omnibus. Rom. 12. Interim iustitiæ studeamus, & Deū præferamus mundo & huius studijs. Oremus.

HOMILIA. XXVIII.

13 *Ne miremini, fratres mei, si odit vos mundus.*

14 *Nos scimus nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres.*

Iesus

IEsus Christus credentibus mutuam dilectionem passim commendat, & hanc nõ temere notam esse ait, ex qua discipuli sui dinoscantur. Ioan. 13.15. Quia enim fides eiusdem Patris filios, imò eiusdem corporis membra facit, quorũ vnus est spiritus, &c. (1.Cor.12. Ephes.4.) necessariò illud sequitur. Et è contra patet, eos qui à charitate alieni sunt, alio quam Christi spiritu duci, ideoque ab eius etiam corpore alienos esse. Ideo Ioan. de vitæ Christianæ officio disserens, dilectionem multis commendat, vtq; magis moueat, nuper exemplũ contrarium adduxit, Caini, vt ostendat, non Dei sed diaboli filios esse, qui odijs indulgent.

¶. At quando hæc traduntur, varias rationes caro init. Plerosq; enim offendit mundi improbitas, qui pios odit & persequitur, ideoq; sibi licere putant, suos osores negligere. Alij vltra progressi de fide incipiunt dubitare, & consultissimum putant, vt se mundi moribus accommodent. Et hi ferè suam defectionem prætextu charitatis palliant.

Vtrisq; Ioan. occurrit.

I. Ne miremini, &c. Quasi diceret: Scio quid multis obstet. Vellent ipsi charitati studere, sed quia passim inueniunt Cainos, qui ipsos oderunt, nesciunt quò se vertant, &c.

Sed id ne offendat, neq; hoc vt nouum miremini. Vt enim in Abele cœpit persecutio, ita postremis tēporibus cōtinuata est. Neq; vos tot sanctis debetis meliores putare, &c. Quin in Christum respicite, qui de eo admonuit. Ioan. 15. 16.

Est hæc generalis doctrina, quæ illustratur. 1. Pet. 4. Et causam reddit, quod oporteat iudicium à domo Dei incipere.

Cur Deus iudicium à domo sua incipiat.

1. Ne Deus dicatur iniquus esse, qui quæ in alijs punit, in suis probet. Simile parentum indulgentium, &c.

2. Vt suos castiget, ne cum mundo pereant. 1. Cor. 11. Heb. 12. 3. Vt simul ipsorum fides probetur, & ipsi eiusmodi experimentis confirmentur. 1. Pet. 1. Rom. 5.

¶. Facit hoc ad præsentem quoq; causam ne scilicet oderimus eos, qui nobis tantorum bonorum authores sunt. Sed potius rectè vtamur illorum odijs.

In persequutionibus consolatio.

II. Consolationem subijcit. Nos scimus, quòd transiuimus, &c. Sensus. Adeò non debet nos pigere dilectionis, si qui nos oderunt, vel etiam occidunt, vt potius hinc certa salutis spes peti debeat. Nam si occidant, nos à morte transimus in vitam. Ista verò ex Christi ore petit. Vide Ioan. 5. Qui audit verba mea, & credit ei, qui misit me. &c.

&c. At Christi verbum est, vt fidem teste-mur charitatis operibus. Ioã. 13. 15.12. Matt. 5. Ergo si hoc fecerimus, certò transibimus à morte in vitam. Facit ad confirmationem huius dicti, quòd Christus nos secum esse vult. Ioan. 12.14.17.

¶ Est hoc maximum elogiũ dilectionis, quod salutis æternæ certos facit. Est enim infallibilis nota fidei, qua Christus apprehenditur. Gal. 5. Vide Matth. 6.25. *Dilectionis elogiũ.*

¶ Obserua autem quàm quàm irriti sint hostium conatus. Persequuntur nos, & omnibus persuasum volunt, nos esse Deo inuisos. Sed eo ipso testantur, nos non esse ex hoc mundo, &c. Ioan. 15. *Hostium conatus irriti.*

Itaq; hoc argumento nos ipsos consolari possumus, quòd nimirum Christi socij simus. Occidunt, sed ita vitæ æternæ nobis ostium aperiunt, & præsenti hac liberant, quæ carceris instar est. Terram negant, sed remittunt ad sedes cœlestes, quas non possunt præripere. Ioan. 14. Infames volũt reddere, sed pretiosa est mors sanctorum, &c. Psal. 116. 112. Prou. 10. Manet eosdem corona iustitiæ, 2. Tim. 4. 2. &c.

Ista nos consolentur aduersus huius seculi afflictiones. Matth. 10. Luc. 12. Deinde vindictæ cupiditatem restinguãt, ne pigeat *Vsus.*

orare pro ijs, qui nos persequuntur. Matth. quinto. In primis autem accendant charitatis studio, vt hanc testemur in omnibus actionibus nostris erga quosuis, in primis erga pauperes & nostræ opis indigos. Oremus.

HOMILIA XXIX.

14 *Qui non diligit fratrem, manet in morte.*
15 *Quisquis odit fratrem suum, homicida est: & nostis nullum homicidam habere vitam æternam in se manentem.*

QVoniam Deus nos miseros ita diligit, vt non solum bona sua, sed seipsum nobis in Filio suo communicet: optimo iure vicissim requirit, vt ipsi quoque alij alios diligamus, eoque testemur nos esse ipsius filios. At quia caro propter innatam philautiam & vindictæ cupiditatem illi aduersatur, semper inuenit quod obijciat, & quo odia quoque & cædes excuset. Ideo Ioannes tam diligenter de hac re agit.

I. Quia multi exemplo mundi & consuetudine se excusant, Caini exemplo docuit, verum quidem esse quod dicunt, sed

hanc

hanc ſemper fuiſſe filiorum diaboli notam, Ioan.8.

2. Quia multos offendunt odia, ingratitudo mundi, oſtendit pluris fieri debere dignitatem filiorum Dei, & quòd improbi, quando nobis maximè nocent, vitæ æternæ adminiſtri ſunt. Ioannis quinto.2. Timoth.2.

¶ At ſunt qui charitatem laudant, ſed adiaphoram eſſe putant, neq; neceſſariam obſeruatu. His modò reſpondet.

I. Qui non diligit fratrem, &c. Dixerat, eos qui fratres diligunt, ſuæ ſalutis certos tranſire à morte in vitam. Ex eo infert contrarium: Ergo qui non diligit, manet in morte. Itaque neceſſariò colenda dilectio, niſi velimus in morte manere. Graue dictum, quo non vita modò, ſed etiam vitæ ſpes talibus negatur. Simile morbi lætalis. *Dilectio neceſſaria eſt.*

Arguuntur qui eiuſmodi dicta, non præcepta, ſed conſilia modò eſſe aiunt. Atqui Deus totum hominem ſibi vendicat quoad fidem & obedientiam. At neq; hanc neq; illam ei præſtabimus ſine dilectione. Gal.5. Rom.13. Eſt ergo miſerrima noſtri ſeculi conditio, quando planè fit quod Chriſtus prædixit, Matth.24. Apparet hoc in princi-

pibus Ecclesiasticis. In vulgo & omnium a-ctionibus. Interea nobis ipsis blandimur, sed non fallet hoc dictum Apostoli.

Sylogismo probatur. II. Confirmat enim euidenti syllogismo. Nullus homicida habet vitam æternam. Omnis qui odit fratrem est homicida: Ergo &c. Vbi obseruandum pro eodem sumi, Non diligere, & Odisse. Satis enim odit, qui non diligit, nec iuuat quando potest, & o-pus est.

Sed oportet singulas propositiones ex-cutere.

¶ I. Homicida non habet vitam, &c. Sunt autem homicidia diuersi generis. Occidit magistratus, sed ex Dei iussu. Leuit. 20. &c. Prou. 17. Sunt qui coguntur vim vi repel-lere. Notweer, &c. Item qui per impruden-tiam. Num. 35. Deut. 19. In præsenti de ijs sermo est, qui ex odio, ira, aut alia causa ma-la occidunt. Hos à vita æterna excludit A-postolus. Id probat consensus totius scrip-turæ. Psa. 5. Virũ sanguinis auersatur Deus. Isa. 1. negat se preces exauditurum. Paulus inter opera carnis & quæ à regno Dei ex-cludũt, numerat homicidas. Gal. 5. 1. Cor. 6. Ita Apoc. 22. Imò ne hac quidem vita digni sunt homicidæ. Gen. 9. Leuit. 24. Num. 35. Matth. 26. Ps. 55. Hinc expiationes. Deut. 21.

Homicidæ nõ saluari.

Agno-

Agnouerunt hoc ex parte Ethnici, qui & ipsi lustrationes,&c. ¶ Quid ergo sentiendũ de Caribus? Habent hi excusationes, 1. Causam reijciunt in reges belli authores. 2. Vtile & necessarium esse dicunt tales habere, Psal. 33. Hab. 2. Egestatem prætexunt,&c. Sed iugulat omnes hoc dicto Ioannes, & oportet probent illa quæ in bellis fiunt esse opera charitatis. Quibus adde Deu. 27.

Sed obserua ¶ Homicidas esse, nõ modò, qui gladio occidũt, sed qui quacũq; ratione vitam lædunt. Vt qui sub iuris prætextu, vt Iez. & Achab. 1. Reg. 21, Falsi testes. Deut. 19. Prouerb. 6. 19. 21. Calumnijs, Ps. 120. 58. Qui item mercedem negando fame occidunt. Deut. 24. Iac. 5. Vsuris, Deu. 23. Amoz. 5. & 8. Ezech. 22. *Qui sint homicidæ.*

¶ II. Qui odit fratrem est homicida. Petitur hoc ex Christi ore Matth. 5. Odium enim est plusquàm ira. Et res ipsa hoc dicit. Deus animum requirit. Deut. 6. Isa. 29. At hunc alienant qui oderunt. Deinde qui odit, perditum vult. At voluntas destinata peccatum est: quia quod non sortitur effectum, aliunde accidit. Vides ergo quàm pauci sint, qui coram Dei iudicio posśint consistere. *Osorem esse homicidam.*

¶ Interim obserua infœlicem odio labo- *Infælix conditio.*

rantium conditionem. In morte manent, neque habent vitam in se. Superat omnia mala. Simile facinorosi expectantis carnificem. Ijdem cor proprium exedunt, seque ipsos omni gaudio priuant. Cain, Gen. 4. Imò proprijs precibus sese damnant. Mat. 6. 18. Horum meminerint, qui in vindicta laudem quærunt. Nos ergo explosis his pessimis affectibus, dilectioni studeamus, & Deum indesinenter Oremus.

HOMILIA. XXX.

16 *Per hoc cognouimus charitatem, quod ille animam suã pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere.*

17 *Qui verò habuerit mundanas facultates, et viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua corã eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

ETsi in tota hominis vita nihil iucundius sit charitate, ea tamen est nostri ingenij vitiositas, vt pleriq; ex priuati commodi studio illam negligant, & qui optimi sunt, tunc se plus satis fecisse putant, si sic actiones suas instituant, vt dicere possint:

Nemi-

Neminem odimus aut perditum volumus, nemini facimus iniuriam, non turbamus concordes, nullius bonis inhiamus, linguam & manus continemus, &c. Quis ergo de nobis queratur? Sed isti alteram modò charitatis partem considerant, quæ monet ne quem lædamus, omissa ea, quæ prodesse iubet. Imò quando ad hanc venitur, nimium putant quicquid petitur.

Itaq; Ioannes in præsenti limites charitatis describit.

I. In hoc cognouimus charitatem, &c. Christi exemplum proponit, ne quis obijciat, abs se peti, quod nemo vnquã fecerit. Illum ergo producit, quem necessariò imitari debent, qui Christiani dici volunt. Mat. 11. Ioan. 13. Argumentum: Dilectionis modus esse debet, quem Christus tradidit: Ille nos dilexit, vt animam pro nobis daret: Ergo, &c. Petitur hoc ex Ioã. 15. Loquitur pro consuetudine hominũ inter quos inueniuntur, qui pro amicis mori volunt. Pyl. & Orest. Christus autem pro inimicis, &c. Rõ. 5.

NOTA. ¶ 1. Totum hominem requiri, nec sufficere, si nemini noceas, nisi insuper prosis. Nec modò opes, verba, &c. pro fratribus impendere oportet, sed vitam quoque. Ita Christus pro nobis homo factus, nobis vixit, &c. Imitati sunt, qui eius spiritu

Charitas totum hominem requirit.

ducti fuerunt. Moses, Exod.32. Dauid, 2. Samuel.24. Paulus Rom.10.9. Item Phil.1. Tales ergo & nos simus.

Nō morien dum esse pro maleficis, &c.

¶ 2. Non tamen hoc ita accipi debere, vt pro quouis malefico mortem subeamus. Nec enim nostræ mortis idem est meritum quod Christi. Isa. 53.42.63. Deinde non aboleuit leges ciuiles de puniendis sontibus. Matth.5. Rom.13. Vide latronis exemplum Luc.23. Non autem vult Deus alium pro alio puniri. Deu.24. Ita ergo locus hic intelligi debet, vt quatenus vocatio nostra permittit, de vita potius periclitemur, quàm vt fratrem perire sinamus, si ipsum possimus iuuare & defendere.

II. Applicat hoc immitibus, vt doceat, quàm alieni sint à charitate, qui cùm facultatibus abundent, fratres negligunt. Qui verò habuerit, &c. Ab ingenio charitatis argumentum ducit, quod est, visceribus totis commoueri, Luc.10. Inde colligit, eum qui cùm possit iuuare, nec iuuat, à charitate Dei esse alienum.

¶ Sensus: Gloriamini quidem plerique charitate fraterna. Sed ego vos appello, quibus sunt opes & iuuandi facultas, nec tamen iuuatis. Videtis esurientes, nec cibum datis: sitientes, nudos, extorres, ægros, &c.

Vnde

Vnde hoc? Nimirum quòd viſcera habetis indurata. &c. Deſinite ergo Deo illudere, qui non ducitur externis, ſed animum reſpicit, Iſa. 29. Ier. 17.

¶ Interim obſerua vſum diuitiarum. A charitate alienus dicitur, qui illas habens fratris egeni non miſeretur. Ergo & noſtris & aliorum neceſsitatibus ſeruire debent. Sunt enim donum Dei, Leuit. 26. Pſal. 127. At nemo tam multis opus habet. 1. Tim. 6. Inæqualiter tamẽ Deus diſtribuit, nõ quòd aliquorum egeſtate gaudeat, ſed vt ſit occaſio & materia benefaciendi. 2. Cor. 8. Si omnes abundarent, non eſſet locus charitati, &c. Cogitent ergo diuites, ſe diſpenſatores eſſe. Luc. 16. 1. Tim. 6. Alioqui opes repoſitę ſunt teſtimonium neglectæ charitatis. Iac. 5. Quid ergo fiet raptoribus iniquis & violentis? Iſa. 3. Mich. 6. Hab. 2. Quid luxu diffluentibus? Luc. 16. Benefaciant ergo omnibus, ſed ex corde & charitate non fucata. Sine hac non probatur Deo eleemoſyna. 1. Cor. 13. Matth. 6.

Diuitiarũ vſus.

¶ Interim diſcant pauperes, non minus ab ipſis peccari in charitatis leges, ſi alijs inuideant, item ſi relicto labore alios grauent abſq; neceſſaria cauſa, & dignioribus præripiant, Vide Epheſ. 4. 2. Theſſal. 3. Iſti enim

Pauperes quoq; monentur.

ſiniſtra manu accipiunt eleemoſynam. Hodie vtrinq; peccatur. Sunt Ananiæ. Acto.5. Sunt ἄτακτοι & quæruli, vt Act.6. Hinc cõfuſio & ἀταξία, quam vt Deus emendet, Oremus.

HOMILIA XXXI.

18 *Filioli mei, ne diligamus verbo neque lingua*(ſolum)*ſed opere & veritate.*
19 *Et per hoc cognoſcimus nos ex veritate eſſe, et coram ipſo ſecura reddemus corda noſtra.*

VT hominis vita malorum & laborum plena eſt, ſic poſt fidem in Deum nihil iucundius, vtilius & magis neceſſarium eſt mutua dilectione. Hæc enim pacem & concordiam fouet, vitam nobis iucundam facit, & aduerſa omnia vincit. At hic ſe prodit noſtri ingenij peruerſitas, qua fit, vt vel priuati commodi ſtudio, vel vindictæ cupiditate illam negligamus, & varios quæramus prætextus, ſi quando egentibus ſuccurrere debemus. Ideo Ioannes de charitate non obiter modò, ſed ita diſſerit, vt nobis perſuadeat, huius ſtudium ad præſentem vitam & futuram eſſe neceſſarium.

Et huc

Et huc etiam præsens locus facit, quo charitatis ingenium describit, & qui fructus ex illa nascantur docet.

I. Filioli mei, ne diligamus sermone, &c. Filiolos iterum dicit, vt de suo amore testetur. Opponit autem hoc dictum ijs, qui de charitate disserunt magnificè, quosuis amicè compellant, pollicentur, nihil autem præstant. Tales multi omnibus seculis fuerunt, & hodie passim inueniuntur. Itaq; sic vult dicere: Cùm charitatem exigo, non blanda verba & promissiones magnificas peto. Nã etsi hoc aliquid sit, non tamen in illis charitas consistit. A verbis enim ad opera procedit, & quod pollicetur, præstat. Eò igitur vos anniti velim.

Disce in quibus charitas consistat? ¶.I. Non in verbis, sed operibus. In corde enim sedet, & nuper ei commiserationis viscera tribuit, vt & Christus Luc.16. Hinc ergo iuuandi voluntas nascitur, quæ non cessat, cũ facultas datur.

Charitas in quibus consistat, & quibus non.

Arguuntur, qui cum ope proximus indiget, consilium dant, vel remittunt ad alios, aut spe lactant, vel etiam corripiunt et arguunt sub charitatis prætextu, &c. Prosunt quidem consilia & correptiones, sed in loco, & consolationes plurimum sępe iuuant.

Eccl.7.1.Theſſ.4.Sed ſi facultas datur, vltra progrediendum,Iac.2.

¶ 2. In veritate.Hæc ad cor refertur , & affectum prauũ excludit ab operibus. Sunt enim qui beneficium quoq; conferunt,non autem animo ſyncero , ſed ſiniſtra manu. Matth.6.Alij ſuæ famæ metuunt,& gloriam venantur. Sic olim Phariſæi, Matth. 6. Et hodie quidam.Alij retributionem ſpectant, non ab hominibus modò(Luc.14.)verum etiam à Deo.Luc.18. Hi omnes non in veritate diligunt, & proinde Deo non placent, qui ipſiſsima eſt veritas. 1. Cor.13. Vide 1. Tim. 1. Quòd ſi hæc transferas ad noſtra tempora,videbis quantum nobis deſit. Pleriq; ſua quærunt. Sunt tempora, de quibus Matth.24.Luc.18.

Charitatis fructus.

II. Cæterum vt magis nos excitet Ioannes,fructus dilectionis enumerat.

Certitudo ſalutis.

¶ Primus eſt certitudo ſalutis : Per hoc cognoſcimus quòd ex veritate , id eſt, ex Deo ſumus, qui ipſiſsima eſt veritas.Eſt ergo charitatis indicium,quòdDei filij ſimus, & proinde bonorum eius hæredes.Rom.8. Argumentum:Qui Dei ingenium referunt, ij ſunt filij Dei. (Hic enim non gignit degeneres.) Qui operibus & in veritate diligũt fratres, ij Dei ingenium referunt.Ergo,&c.

Et

Et faciunt ad eius confirmationem quæcunq; in Scripturis de Deo extant. Hic (1. Ioan.4.) opem non modò promittit, sed etiam præstat. Pſ.50.145.107. Matth. 6. Idem ex misericordia benefacit, non suijpsius causa. Et ne Filio quidem pepercit. Ioā.3. Sunt ergo reuera eius filij, quicunq; idē faciunt.

Est hæc præcipua hominis consolatio in aduersis. Rom.8. Quales ergo qui dilectionem professi oderunt clam, sua quærunt? Diaboli filij. Ita hic fecit, Gen.3. Ita Iudas, Matth.26. Odit autem tales Deus. Pſ.5. Prouerb.6. Discant ergo omnes ingenuè & fideliter agere.

¶ Secundus, Coram ipso persuadebimus cordibus nostris. Est hoc prioris cōsequens & conscientiæ pacem significat, quæ nascitur ex fidei & salutis certitudine, & nos in tentationibus confirmat. Solent enim sæpe pij etiam fluctuare, Psal.13.22. Tunc verus quidem consolator est Spiritus sanctus, Ioan.14. Rom.8. At hic tunc ista suggerit, quæ ex charitate fecimus. Hæc enim per se est nota filiorum Dei. Ioan.13.15. Matt.25. Deinde solatur nos mens benè conscia. Vide Dauidem. Pſ.7.11.25.

Pax conscientiæ.

CVM è contra miserrimi sint, qui charitatis leges violarunt. Infestantur à propria

conſcientia. Occurſat illis dictum Chriſti, Matth.7. Iac.2. Item viduæ, orphani, peregrini, pauperes, &c. Quid verò moleſtius eſt, quàm tam familiarem habere accuſatorem? Vide Pſ.6.38.39.51. Sed quàm durum hoc ſit, in ſequentibus dicetur. Oremus.

HOMILIA XXXII.

20 *Nam ſi nos condemnet cor noſtrum, potentior eſt Deus corde noſtro, et nouit omnia.*

21 *Chariſsimi, ſi cor noſtrum nos non condemnet, fiduciā habemus apud Deū.*

22 *Et quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniā præcepta eius cuſtodimus, & ea quæ ipſi placent facimus.*

DOcuit nuper Ioannes, in quo nam charitas fraterna conſiſtat: Nimirum in eo, ne verbis nudis, ſed opere illam teſtemur. Deinde vt quod facimus, in veritate fiat, neue ſiniſter affectus cōcurrat. Matt.6.

At quia propter philautiam innatam ferè cunctamur, ſubijcit fructus tres, quorum ſpe excitemur.

1. Quòd ſalutis certos reddat, vtpote nota filiorum Dei, ad quos hæreditas regni pertineat, Ioan.13. Rom.8. 2. Quòd

2. Quòd conſcientias tranquillas reddat in tentationibus, quod ad regnum Dei in primis eſt neceſſarium. Rom.14.

Vt verò intelligamus, quã ingens ſit hoc bonum, id in præſenti docet comparatione, qua inter ſe confert hominẽ in ſua conſcientia æſtuantem, & alium bene ſibi conſcium.

I. Si condemnet nos cor, &c. Id eſt, ſi ita viuamus, vt nobis malè conſcij, à proprio corde accuſemur & damnemur, quid fiet, ſi Deus ipſe ſuum iudicium exerat? Corda enim noſtra cæca ſunt, & his natura nobis blandimur. Pſalm.19. Deus autem omnia videt, &c. Pſal.7. Ier.11.17. &c. Deinde cor non habet poteſtatem aliquam vel in nos, vel in alios. Deus verò iudex totius terræ vno verbo poteſt ad inferos detrudere, &c. Quomodo aũt huius iudicium effugiemus, qui cor propriũ nõ poſſum⁹ effugere?

NOTA. ¶ 1. Quanta ſit peccati atrocitas, & quàm fallantur, qui ſibijpſis blandiendo ſenſum iudicij Dei, & conſcientiam propriam eludere ſtudent? Fuerunt tales omnibus ſeculis (Iſa.28.) & in primis fore nouiſſimis temporibus prædictum, 1. Theſſal.5. 2. Pet.3. Et hi ſunt, qui dicunt quæ habentur, Pſal.14.53.94. Sed quid ibidem illis reſpondetur? Et ſanè inuitis obrepit conſcientia, *Peccati atrocitas et vt ſe fallant qui conſcientiam ſopiunt.*

quouis carnifice crudelior,& quæ mille te-
stium loco est. Vide Cain, Gen.4, Iudam,
Matt.27.In primis patiuntur hoc, qui con-
tra charitatem multa designauerunt.

Pij quoq; accusantur à corde suo.

¶2. Non debere tamen hoc in genere ac-
cipi quasi à Deo damnentur, quicunq; ac-
cusantur à proprio corde.Accidit enim hoc
pijs quoq; vt vides Psal.6.38.51.&c.Et vt sic
fiat necesse est,vt seriò cõuertamur ad Deũ.
Tunc qui nos vulnerauit,sanat, &c. 1.Sam.
2.2.Cor.7.Itaq; hic locus ad duros & immi-
tes pertinet,&c.

Quos non condemnet cor suum.

II. Opponit eum qui secundum cha-
ritatis legem res suas instituit, & sibijpsi be-
nè est conscius: Si cor nostrum non conde-
mnet,&c.Id verò non debet accipi,quasi vn-
quam eò posimus peruenire. Psalm. 143,
130.&c.Sed de ijs agit, qui etsi ex infirmita-
te peccent, tamen non deuouerunt se ad
scelera, & cupiunt cum hominibus & Deo
reconciliari, tunc fiduciam habemus erga
Deum. Ad hos pertinent promisiones ge-
nerales.Ezech.18.Zach.1.Matt.9.11. &c.In-
primis speciales de charitate.Matt.26.25.

¶ Est ergo pietate nihil quæstuosius,
&c.1.Tim.4.

His subijcit tertium fructum charitatis,
Et quicquid petierimus, &c. Ergo preces
ratas

ratas facit charitas. Et nititur hoc verbis Christi, Matth. 6. Ideo in præsenti addit: Quia præcepta eius custodimus,&c.

In his ergo NOTA.

¶. 1. Qui nam Deo probentur, vt precantes audiantur? Qui eius præcepta custodiunt. Ergo non de ijs hoc debet accipi, qui ex suo aut aliorum arbitrio omnia agunt. Vide Num. 15. Isa. 29. Matth. 15. Exemplum Saulis, 1. Sam. 13. 15. Simile serui & heri. *Preces quorum audiantur.*

¶. 2. Quæ sunt præcepta Dei? Exponet postea. Nunc quoad preces, iubet, vt se solum inuocemus. Psalm. 50. Matth. 6. Isa. 45. Ierem. 2. &c. Deinde vt prius reconciliemur fratribus. Matth. 5. Alioqui manus expandimus plenas sanguine. Isa. 1. Matth. 6. *Præcepta Dei quoad preces.*

¶. 3. Cur hodie preces nostræ non semper exaudiantur? Multi non vnum Deum inuocant, sed Diuos: Vel etsi inuocent Deũ non tamen id faciunt per vnum Christum, vt ille iussit. Ioan. 16. Deinde plerique philauti sunt, inuidi, odio ardent. Vel saltem negligunt clamores aliorum. Prou. 21. Petunt denique in malum finem. Iac. 4. *Cur hodie pauci exaudiantur.*

Ista emendare cura sit, & vt hoc nobis Deus det, sedulò Oremus.

HOMILIA. XXXIII.

23 *Hæc est igitur eius doctrina, vt credamus nomini filij eius Iesu Christi, & diligamus alij alios sicut mandauit nobis.*

24 *Nam qui seruat eius mandata, in eo habitat, & ipse in eo: & per hoc nouimus eum habitare in nobis,* (nempe) *ex spiritu quem nobis dedit.*

MVltis argumentis hucusque Ioannes ad fraternæ charitatis studium hortatus est: inter quæ postremum fuit, eos qui hoc sectantur, Dei præcepta seruare, & proinde impetrare à Deo, quæ petant. Conuenit hoc cum promissione. Psal. 34.

Quia verò in præceptorum eius mentionem incidit, nunc horum summam & generalem doctrinam tradit, quid facto opus sit, si Deo probari & seruari velimus.

Legis & Euangelij summa Cap. I.

I. Summam legis & Euangelij duabus Cap. comprehendit. Vnius autem præcepti meminit, quia duo ista non separantur. Galat. 5.

¶. I. Ad fidem & religionem pertinet: Vt credamus nomini filij eius: Petititur ex Christi ore, Ioan. 6. Estque ipsissimũ salutis præ-

præceptum. Ioan. 14.

Obſeruemus autem, quòd non ſimpliciter Filij Dei ſed nominis eius meminit. Ita enim nos ad verbi prædicationem remitit, ne Chriſtum fingamus ex nobis, ſed talem credamus, qualis prędicatur. Ioã. 17. IESVS ſeruatorem ſignificat, Matt, 1. CHRISTVS officij nomen, Sacerdotem & Regem notat. Vtrũq; eſt Filius Dei. Pſal. 110 2. Sacerdotis fuit olim Docere. Mal. 2. Sacrificare. Intercedere. Benedicere. Num. 6. Regis eſt, Vindicare, Leges ferre, Tueri, Iudicare, Munificũ eſſe. Pſal. 72. HÆC omnia Chriſtus præſtat. Docet. Matth. 17. Luc, 5. Sacrificat. Ioan. 1. Apoc. 13. Intercedit 1. Ioan. 2. Benedicit, Gẽ. 22. Similiter aſſeruit ex diaboli poteſtate, tuetur, dictat, &c. Matt. 12, 1. Ioan. 10, Eph. 1. Talẽ qui agnoſcunt, ij credunt eius nomini.

Nomẽ Ieſu Chriſti. Cap. 1.

Religio vera.

Vbi tamen obſeruandũ debere ſolũ pro tali agnoſci. In eo errant multi. Sed teneamus illud, Actor. 4.

¶. II. Vt alij alios diligamus. Ad vitam hoc pertinet, & obedientiam omnem complectitur.

Cap. 2. Dilectio.

Obſeruemus autem modum dilectionis. Sicut ille præcepit: Nimirum ad eius exemplum. Ioan. 15. Excluditur ſimulatio & priuati commodi ſtudium, & ne quid nege-

gemus proximo. Hæc omnia Christus præstitit. Et idem facient, quicunque ex fide diligunt.

II. Fructum indicat; Qui seruat præcepta eius in illo manet, &c. Communionem cum Deo pollicetur, quæ omnis boni causa est. Gen. 17. Et hanc quoque promissionem ex Christi ore profert. Ioan. 14.

Fælicitatis consequendæ ratio.

¶. Ratio igitur consequendæ felicitatis tota ex præceptorum Dei obseruantia pendet. In hoc consentit omnis scriptura. Fœdus, Gen. 17. Lex Leuit. 28. Deut. 28. Prophetæ. Isa. 1. Euangeliũ, Matth. 17. Apostoli, Actor. 2.

Vt nostro seculo vtrumq; negligatur.

¶. Obseruemus hoc, qui mirantur nostri seculi calamitates. Atqui fidei præceptum ab ijs etiam negligitur, qui Christum profitentur. Alij enim gloriam huius transferunt in creaturas vel seipsos. Alij fidem in ipsum hostiliter persequuntur. Nos solum quidem fatemur Regem & Sacerdotem, sed non obedimus, non amamus, non pugnamus pro eius gloria quin mundum sequimur, vt nobis dici posit quod habetur Malach. 1. Dilectio non modo negligitur, sed palàm violatur. Regnant Inuidia, Odium, Fraudes, Vsuræ, &c. Sunt deniq; tempora, de quibus Luc. 18 Matth. 24. 2. Tim. 3. Hæc

corri-

corriguntor,& Deus nobis placabitur.

III. Quærat quis: Magnifica sanè promissio. Quis autem me certum faciet? Necessaria quæstio: quia hominum testimonijs nihil proficitur, nisi mens ipsa persuasa sit. Ideo ait: Per hoc scimns,&c. Quasi diceret: Non opus est quærere testes, quia in te habebis locupletissimum Spiritum sanctũ, scilicet, quẽ credentibus promisit. Ioan. 14. 16. Is adoptionis spiritus & arra salutis est. Rom. 8. Gal. 4. Eph. 5. 2. Cor. 1. 5. Hic solus contra omnes tentationes sufficit. Vide Apostolos, (Matth. 16. Actor. 4. 5.) & Martyres. *Quis certos nos faciat.*

¶. Fidei nostræ dignitas magna. Promissiones habet amplissimas. 1. Tim. 4. Fundatur in Christo, Matth. 16. Eph. 2. Hanc tenuerunt omnes electi ab origine rerum. Ioan. 8. 1. Pet. 1. Apoc. 13. Obsignatur à Spiritu sancto. Quid ergo Reges, Concilia respicimus? *Fidei nostræ dignitas.*

¶. Officium potius faciamus. Credamus Spiritui sancto constantes simus. Mar. 8. Viuamus autẽ vni Christo, qui pro nobis mortuus est. 2. Cor. 5.

Oremus.

CAPVT. IIII.

HOMILIA. XXXIIII.

1 *Dilecti, ne cuiuis spiritui credite, sed probate spiritus, an ex Deo sint: nam multi pseudoprophetæ venerunt in mundum.*

2 *Ex hoc cognoscite Dei spiritum: Quicunque spiritus confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.*

3 *At quicunque spiritus non confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est: Sed hic est ille* (spiritus) *antichristi, de quo audistis eum venturum fuisse, & iam nunc in mundo esse.*

IOannes nuper totam salutis doctrinam duobus articulis comprehendit, Fide scilicet in Iesum Christũ & Dilectionẽ. Et vt istorum studio accenderet, promisit, eos qui his student, communionẽ cum Deo habere, cuius testis sit Spiritus sanctus qui eos de salute certos reddat, &c. Quia autem doctrinæ huic semper insidiatur satan. (Matt. 13.) & per eos quoq; errores & sectas inuehit, qui Christi nomine & spiritu gloriãtur, in

in præsenti monstrat, vt isti caueri posint.

¶. Obseruemus autem curam Spiritus sancti, qui pasim admonet, ne fides nostra per impostores euertatur. In lege, Deut.13. Prophetis. Is.8. Ier.23.&c. Christus ipse Mat. 7.15.23.24. Apostoli, qui de venturis quoq; præmonuerũt. 2.Tim.4.3.1.Tim.4.2.Pet.2. &c. Ne ergo indignè feras, si idẽ hodie fiat.

Impostores vt fugiamus sæpe monemur.

I. Summam proponit: Ne credatis omni spiritui, &c. Ita vocat doctrinam, quæ spiritus nomine fucatur. Sic enim semper soliciti sunt impostores. 1.Reg.22. Ier.23. Hodie in concilijs spiritum iactant. Anabapt. Vult ergo cautos esse: Et causam subijcit: Quia multi pseudoprophetæ exierunt. Sic 1.Ioan.2.

Vbi NOTA. ¶.1. Falli eos, qui simpliciter credendum esse dicunt, quod vel receptum sit olim, vel hodie traditur ab ijs, qui in Ecclesia pręsident. Iactant multis patrum pietatem, ecclesię authoritatẽ. Sed ita eripiunt Ecclesiæ suam libertatem, quam Christus dedit. Matt.7. Ioan.10. Apostoli item 1. Cor. 14.1. Thess.5. Paulus seipsum & Angelos subijcit examini. Gal.1. Idẽ. Petro restitit. Ga.2.

Non simpliciter credẽdum ecclesiastis.

¶. 2. Quid verò spectari debet? In eo plurimum erratur, dum plerique homines respiciunt, multitudinem & vetustatem. Sed homines falli possunt. Vide Exod. 32.

Quid spectandum.

2.Sam.7.Item.1.Reg.18.22.Error autem nullus vetustate excusatur. Iubet ergo probare, num ex Deo sint? Id verò non alibi cernitur, quam in verbo Dei reuelato in script. 2. Tim. 3. Frustra ergo nobis obijciuntur Traditiones, Concilia, Patres. Nos opponimus. Isa. 29. Matth. 15. Et quærimus, an ex Deo sit, &c?

II. Dicat quis: Audio quid Apostolus velit, & nihil perinde cupio, quam facultatem hanc mihi dari. Quid verò faciam ego rudis, illiteratus, cùm tales & tanti inter se pugnent? Respondet, & Canonem tradit, &c.

Christum in carne venisse fateri quid.

At hic NOTA. ¶. Quid sit fateri, Christum in carne venisse? Comprehendit totum Christi negotium, & sic loquitur Ioannes propter hæreses, quæ tunc gliscebant. 1. Venisse eum ait, vt ostendat prius illum fuisse: Nimirum in principio, imò ab æterno. Ioan. 1. Ita Christus ipse argumentatur. Ioan. 8.

2. Carnis nomine verum hominem factum innuit. Ioá. 1. Qui ergo docent, Iesum esse in vna eademque persona Deum & Hominem, ij ex Deo sunt. 1. Cor. 12. At non possunt hæc doceri, quin simul causa incarnationis tradatur: quæ est, vt nos qui periera-

mus

nus seruaret, & diaboli filios faceret. Matt. 18. Ioan. 1. 3. Et sic tota salus huic vni adscribitur. Actor. 4.

¶. Ergo ex Deo non sunt, qui hodie Christi Deitatem negant: Vel eius humanitatem in dubium vocant. Qui item huic aliquid coniungunt, quo nos seruari dicunt, &c. Ita enim gratiam Dei irritam faciunt, & Christum ipsum sibi reddunt inutilem. Gal. 2. 5. Deniq; sensu communi conuincuntur, vt aliàs est dictum. *Qui non ex Deo non sint.*

III. At sunt, qui errores non valde abominantur, & controuersias de religione omnes habēt pro indifferētibus. Docet ergo quales æstimari debeant, qui de Christo secus docent.

HIC est Spiritus Antichristi, de quo audistis, &c. Antichristi vox Christi aduersarium siue æmulum significat: & potest in genere accipi de omnibus, qui aliquid contra illum docent & sentiunt. Attamen de magno quodam ἀντιχειμένῳ olim prædictum fuit. Dan. 7. 11. Et Christus ipse de quibusdam monuit. Matth. 24. Et fuerunt tunc notæ omnibus prophecíæ illæ vt hic apparet, & 2. Thess. 2. Iam tunc verò hunc adfuisse ait: Nimirum quod satan mysteriū iniquitatis iam ageret. 2. Thess. 2. Erant enim hæreses illæ prældia. *De Antichristo.*

¶. Obseruemus autem Antichristianum esse, quicquid de Christo aliter traditur, quam Apostoli tradiderunt. Vide Ioan.17. Matth.13. Horum ergo doctrinę insistamus, & vt nobis hanc Deus seruet Oremus.

HOMILIA. XXXV.

4 *Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eos: quoniam potentior est qui est in vobis, quam qui in mundo est.*

5 *Ipsi è mundo sunt, ideo mundana loquuntur, & mundus eos audit.*

6 *Nos ex Deo sumus: qui nouit Deum audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos, ex hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.*

QVoniam Christus & Apostoli nouissima tempora periculosissima fore vaticinantur, non solùm propter famem, pestem, bella, &c. Verumetiam propter falsos doctores, adeoq; propter Antichristum, qui multos seducturus sit, &c. Matt. 24. 2. Tim. 4. 3. 1. Tim. 4. 2. Pe. 2. 2. The. 2. nō vtile modò, sed necesse quoq; est, habere spiritū discretionis, quo doctrinas probare, falsas fugere, veram sequi possimus. De hoc cœpit nuper

agere

agere Ioannnes & iussit in primis specta-re, an doctrina ex Deo sit, & Canonnem dedit.

¶. At obijciuntur scandala quædam, quæ in præsenti remouet.

I. Timent sibi multi, quando audiunt prophetias de Antichristo & eius satellitibus. At nunquam strenuè pugnat, qui non bene sperat de victoria. Ideo spem huius facit tribus rationibus.

1. Vos ex Deo estis, renati scilicet, &c. 1. Pet. 1. Gal. 3. Nunquam ergo Pater ille vos deseret. Isa. 49. Psalm. 103.

2. Vicistis illos iam ante. Primum in Christo. Gen. 3. Deinde quando relictis superstitionibus credidistis Christo. Quod ergo tunc potuistis nunc quoque poteritis.

3. Maior qui in vobis, quam qui in mundo. In his est princeps mundi, & carnis præsidijs nituntur. Vobis autem adest Christus, Ioan. 14. Matt. 28. Psal. 72. 2. Ioan. 10. In hoc igitur poteritis omnia. Phil. 4. Rom. 8.

NOTA. ¶: 1. Consolationem, qua nos in quouis certamine sustentemus. Adoritur satan per Sophistas & examina. Tunc fiet quod promissum. Matth. 10. Luc. 21. Sunt exempla. Excitat tyrannos. Sed contra hos quoq; confirmat Christus. Ioan. 16. *In tentatione consolatio.*

Vide Apoſtolos, Acto.3.4.5. Martyres. Intra conſcientiam tentat. Sed tunc quoq; non ſinit Deus ſupra vires tẽtari. 1.Co.10.2.Co.1.

Viribus noſtris nil tribuendum. ¶. 2. Victoriam omnem promittit ex Deo. Nihil ergo tribuamus noſtris viribus. 2.Cor.3. Imitemur Dauidẽ, 1.Sá.17. Pſ.20. Interim meminerimus noſtræ infirmitatis. (2. Corin.4.) vt gloria omnis tribuatur Deo.

II. Sunt qui doctrinam æſtimant ex numero ſectatorum & ſucceſſu, & impoſsibile putant tot & tales tam diu erraſſe: E contra veritatẽ eſſe penes tá paucos, obſcuros, &c. Docet igitur aliud ſpectari debere & repetit quod de Canone probationis dixerat: Sic vt hunc falſis & veris doctoribus applicet.

¶. 1. Illi è mundo ſunt, id eſt, mundo dediti, & ideo ex mundo loquuntur, id eſt, mundi ſapientiam ſpirant, & huic placere cupiunt. Ideo etiam mundus eos audit. Ioan.15. Inde apparet, applauſum mundi, non veræ, ſed falſæ doctrinæ eſſe argumentum. Gal.1.

Mundus vult decipi ¶. Eſt enim hoc ingenium mundi, quod decipi vult, & mendacia veritati præfert. Sic factum in Ægypto. Exo.7.8. Sub Achabo. 1.Reg.18.22. Item Mich.2. Tempore Chriſti, Ioan.5. Apoſtolorum. 2.Cor.11.&c. Idem futurum nouiſsimis temporibus prædictũ. 2.Tim.4. Impletur hodie palàm. In papatu

innu-

Innumeri ſaginantur maximis impenſis. Interim nimium putatur, quicquid impenditur in verbi miniſtros. Vide 2. Theſſ. 2.

¶. II. Nos ex Deo ſumus. Non arroganter de ſe ſolo, ſed in communi perſona omnium Apoſtolorum loquitur. Idq́; quòd de vocatione ſua & de doctrina certi eſſent. Erant à Chriſto vocati. Matth. 4. 9. Ioan. 15. Act. 1. Mar 16. Doctrinam ex Chriſto didicerant, & habebant ſigillum Spiritus ſancti. Ioan. 14. Actor. 2. Ex eo colligit. Qui nouit Deum, audit nos, &c. Id verò Chriſtus dixit. Ioan. 10. 8. E contra. Ioan. 14. Audiendi verbo autem fidem & obedientiam fidei denotat, ſecundum illa Ioan. 5. Rom. 10. Ita docens Electorũ notam eſſe obedientiã fidei. Rõ. 1. 16. Obſeruandum neceſſarium, ne in otioſa profeſsione acquieſcamus. Luc, 11. Matt. 7. *Apoſtoli ex Deo ſunt, ideoq́; audiendi.*

III. Concludit: Per hoc cognoſcimus, &c. Scopum repetit. Quaſi diceret: Neminẽ vel credentium paucitas, vel impoſtores ſequentium multitudo moueat. Matth. 22. 7. non enim hominum ſed Dei authoritas ſpectari debet. Quod ex hominibus eſt falſum & erroneum eſt, & inutile. Pſal. 116. Iſa. 29. Quod ex Deo eſt, veritas eſt, etſi paucisſimi recipiant.

¶. Idem nobis dicitur. An autem ex Deo

sit doctrina facilè videbimus, si ad scripturę regulam examinetur. 2. Tim. 3. Nec enim sibijpsi Spiritus sanctus contradicit. Huc refer quod habetur Galat. 1. Audiamus ergo Dei verbum, & fide perceptum vita exprimamus. Oremus.

HOMILIA XXXVI.

7 *Dilecti diligamus alij alios: nam charitas ex Deo est: quisquis diligit, ex Deo natus est, & nouit Deum.*

8 *Qui non diligit, non nouit Deum: nam Deus est charitas.*

9 *Per hoc patefacta est charitas Dei in nobis quod Filium illum suum vnigenitum misit Deus in mundum vt viuamus per eum.*

10 *In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexit nos, & miserit Filium suum vt esset propitiatio pro peccatis nostris.*

11 *Dilecti si Deus nos ita dilexit, debemus & nos alij alios diligere.*

APostoli non solùm fidem tradunt in Iesum Christum, sed ad carnis quoq; mortificationem & sanctimoniam hortantur. Col. 3. Roman. 12. Hebr. 12. &c. nimirum quòd sciant non temere à Christo dictum esse:

esse: Nō omnis qui dicit, Domine, &c. Matt. 7. Quia autem omnia Christianæ vitæ officia charitate comprehenduntur, Ioannes hanc supra multis commendauit: & nunc postquam de doctrinæ dijudicatione egit, ne quis hanc putet sufficere, rursus de illa agit diligentius.

I. Summa, charissimi diligamus alij alios. Infert hoc præmissis. Quasi diceret: Audistis quæ sint partes Euangelij. Vt verò cauendum est, ne falsis doctrinis seducamini: Ita videte, ne charitatem negligatis. Ioan. 13. 15. Rationem adducit: Quia charitas ex Deo est. Idq; exponit: Omnis qui diligit, ex Deo natus est, &c. Argumentum tale: Qui Dei ingenium refert, is Deum nouit & ex Deo natus est. At qui diligit, Dei ingenium refert. Probat, quia ille charitas ipsa est. Ergo, &c. Charitatem verò dicit Deū ea ratione, qua idem Lux dicitur: Nimirum quòd eius natura sit diligere & dilectionem in suos transfundere. Psal. 103. 145. *Argumentatio. Deus cur dicatur charitas.*

¶. Obseruandum quid iudicari debeat de alienis à charitate? Quòd neq; Deum nouerint, neque huius sint filij. Fieri enim non potest, quin Deum diligat, quisquis eum verè agnoscit. Psal. 3. 4. At qui hunc diligit, non potest odisse eos, quos hic com-

mendat. Leuit 19. Luc. 10. Ergo quotquot charitate destituuntur, Deum quoque non amant, & proinde neq; hunc nouerunt, neque eius sunt filij; Et sic ne hæredes quidẽ. Vide Matth. 25.

Quales ergo debent censeri, qui insuper malefaciunt? Expendant hoc vsurarij, raptores, Cares, Obtrectatores, &c. Vide 1. Corin. 6.

II. Quia Dei exemplum proposuit, hoc illustrat, & docet, in quo huius charitas potissimè eluceat. Vbi poterat multa proferre: Quòd creauit, quòd alit, seruat, creaturas omnes in nobis occupatas habet, cũ Angelis. Psalm. 8. 104.

Dei exemplum illustratur.

Sed quia in his multi suæ industriæ aliquid tribuunt, illud adducit, quod omnem captum rationis humanæ superat: Quòd scilicet Filium dedit, & in hoc omnia, quæ nostræ saluti seruiunt.

Diligenter autem hoc explicat. 1. In hoc apparuit: ergo Deus non verbis amat, sed opere se declarauit. 2. Dedit Filium suum. 3. Vnigenitum. 4. Quò? In mundum, egestatem, exilium, mortem infamem. Iohan. 3. 5. Quare? Non sui causa, sed vt nos per eum viuamus.

¶. At quia quis dilectione nostra prouocatum

vocatum diceret, addit Epexegesim, qua illam omnino excludit. Ita verò probat Deû esse charitatem.

Interim NOTA. ¶ Rationem salutis nostræ Ioan.3. Quia Dei Filius pro nobis oportuit dari, vt viueremus, vtiq; salus in nobis nulla, neq; alia huius ratio erat. Act.4. Datus autem ille, quia Deus nos dilexit, &c. Vide Adam Genes.3. Nos. Psal.8. Rom.5. Ergo ex gratia. Et ideo Christus mundum nominat. Ioan.3. Organum quo noster fit, est Fides. Ioan.6.17. Mar.16. Hinc dogma apostolicum, Acto.15.13. Gal.2. Rom.3.

Salutis nostræ ratio.

Euertitur his omnis nostrorum operum & meritorum fiducia, &c. Rom.11.

III. Applicat nobis Dei exemplum: Si sic dilexit Deus, &c. In eo enim impingunt multi, quòd putant Dei exemplum nihil ad se pertinere, & de dilectione frigidè loquuntur, vt vnumquenq; sibi proximum esse iubeant. Remittit ergo nos ad Deum, vt hunc imitemur. Sic Christus Matth.5.

Interim NOTA. ¶ Omnem prætextum eripi nobis, quo multi se excusant. 1. Hi nihil ad nos. 2. Vitijs dediti. 3. Hostes & in nos iniurij. 4. Non possunt rependere. 5. Periculum, ne nobis desit.

Prætextus multorum reijciuntur.

¶ Atqui Deus dilexit nos alienissimos, i-

mò apostatas. Sceleratissimos. Gen. 6. 8. Isa, 64. Hostes. Inopes, ex quibus nihil potest sperare, Ps. 116. Et ita dilexit, vt nō tam quid ipse posset, quàm quo nobis opus esset, respexerit. Vidit nos opus habere victu, amictu, &c. & dedit. Tutoribus, & Angelos destinauit. Heb. 1. Ps. 104. 34. 91. Filio suo: & hunc quoque dedit. Dic ergo cum Paulo, Roman. 8. In hoc ergo exemplum respiciamus, &c. Oremus.

HOMILIA XXXVII.

12 *Deum nemo spectauit vnquam, si diligamus alij alios, Deus in nobis habitat, & charitas eius expleta est in nobis,*

13 *Per hoc cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quod de spiritu suo dedit nobis.*

QVoniā homo natura se poti⁹ quàm alios amat, vndique occasiones conquirit & prætextus, vt priuati commodi causa alios negligat, vt à se alienos, aut etiam indignos quibus benefiat. Ideo Ioannes nos multis argumentis vrget. Fuit inter hæc postremum Dei exemplum, quod Christus

stus quoque proponit, Matthæi quinto. Et illud vnum omnes excusationes nobis eripit, &c.

¶. Cæterum ea est satanæ astutia, vt hic multis sub religionis prætextu imponat. Persuadet enim, Deum externis coli officijs, & proinde quæ hominibus fiunt, nihil ad illum pertinere: ideoq; satius esse, vt quę alij hominibus impendunt, nos in cultum Dei conferamus. Et hoc stratagema nō solum charitatis officiū impedit, sed insuper superstitiosos facit. Factum hoc olim, vt apparet Hos.6. Mich.6. Is.58. Tempore Christi item, Matth.15.23. Inter Christianos nihil vulgarius. Ideo huic errori occurrit Apostolus, & docet, Deum à nobis apprehendi nō eiusmodi officijs, sed fide & charitate, & proinde his esse studendum. *Satanæ stratagema.*

In præsenti de charitate agit.

I. Argumentum præmittit ex Dei natura petitum. Deum nemo vidit vnquam, id est, Deus natura est incorporeus & inuisibilis. Sic ipse docet, Ex.33. Idem dicitur Ioan.1. Et eodem facit, 1. Tim.6. *Deus inuisibilis.*

Ex eo autem colligit, neminem huic appropinquare posse, vt ipsum sibi pecunijs aut aliquo externo officio demereatur. Vt enim nos nō possumus ad eum accedere, ita *Officijs externis non eget.*

ipse non opus habet nostris operibus. Non opus habet domo. Isa. 66. Act. 17. Non cibo, Psalm. 50. Non vestitu (Matthæi sexto) remedijs, &c.

Quæ ergo requirat. ¶ Quid ergo faciam de meis facultatibus? Audi Ioannem : Si diligitis alij alios, Deus in nobis manet, &c. Quasi dicat: Deus nostris non eget , egent autem quos nobis commendauit , & quos pro suis agnoscit. Hos igitur si diligamus & iuuemus, Deus in nobis manebit, id est, vnietur nobis, & eius charitas in nobis perficietur, id est, nos eius verè amantes esse constabit, & vicissim ille nos diliget , & spiritu suo in nobis aget, vt proficiamus. Confirmantur hęc Ioannis 14. Matth. 25.

Cultus veri ratio. Sed NOTA. ¶ Veri cultus rationem. Qui homini seruire vult, eius ingenio se accommodet oportet. Eadem Dei ratio, quod gentes intellexerunt. At Deus est spiritus (Ioan. 4.) & externis non opus habet. Idē charitas est. Animos ergo ei oportet consecremus. Deut. 6. & id charitatis officio testemur. Id nisi fiat, non iuuant vlli ritus externi. Isa. 29.

Externa causa. Atqui olim ritus externos instituit, &c. Sed fuerunt sigilla promissionum , & typi promissæ redemptionis, non ideo data,

quòd

ta, quòd his Deus delectetur, sed quia nobis illis est opus, ne ex nobis ipsis fingamus superstitiones. Ideo fidei exercitia esse voluit, quibus insuper ad officia obstringeremur. Vide Circuncisionem, Deut. 10. 30. Ier. 4. Sacrificia. Rom. 12. Hos. 14. Quod si hæc negligerent semper sunt accusati. Vide Ps. 50. Isa. 1. Mich. 6. Hos. 6. Amos 5. Ier. 7. &c. Eadem est noui Testamenti ratio. Habemus verbi prædicationem: sed non iuuat, nisi faciamus. Luc. 11. Matth. 7. Preces, sed ex fide fiant oportet, Matth. 6. Iac. 1. Mar. 1. Bapt. sed vide 2. Pet. 3. Rom. 6. Ita Cœnam Domini, &c. 1. Cor. 10. 11. Quòd si nō iuuant à Deo tradita, per se, quid fiat de hominum figmentis? Isa. 29. Matth. 15.

II. Ne quid dubij nobis insideret, & quis diceret, Quis verò me certum reddet, me Deum habiturum præsentem & propitium, si me & mea alijs ex charitate impendam? rursus, vt Cap. 3. ipsius spiritus testimonium adducit. Quasi dicat: Scitis Christum suis promisisse spiritum suum. Ioan. 14. Atqui hunc omnes credentes accipiunt. Roman. 8. Itaq; vel hunc in vobis agentem interrogate, & mox suggeret vobis, quæ olim dixit. Psalm. 41. 112. Isa. 58. Item quæ Christus, Matth. 5. 26. 25.

Spiritus S. in nobis effecta.

NOTA. ¶ Spiritum ſanctum non ſolum ſalutis eſſe arrhabonem in nobis (Eph. 1.2. Cor.1.5.) ſed apud alios quoq;. Vt enim anima nos viuificat, & ſimul agit, ex quibus alij nos viuere intelligant. Ita ſpiritus & nos viuere facit in Chriſto (Gal.2.) & operum cauſa eſt, ex quibus alij nos viuere videant. Vide Gal.5.

Ex operibus ergo diſce, quo ſpiritu tu aut alij agantur. Vbi carnis opera regnant, ibi ſpiritui non locus eſt. Iſta ergo mortificemus, & vt ſuo ſpiritu in nobis Deus regnet, aſsiduè Oremus.

HOMILIA XXXVIII.

14 *Nos verò ſpectauimus, & teſtamur Patrem miſiſſe Filium qui eſſet ſeruator mundi.*

15 *Quiſquis cõfeſſus fuerit Ieſum eſſe Filium Dei, Deus in eo habitat & ipſe in Deo.*

OMnis ſupſtitionis principiũ eſt, quòd homines Deum ex ſuo ingenio æſtimantes, illum externis officijs delectari putant. Ideo enim neglectis veræ pietatis capitibus, circa inanes ceremonias occupantur.

tur. Huic errori vt occurrat Ioannes, nuper dixit, Deum esse inuisibilem, & proinde externis nō egere: velle autem vt ex charitate benefaciamus proximo egenti. Matt. 26. 25.

Hoc vt rectè intelligatur, & ne quis in charitatis operibus meritū salutis statuat, in pręsenti mysteriū nostræ cū Deo coniunctionis clarius exponit. Summa, Deū se nobis cōmunicare in Filio, & proprium huius percipiendi modū ęsse Fidem, ex quo charitas ista nascatur, de qua dixerit. Vnde sequitur, hanc per se nihil mereri, Deo autem grata esse eius opera, quia ex fide fiant.

Estq; insignis locus, qui summam doctrinæ apostolicæ continet.

I. Certitudinem eius asserit, perinde vt 1. Ioan. 1. ¶ 1. Vidimus. Sic Ioan. 1. Huc faciunt Baptismus, Matt. 3. Clarificatio, Matt. 17. Miracula, Ioan. 7. Quæ in morte, &c. Matth. 27. Ioan. 19 &c. Bonitas Dei magna, qui se ita manifestauit. Vsus in præsenti, vt constet, Apostolos non aliunde accepta tradidisse, sed quæ ipsis certò comperta fuerint, Act. 10. *Euangelij certitudo.*

¶ 2. Testamur. Ergo non obiter, sed vt testes locuti sunt. Tales enim fecerat Christus. Ioan. 15. Act. 1. Hinc Euangelium testimonium de Christo dicitur, Apoc. 1.

Vide quàm impij sint, qui ei contradicere audent. Iniuria in Deum redundat. 1.Ioan.4.

II. Quid viderunt & testantur? Quod Pater misit Filium suum, Seruatorem mundi. Comprehendit hoc dicto totum negotium nostræ redemptionis. Si enim opus erat mitti seruatorem, vtiq; perieramus, neq; in nobis erat aliqua salus. Sic passim Apostoli ex Christi mandato, Ioan.16. Luc.24. Vide Eph.2. Rom.1.2.3. Deinde salutem in Christo ostendit, quem describit.

Redemptionis nostræ ratio.

¶1. Quoad personam. Pater misit Filiū. Ergo erat priusquam mitteretur. Ioan.1.8. Misit autem factum hominem, &c. Gal.4. Ergo in vna persona Deus & homo est, ideoq; Mediator, & quidem solus. Isa.7. Vide 1.Tim.2. Ioan.14. Heb.2.4.

¶2. Quoad officium. Seruator mundi Qualis? Vide Matth.1. Isa.53. In primis obserua vocabulum Mundi. Docet Seruatorem esse vniuersalem. Col.3. Marc.16. Item quòd neminem aspernetur. Qualis mundus, vide Ioan.14. 1.Ioan.5. Attamen mundum sic dilexit Deus. Ioan.3. Consolatio firmissima in tentationibus cōscientiæ. Hanc eripiunt, qui aliò relegant.

III. Quomodo percipitur? Qui confessus

ſus fuerit, &c. Supra de fide dixit. 1. Ioannis tertio.

NOTA. ¶ 1. Quare confeſsionis meminerit hîc? Non quòd hæc ſufficiat (Tit. 1. Matth. 7.) ſed vt doceat, fide opus eſſe ſolida, cuius nos haud pudeat. Roman. 1. Vide Mar. 8. Rom. 10. *Confeßio Chriſti.*

Obſeruent, qui ſufficere dicunt, ſi quis credat corde, &c. Simile adulteræ mulieris. Aliter olim Martyres. Dan. 3. 6. &c. Hos imitemur.

¶ 2. Quid confitendum? Quòd Ieſus ſit Filius Dei. Sic Petrus, Ioannis. 6. Matth. 16. Eſt hæc ſumma doctrinæ de Chriſto.

Qui talem ex animo fatentur, ijdem in illo inueniunt omnia, quæ ad ſalutem faciunt. 1. Corinth. 1. 2. Corinth. 5. Coloſſ. 1. Lux dicitur, Ioan. 1. 8. Malac. 4. Panis. Ioannis 6. Aqua vitæ. Ioan. 4. 7. Paſtor, oſtiū. Ioan. 10. Iſa. 40. Medicus. Matth. 9. Via ad Patrem. Ioannis 14. &c. Denique ſolus omnia habet. Actor. 4. *Fructus.*

¶ Officij hoc admonet: vt illo vno contenti ſimus. Ioan. 4. Matth. 11. Deinde vt vitam viuamus, quæ profeſſioni fidei reſpondeat, Iac. 2. &c. Oremus.

HOMILIA. XXXIX.

16 *Et nos cognouimus & credimus charitatem, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

17 *Per hoc expleta est charitas in nobis, vt fiduciam habeamus in die iudicij, quod qualis ille est,*(tales) *& nos sumus in hoc mundo.*

ETsi Ioannes de charitate fraterna potissimum disserat, subinde tamen inserit doctrinam de fide in Christo, in quo vno omnem salutem nobis monstrat. Id verò facit, vt partim ijs occurrat, qui dum charitatem vrgeri audiunt, in huius operibus statuunt salutis meritum: partim vt doceat, fidem non esse otiosam, sed fiduciam constantem, quæ nos totos Deo vendicet, & ea in nobis agat, quæ huius ingenio & voluntati sunt consentanea, Iac. 2.

Et facit huc etiam præsens locus.

I. Causam & fontem charitatis in fide monstrat, & hanc absq; charitate non consistere docet: Et nos cognouimus & credidimus, id est, credendo cognouimus charitatem,

autem, qua nos Deus complectitur. Et hæc subijcit ijs, quæ nuper de Christo dixit: eò quòd Dei amor non alibi rectè agnoscitur, quàm in illo. In hoc enim non solum vulgaria illa cernuntur beneficia, de quibus Psal. 104.136.145.147. Matth. 5. &c. sed adoptio quæ nos eius filios & hæredes facit. Ioan. 1. Rom. 8. Gal. 4.

Argumentum autem huius loci est: Deus in nobis habitat per fidem. At idem est ipsissima charitas. Ergo hanc in ijs etiam operatur, quibus per fidem est vnitus. Ex quo sequitur, falsò fide gloriari eos, qui à charitate sunt alieni.

NOTA. ¶ Fontem omnium virtutum, & vt hæ in nos deriuentur. Est ille in vno Deo. 2. Corinth. 3. Matth. 19. At hunc nemo videt, sed sola fide apprehenditur, vt nobis vnitus, suo spiritu in nobis agat. Debet autem hoc de sola fide in Christum intelligi. Ioannis 14.5. Eadem ergo omnium virtutum causa est, & quidem in primis charitas. Galat. 5. Roman. 13. Quòd si quæras, fides vnde sit? respondet Christus, Ioannis sexto, Matthæi vndecimo, decimosexto. Vide item Eph. 2. &c. *Virtutum omnium fons.*

Ita verò euertitur omnis operum gloriatio. 1. Cor. 4.

II. Obijciat aliquis: Ergo frustra studetur bonis operibus, & in primis charitati. Ita solent enim hypocritæ, Isa.58. Respondet ergo & fructus præclaros exponit, quibus illa Deus remuneret, &c. Finis vt nos excitet, vtque de nobis & alijs possimus iudicare, &c.

¶ 1. Qui in charitate manet, in Deo manet, &c. Id verò nuper fidei tribuit. Nunc charitati, quæ ex ea nascitur. Sensus ergo est: Qui charitati studet, is demum testatur, se verè credere, & per fidem Deo verè vnitum. Quid verò est gloriosius, quàm certum habere testimonium fidei, ex quo salus nostra omnis dependet?

Benefacientibus non metuenda inopia.

Interim medetur hoc eorum diffidentiæ, qui metuunt, ne benefaciendo alijs, ipsi fiant egeni. At quomodo potest aliquid deesse ijs, qui in Deo manent? &c. Genes.17. Psalm.145. 37. &c.

Conscientiæ tranquillitas.

¶ 2. In hoc est perfecta charitas, id est, ex eo apparet, nos charitatem Dei perfectè cognouisse, & simul huic studere, si fiduciam habeamus in die iudicij. Loquitur de conscientiæ tranquillitate, qua fit, ne horreamus ad mentionem iudicij extremi. Propriè illa ex fide est. Marc. 16. Roman.8. Ioan.3. Sed quia de hac Christus pronuntiabit,

tiabit ex charitatis operibus,huic in præsen ti tribuitur.Matth.25.

¶ Exerit hic se discrimen piorum & impiorum. Hi quia à propria conscientia accusantur, nihil magis horrent quàm iudicium Domini.Quærunt ergo latebras, vt Adam,Genes.3 Eludunt item vanis persuasionibus,2. Pet.3. Imò conciones quoq; fugiunt.Sed omnia necquicquam.

Piorum & impiorum discrimen.

At pij fidutiam habent. Sciunt Christum redemptorem, & hunc diem redemptionis esse. Iob. 19. Philip. 3. Lucæ 21.&c. 1.Thessal. quarto. Ideo cupiunt illum venire,& clamant vt Ioannes Apocal. vigesimo secundo.

¶3. Qualis ille est,tales & nos, &c. Ergo Deo similes nos reddit charitas. Intellexerunt hoc gentes. At quæ gloria maior? Fiet quod dictum 1. Ioan.3. Est autem hic scopus vitæ Christianæ, vt quoad fieri potest,Dei imago in nobis instauretur, quoad charitatem & sanctimoniam,&c. Hinc illa Leuit.19.20.Matth.5.Heb.12.Quia verò multa nobis obstant,indesinenter Oremus.

Charitas Deo similes nos reddit.

HOMILIA XL.

18 *Metus non est in charitate: expleta charitas foras eijcit metum: quoniam metus cruciatum habet: qui autem metuit non est perfectus in charitate.*

19 *Nos diligimus eum, quoniã ipse prior dilexit nos.*

QVoniam multa sunt, quæ homines à Dei obedientia reuocant, & in salutis via remorantur, Deus non absolutè mandat quid debeat fieri, sed insuper minis & promissionibus vrget, vt contumaciores terreat, meliores trahat & alliciat. Fit hoc in lege, Leu. 26. Deu. 28. In prophetis itẽ. Idem etiam faciunt Apostoli, vt in Ioan. videmus. Hic enim de charitate agens, cùm simpliciter posset vrgere Christi præceptum (Ioan. 13. 15.) promissionibus inuitat. Fuit inter has postrema, quòd qui charitati student, læta fiducia diem iudicij expectent, & nullis terroribus moueantur.

Quia verò in eo multum situm est, ne dubitemus, nunc illud plenius illustrat.

I. Timor non est in charitate, &c. Non loquitur de timore Dei principio sapientię, Prou. 1. sed de eo, quem prophani ex mortis & iu-

& iudiciorũ Dei recordatione concipiunt: qui tantus eſt, vt nõ poſsint quieſcere, & ferè periat deſperatione. *De quo timore loquatur.*

Hunc eijcit charitas. Id verò Ioannes ſic probat: Qui ſunt ſibijpſis benè conſcij, non habent quo crucientur, &c. At qui charitatẽ colunt, ſibijpſis benè conſcij ſunt (Rom. 13.) Ergo ijdem timore nullo cruciantur.

Ex eo cõtrarium colligit, eos qui timent & cruciantur, in charitate non eſſe perfectos. Vis argumenti huius pendet ex promiſsionibus Chriſti, & exẽplis cõfirmatur. *Hoc timore præditi non ſunt perfecti in charitate.*

¶ 1. Piorũ, vt Moſis, de quo legis Nũ. 12. Ex. 2. Heb. 11. Sed quã ille ſecur' eſt? Ex. 20. 32. Nũ. 16. Dauidis, qui nõ veretur prouocare ad Dei tribunal. Pſ. 7. & 26. Pauli itẽ, Rõ. 10. 9. 1. Corin. 4. At idem quàm intrepidus. Phil. 1. 2. Tim. 4.

¶ 2. Impiorũ, qui tũc trepidãt, quando voti ſunt facti cõpotes. Cain, Gen. 4. Saul 1. Sã. 18. 20. 28. 31. Tyranni omnes, vt apparet in cuſtodijs exquiſitis. Idẽ eſt videre in vſurarijs, qui multos defraudarunt, pupillos, orphanos afflixerũt, aut alijs ſceleribꝰ grauantur. Hi ſemper metuunt, & in mortis articulo obuerſantur illis omniũ vultus, clamores, &c, quos oppreſſerũt. Hæc vtinã expenderent omnes in ſuis factis & inſtitutis.

Charitatis causa efficiens.

II. Quia verò tam præclara charitatis effecta exposuit, ne quis ex eo occasionem gloriandi arriperet, rursus docet quæ charitatis sit causa efficiens siue origo. Nos diligimus Deū, quia ipse, &c. Sub Dei dilectione eam quoq; comprehendit, qua proximū prosequimur. Nisi enim illa præcedat, hæc non habebit locum. Itaque sensus est: Nos Deum diligimus, & proinde in ipso proximos quosq; diligimus, quos nobis commendauit. Id verò non ex nobis est, sed ex eo, quod ille nos prior dilexit, & hunc affectū nobis indidit.

Contra operum iustitiam.

Operū bonorum causa efficiēs.

¶ Ita verò ijs occurrit, qui dilectionis pręcepto operum iustitiam stabiliri putant. Et docet, vt ad horum causam efficientem recurramus. Homines natura philauti sunt: hinc æmulatio, ira, odium, rixæ, &c. Gal. 5. Ex hac vitiositate nemo seipsum liberare potest, & ne vult quidē. Nisi ergo nos Deus præueniat, nihil ex nobis boni prodibit. At hunc nos præuenisse constat, Filium suum ab æterno Seruatorē prædestinauit, 1. Pet. 1. In hoc elegit, Eph. 1. Postea ipse prior quæsiuit, vocauit, &c. Adam. Gen. 3. Israel. Ezeh. 16. Deut. 9. Mal. 1. &c. Gentes. Col. 1. Eph. 2. Tit. 3. Denique omnibus seruit quod habetur, Isa. 53. Omnes sicut oues, &c. Vide. 1. Cor. 4.

¶ Of-

¶. Officij hoc admonet: Vt Deum vicissim diligamus, & in eius gratia studeamus perseuerare. Docet hoc cõmunis sensus. Matth. 5. Isa. 1. Requirit autem Deus dilectionem perfectam. Deut. 6. Hæc fructus gignit, Obedientiam & Patientiam in ferendis omnibus quæ Dei nomine sunt ferenda. Proprium amoris, leuia facere quæ videntur durissima. Hinc illa Roman. 8. Polycarpus. *Officium nostrum.*

¶. Quales ergo censeri debent, qui quando Euangelium & Dei gratiam audiunt malè audire propter suos mores, tamẽ eos non corrigunt. Hi certè plus diligunt pecunias, scortà, pocula, &c. Sunt ergo similes Iudæis qui Barrabam Christo anteposuerunt. Matth. 27. Actor. 2. &c. Discamus Dei amorem nobis ob oculos ponere, hunc redamare, & id operibus testari. Ita fiet, vt læta conscientia vincamus omnes tentationes, & æternum viuamus. Oremus. *Impœnitentes.*

HOMILIA. XLI.

20 *Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, qui enim non diligit fratrem suum quem vidit, Deum quem non vidit, quo-*

modo potest diligere?

21 *Et hoc mandatum habemus ab eo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.*

DIxit nuper Ioannes. Nos diligim' Deum, quia ipse prior dilexit nos. Quo dicto primo charitatis fontem indicat, ne in eius operibus meritum quæramus. Deinde officij admonet, vt ipsi Deum redamemus, parati omnia nostra pro illo expendere.

Vt verò hoc exigit Deus, ita nemo non vult amans Dei videri. Turcæ. Iud. reprobi licet. Monachi. Fures denique, & quotquot ita viuunt, vt nullum dilectonis signum in ipsis appareat.

Contra hos nunc Ioannes scribit, & ostendit vanam esse istorũ gloriationem, &c.

Dei, & proximi dilectio separari non possunt.

I. Proponit: Si quis dixerit, &c. Verba plana sunt. Obseruemus autem, Dei & proximi dilectionem sic coniungi, vt neutram sine altera consistere testetur. Vt enim hæc ex illa nascitur: ita Deum non diligemus, quin in eodẽ proximũ complectamur. Docet hoc omnis scriptura. Lex, Exod. 20. Prophetæ, Hos. 6. &c. Ipse Christus, Matth. 22. Marc. 12. Charitas ergo vna est, sed secundum

dum ſubiecta & perſonas diſtinguitur.

NOTA. ¶. 1. Dignitas hominis, in quá nos Deus euexit. Solus hic dignus amore. Attamen nos admittit in conſortium, contra morem zelotypiæ omnibus innatæ. *Hominis dignitas.*

Seruit hoc conſolationi aduerſus hominú conatus. Quid enim noceat homo ei, quem Deus amat? Pſalm. 118. 27 Roman. 8. Aut cui graue ſit contemni ab hominibus, cùm nos tanti faciat Deus, vt ſe in nobis amari aut negligi putet? Matth. 25.

¶. Interim agnoſcamus hîc noſtram corruptionem. Agnoſcunt hanc hominis dignitatem creaturæ omnes, & illi ſeruiunt. Terra. Aer. Aqua cum fluuijs & fontibus. Ignis. Cælorum orbes. Imò Angeli. Hebr. 1. Pſalm. 34. 91. Animalia item. Iſa. 1. Pſalm. 8. Feræ, quæ interdiu latent. Pſal. 104. Solus homo homini infeſtus eſt. Imò qui nudus & inermis natus eſt, quaſi ſibijpſi ſufficiat, omnes præ ſe contemnit, odit, nocere ſtudet, arma ſibi facit, & laudem quęrit ex ſanguinis effuſione. Interim volunt omnes Dei amantes videri. Sed mendaces ſunt, nec probantur Deo. *Corruptio.*

¶. 2. Etſi enim cultus inſtituant magnificos, hos tamen non recipit ille. Qui enim veritas eſt, à mendacibus non colitur. Vide *Cultus oſorum Deus non recipit*

Caini ſacrificium. Gen. 4. Item prophetas audi. Iſa. 1. Pſalm. 50. Hoſ. 6. Matth. 5.

Obſeruent iſta, qui cultus inſtituunt arbitrarios, anathemata ſuſpendunt, & Deum quodammodo in partem prædæ recipiunt. Reſpondit hic illis Pſalm. 50.

II. Quia autem Ioannis ſententia multis intolerabilis videtur, & plerique etiam negant, ſe propterea Deum non amare, etſi fratres negligant, argumento confirmat quod dixit: Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, &c.

Vis argumenti multiplex. 1. Natura magis mouemur ijs, quæ ſub ſenſum cadunt, quam quæ ſola animi contemplatione percipiuntur.

2. Charitatis στοργαὶ viſa aliorum miſeria ſeſe exerunt, vt patet Luc. 10. 1. Reg. 3.

3. Quia homo ad imaginē Dei eſt conditus. Gen. 1. 5. 9.

Vt ergo qui aliquem diligit, viſo eius filio mox animo toto ſe accendi ſentit: Sic qui Deum diligit, &c. Itaque ſenſus eſt: Si quem non mouet miſeria, quem videt in fratre ad Dei imaginem creato & ſibi à Deo cōmendato, quomodo is Dei amore tangi dicetur, qui neque videtur, neque alicuius eſt egens?

¶. Id

¶. Id verò vt vanos dilectionis Dei iactatores arguit: ita eorum quoque stultitiam confutat, qui Dei amorem imaginum cultu & ornatu testantur. 1. Faciunt quod Deus prohibuit, & quod non potest fieri. Exod.20.Deut.4.Isa.40. 2. Si posset fieri imago Dei, non opus est, cùm in proximis egentibus viuæ eius imagines occurrant, quas Dei Filius sibi substituit. Matth.26.25. *Stultitia idololatrarum.*

At hodie multis videtur summa pietas, ex spolijs hominum ligna & lapides ornare. Vide Psalm.115.

III. Concludit: Et hoc præceptum habemus, &c: Deus ipse mandat, ne à dilectione, quæ ipsi debetur, excludamus proximum. Impium ergo separare quæ cõiunxit Deum.

¶. EST hæc summa religionis Christianæ. 1. Dilectio Dei comprehendit fidem. Gal. 5. Cultum item & omne obsequium. Mal.1.Rom.12. *Religionis christi Summa.*

2. Dilectio proximi per omnem vitam extenditur, & Legem implet. 1. Corinth.13. Rom.13.

Hæc sunt quæ Deus requirit. In his nos esse decebat, non altercari de ijs, quæ ille nõ mandauit, & quæ neque Deo placent, neq; proximo prosunt. Zach.7.&c.1. Timoth.4.

Vt ergo de his omnes seriò cogitent, Oremus.

CAPVT V.

HOMILIA. XLII.

1 *Quisquis credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est: Et quisquis diligit genitorem, diligit etiam eum qui ex eo genitus est.*
2 *Per hoc cognoscimus nos diligere filios Dei, quũ Deum diligimus & mandata eius seruamus.*
3 *Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius seruemus.*

OMnis nostra salus in eo consistit, vt qui natura peccatores & filij iræ sumus, in Dei filios renascamur, & nos tales esse, fide per charitatem agente testemur. Quia autem fide & dilectione Dei plerique gloriantur, qui autem huic ex animo studeant pauci sunt, Ioannes multis docet, fidem non esse absque charitate, neque etiam Dei amantes esse, qui proximos non diligunt.

ET huc facit etiam hic locus, quo paucis comprehendit quæ de hac causa dici possunt. I. De

I. De fide agit: Omnis qui credit Iesum esse Christum, &c. Quia omnes Dei filij dici volunt, docet vnde hoc nobis obtingat: Nimirum ex sola fide. Et conuenit hoc cum eo, quod habetur Ioan. 1. Vbi obseruemus illud ita fidei tribui, vt simul dignitas generis, vires nostræ, opera & merita excludantur. Quid enim hîc ex seipso conferat, qui ne corpus quidem potest mutare? Matthæi 5.6. *Filij Dei vnde fiamus.*

Sed NOTA. ¶. 1. De qua fide loquatur? Omnes enim sectæ suam iactant. Sed Ioannes de ea agit, quæ Iesu illo nititur, qui ex Maria natus est. Sunt quidem etiam alij articuli fidei Christianæ. At omnes in hoc IESV comprehenduntur, qui ideo fundamentum fidei & salutis, totius item Ecclesiæ dicitur. Eph. 2. 1. Corinth. 3. Matth. 16. Et solius meminit, quia qui hunc tenet, nō potest in alijs perniciosè errare. 1. Corinth. 3. Qui autem ab hoc fundamento se auelli sinunt, aut in eius cognitione errant, de illorum salute actum est. *Fides vera quæ.*

¶. 2. Quid verò credi debet? Iesum esse Christum, id est, Vnctū illum, qui olim promissus, omnia habet, quæ saluti seruiunt. Vngebantur olim Sacerdotes & Reges. Vtrumque Christus est. Psalm. 110. 2. Vt Sa- *Summa credendorū*

cerdos docet. (Deut. 18. Isa. 61. Matth. 17.) intercedit. (1. Ioan. 2.) sacrificat. (2. Corin. 5. Heb. 9. 10) benedicit & consecrat. Gen. 22. &c. 1. Corin. 1. Vt Rex asserit, tuetur. (Ioan. 10. Rom. 8.) diuites facit, &c. Eph. 1. Et hæc quidem solus habet. Actor. 4. Isa. 42.

Qui ergo talem agnoscunt, ij ex Deo nati sunt.

¶. Quia nisi hic nos renatos illuminet, nunquam ad hanc cognitionem perueniemus. Matth. 16. 1. Cor. 2. Ioan. 6. Isa. 5. 4. Ephes. 2.

Itaque omnis salus gratuita est. Damnantur omnes aliæ sectæ. Ioan. 3. 6. & simul confutantur hîc, qui nouos articulos fidei fingunt, quibus à Christo homines auocantur.

II. Quid verò ex his concludit Ioannes? Omnis qui dilit eum qui, &c. Argumentum est eiusmodi: Qui Deum diligit, huius etiam filios diligit. Ea enim amoris vis est, vt nō in vnius persona subsistat, sed ad huic coniunctos quoque extendatur. Atqui filij Dei sunt omnes qui credunt: Ergo, &c. Nec tamen hoc ita accipi debet, quasi soli credentes diligi debeant. (Vide Luc. 10.) sed docere vult, fidem non esse sine charitate.

¶. Obseruemus autem charitatē obiectum

iectum verum esse Deum. Prophani homines alijs atque alijs causis mouentur. Sed hi non tam alios quam seipsos amant. Ideoq; illorum amor non est stabilis: sed sublata causa, cessat, &c. AT pij, quia in proximis Deum respiciunt, absque personarum respectu quosuis complectuntur, & in omnibus inueniunt causam, cur diligant. Imago Dei in omnibus. Gen. 1. 5. Natura eiusdem communis, Christiani sunt, fratres sunt. Ep. 4. 1. Cor. 12. Qui non sunt possunt fieri, & miseratione digni sunt. Vide Christi exemplū. Matth. 9. Simile 1. Sam. 16. Adhæc iniurijs quoque nullis mouentur, vt amori renuntient, &c. Matth. 5. Rom. 12. *Charitatis obiectum.*

III. Explicat amplius, & notas adscribit, ex quibus vtraq; dilectio agnoscatur.

¶. 1. In hoc cognoscimus, quod diligamus filios Dei, si diligimus Deum. Vt prius docuit, proximi dilectionē nasci ex fide, qua Deum diligimus: ita ostendit, proximum non verè diligi, nisi Deus priores apud nos teneat. Qui enim alia quā Dei causa diligunt, horum amor fucatus est, &c. *Nota.*

Discamus quid in amicitijs quærendis potissimum spectari debeat? Nimirū num quis Dei amans sit. Qui opes, potentiam, dignitates spectant, falluntur. Isa. 40. Psal. 116. *In amicitijs quid spectandū.*

Qui Dei amnas est, non inuidebit rebus secundis, aduersis non deficiet. Vide Dauidem, & Ionathanum. 1. Sam. 18. 19. 20. 23. 2. Sam. 1. 9. &c.

¶. 2. Vnde autem agnoscitur dilectio Dei? Hæc est, vt præcepta eius seruemus. Non potest enim diligi Deus nisi eum noueris. At huius agnitio parit reuerentiam, ex qua obedientia nascitur. Simile Patris & filij. Hinc ordo ille Deut. 6. 10. Obseruemus gradationem. 1. Diliges Deum tuũ.

Gradatio. 2. Timeas. 3. Incedas in omnibus vijs eius. 4. Seruias ei ex toto corde, &c. Christus item Ioan. 14. Vide etiam Malach. 1.

Arguunt hæc hypocritas, qui neglectis Dei præceptis circa inutiles ceremonias occupantur. Isa. 1. 29.

Discimus nos Dei fidem per Christum, illum diligere, dilectionem verò Dei testemur dilectione proximi & obedientia fidei. Rom. 1. 16. Oremus.

HOMILIA. XLIII.

3 *Et mandata eius grauia non sunt.*
4 *Quoniam quicquid natum est ex Deo, vincit mundum; Et hæc est victoria,*

ria, quæ vicit mundum, nempe fides nostra.

5 *Quis est qui vicit mundum, nisi qui credit Iesum esse Filium Dei.*

QVoniam pleriq; fide in Deum & eius cultu gloriantur, pauci autem sunt qui his ex animo student, Ioannes nuper docuit, quibus notis vtrumque agnosci posit Et fidei quidem notam fecit charitatem. Quia enim illa Dei filios facit, fieri nequit, quin Deum patrem & suos fratres diligant, qui credunt. Galat. 5. Quia autem aliqui verbis modò diligũt, charitatis notã ait esse obseruationem præceptorum Dei. Qui enim amat, placere studet: At Deo nõ potest placere, nisi qui ei obedit. Ex his ergo de nobis & alijs iudicemus.

Sed quia obseruationis præceptorum Dei meminit, de hac plenius differit.

I. Ne nimiæ difficultatis opinio aliquem moretur, & desperationem pariat, docet illa grauia non esse.

¶. Quomodo autem hoc dicit, quando carni importabilia sunt. Gen. 5. 8. Rom. 8. 7. Ier. 13. Sed per se grauia non sunt. Simile sarcinæ & valetudinarij. *Mandata Dei quomo do non sint grauia.*

Patebit hoc, si rem ipsam consideres.

1. Præceptum fidei iubet vt vni Deo fidamus, per vnum Christum. Genes. 17. Exod. 20. Ioan. 5. 14. Annon hoc facilius est, quam Deos plures fingere, pro Mediatore discurrere?

2. Cultus ratio requiritur simplex, quæ in spiritu consistit. Ioan. 4. Non requirit aurum, &c. Psalm. 50. Mich. 6. Sacramenta simplicia sunt & facilia. In his autem mysteria proponuntur læta & plena consolationis.

3. Vitæ & morum præcepta charitate comprehenduntur: (Rom. 13.) & hæc sanctimoniam & innocentiam parit.

HIS adde, quod Deus indulget nostris infirmitatibus. Psalm. 103. Isa. 42. Ezech. 18. &c.

Traditiones humanæ contrà molestissimæ sunt.

¶. Arguunt hæc innatam vitiositatem & ingratitudinem nostri sæculi. Etsi enim hæc ita sese habeant, plerique tamen hominum traditiones præferunt, in quibus omnia sunt molestissima.

I. In fide nihil certum sed perpetua sitis. Ioan. 4.

2. In cultu labor, sumptus, ceremoniæ frigidæ, &c.

3. Pleraque charitati repugnant, &c.

4. Carnificina denique perpetua, quâ

ne moriendo quidem effugias. Tunc enim Purgatorij terrores obijciuntur, vt ne mori quidem gratis liceat.

Deniq; vt credentes Domini sunt, siue viuāt siue moriantur: (Rō.14.) ita isti Sacerdotum & monachorū mancipia sunt, &c. Et tamen pro talibus pugnat mundus. Vide Ioan.5. 2. Thess.2.

II. Quibus præcepta Dei non grauia sint, docet: Ijs nimirū, qui ex Deo nati sunt. Ratio, quia hi mundum vincant. Argumentum est: Qui mundum vincere norunt, ijs Dei præcepta non sunt grauia: Qui ex Deo nati sunt, mundum vincunt: Ergo, &c. Mundi nomine intelligit, opes, honores, voluptates, illecebras, pericula, &c. 1. Ioan. 2. Qui ista vincunt, eos nihil impedit, quo minus Dei præcepta impleant.

NOTA. ¶. Non esse Dei filios, qui se à mundo vinci patiuntur. Ideo enim in Dei filios regeneramur, vt mundo & peccato mortui, viuamus Deo. Roman. 6. 2. Corint. 5. Hinc illud Christi. Ioan. 15. Item Pauli, Roman. 12. Quam igitur falluntur, qui sua scelera exemplo mundi excusant? Apoc. 18. Galat. 1.

Qui à mundo vincuntur Dei Filij nō sunt.

III. Modum victoriæ huius exponit: Necessaria doctrina, quia hinc ferè origi-

Modus viuendi mundi. nem ducunt superstitiones. At Ioannes victoriam hanc soli fidei in Christum tribuit. Causa, quia Christo inserit, vt super hunc ædificati eius spiritu animemur, qui nos ad omnia idoneos & instructos facit. Ioan.15. Philip.4.

Exempla. ¶. Huc faciunt exempla, quæ Paulus congerit. Hebræ.11. Abraham vincit mundum, quando omnibus relictis vocantem Deũ sequitur. Gen. 12. Vincit seipsum, &c. Gen. 22. Sic Moses. Ita omnibus periculis superiores facti sunt sæpe fideles. Gedeon. Dauid. Ezechias. Idem videre est in Martyribus qui tyrannorum tormenta vicerunt. Cur enim timeāt inopiā, qui promissiones norunt? Matth. 6. Psalm. 37. Cur exilium, qui sciunt quod dictum, Ioan. 14. Philip. 3. Ioan.17. Cur mortem, &c. Ioan. 5. Philip. 3. Rom. 14.

¶. Ista nos excitent, vt procul relictis superstitionibus audiamus Dei verbum, ex quo fides discitur. Rom.10. Exempla veterum meditemur, & vt nos quoque Deus fide donet,
Oremus.

HOMI-

HOMILIA. XLIIII.

6 *Hic ille est qui venit per aquam et san*
guinem(nempe) *Iesus Christus: non*
per aquam solùm, sed per aquam &
sanguinem: & spiritus is est qui testifi
catur Spiritum veritatem esse:
7 *Nam tres sunt qui testificantur in cœ-*
lo, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus:
& hi tres vnum sunt.
8 *Et tres sunt qui testificantur in terra,*
Spiritus, & aqua, & sanguis: & hi
tres in vnum consentiunt.
9 *Si testimonium hominum accipimus,*
testimonium Dei maius est: nam hoc
est testimonium Dei quod testifica-
tus est de Filio suo.

VT scripturæ docent, vitam hominis Christiani militiam esse, quæ nobis sustinenda est contra mundum & huius principem, Iob.7. Eph.6. &c: Ita victoriam monstrant in sola fide, qua Christus apprehenditur, qui mundi principem vicit. Gen.3. Ioan.16. Et huc facit quod nuper Ioannes dixit. Cùm enim dixisset, præcepta Dei non esse grauia illis, qui mundum vincere no-

runt, simul ostendit, hoc ijs solis contingere qui credunt quòd IESVS, &c. Isa.9.

Quia verò hanc fidem satan maxime oppugnat, pergit modò, & talem esse probat.

Vtq; locum hunc rectius intelligamus, obseruari debet Figura Orationis, quæ habet Prosop. Nam perinde ac si causa apud iudices sit probanda, testes producit.

I. Hic est qui venit, &c. Sensus: Nos Christum prædicamus, qui non obscurus irrepsit, sed palàm venit per aquam & sanguinem, id est, Aqua & Sanguis de illo testata sunt, quòd is sit quem prædicamus. Deinde addit Spiritum sanctum. Sed videamus testes singulos.

Aquæ testimonium. ¶. 1. Aqua Bapt. Christi notat. Ab hoc orditur, quia in eo demum Pater suum Filium publicè manifestauit. Matth.3. Et multa acciderunt, quæ de illo testantur. Cœli aperti, quod opponitur gladio, &c. Genes. 3. Et ostendit in illo impleri quod figuratū, Gen.28. Ioan.1. Spiritus descendit visibiliter, vt prædictum. Psalm.45. Ioan.1. Vox Patris eadem quæ Isa.42. &c. Et de his adhuc hodie nobis testatur Aqua Bapt. Rom.6.

Sanguinis. ¶. 2. Sanguis comprehendit totam pasſionis historiam, in qua sanguinem fudit

dit pro peccatis mundi.1.Ioan.1. Hic etiam sunt Deitatis testimonia. Latroni vitam promittit:Luc.23. Hoc posse se docet prodigijs. Tradit spiritum clamans, Ioan.19. Ex latere mortui sanguis & aqua, &c. Ioan.19. Quò in præsenti quoq; respicit. Tam verò manifesta hæc fuerunt, vt Centurio fateatur.Matth.27.Mar.15.

¶3. Spiritus sanctus.Et cur hic? Quia veritas est. Non potest ergo non testari de Christo,in quo omnia implentur. 2. Cor.1. Ioan.18. *Spiritus.*

Bifariam autem testatur Spiritus.1.Olim quando Apostolis datus est per signa, quibus horum doctrinam probauit. Actor. 2. Mar.16.

II. Quando arrhabo υἱοθεσίας nos confirmat,&c.2.Cor.1.5.Eph,1.Rom.8.Gal.4. Et hinc nascitur illa πληροφορία fidei,quæ in Martyribus fuit,&c.

¶ Officij ergo hoc admonet,vt ipsi etiã his testibus nos probemus Christianos esse,Baptismo,Mar.16,Sanguine item si opus sit,Matt.16.Heb. 12, Spiritus virtute per obedientiam fidei, quæ per totam vitam extenditur.Iac.2.

II. Explicat & confirmat amplius quod dixit:Tres sunt in cœlo,&c. Sensus: Quo-

quò te vertas, siue cœlum siue terram spe-ctes, occurrunt testes fidei in Christum. In cœlis totus in Trinitate Pater, Matth.3.17. Ioan.12. Verbum, quod carnem assumpsit, & videntibus discipulis in cœlum ascendit, Act. 1. Phil. 3. Spiritus sanctus qui olim in Prophetis loquutus est, nunc in nobis agit, &c. Et vt hi tres vnum sunt (Deuter. 6.) Ita tres illi testes in terra in vnum sunt, id est, consentiunt, vt scilicet credamus Iesum es-se Dei Filium.

Testes in causa fidei qui admittendi.

NOTA. ¶1. Quibus testibus sit agen-dum in causa fidei. Poterat Ioannes citare Apostolos, qui tunc plerique Euangelium suo sanguine obsignarant. Ecclesias item in numeras. Sed diuinis testimonijs agit. Obseruandum hoc hodie. Causa enim hæc tota Dei est, & proinde hominum per se nulla est authoritas, nisi quam eis facit Deus, Ioannis quinto. Ergo nihil agunt, qui Patres, Concilia, &c. tonant, Matth. decimoquinto, Isa.29.

Euang contradicentes.

¶2. Quam peccent qui Euangelio contradicunt. Negant Dei testimonium, & ipsam Trinitatem falsi insimulant. Vtinam hoc expenderent multi.

III. Concludit: Si testimonium hominum, &c. Alludit ad Deut. 17. Quasi dicat:

Lex

Lex dicit, In ore duorum, &c. Quantò maior ergo est testimonij Dei authoritas? Hic enim ipsissima est veritas. Isa. 40. Nec testatur de ignotis, sed de Filio, Ioan. 1. Et non propter se testatur, sed propter nos, vt seruemur, Ioan. 20.

¶ Fidei nostræ dignitas magna. Fundamentum eius est Filius Dei. Testes habet, quales nulla vnquam religio habuit. Simus ergò constantes in fide, & eandem testemur vita & moribus, vt Deus in nobis glorificetur, Matth. 5. Oremus. *Dignitas fidei nostræ.*

HOMILIA XLV.

10 *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso: qui nō credit Deo, mendacem eum fecit, quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo.*

PAulus 1. Cor. 3. ait: Fundamentum aliud &c. Ita verò docet Spiritus sanctus, salutem omnem in vno Christo haberi, neque esse aliud, &c. Act. 4. Nihil ergo tam necessarium, quàm vera Christi cognitio, & indubitata in hunc fides. Hæc causa est, quòd hanc Ioannes tam diligenter tradit, nec do-

cet modò quid credere debeamus, sed ad credendum argumentis multis hortatur, Facit huc, quòd nuper totum Christi negotium testibus grauissimis confirmauit.

Nunc docet, nos sine fide nec salutis certos esse, neq; Deo cultum debitum præstare posse.

I. Quia Deum testem produxit, addit: Qui credit in Filium Dei, habet, &c. Sensus, doctrinam hanc tam esse certam, vt de ea non posit dubitari. Et ab hoc orditur, quia homini innatum, quòd non vult falli: & multi hoc prætexunt, se metuere ne fallantur. Dicit ergo, nihil esse periculi: Quia qui credit in Filium Dei, testimonium hoc Dei in seipso habeat. Loquitur autem de Spiritu sancto (1. Ioan. 3.) quem Christus suis promisit. Ioan. 14. Hic arrhabo salutis, & Spiritus adoptionis dicitur. 2. Cor. 1. 3. Roman. 8. Gal. 4. eò quòd de salute certos reddit, vt Deum patris nomine inuocemus.

Id verò nos de duobus admonet.

Christianus certus est.

¶ 1. Christianis non opus esse aliorum hominum testimonijs. Qui enim intra se de alicuius rei veritate certus est, huic quoad se non opus est alijs testibus. Imò idem non potest credere diuersum dicentibus. At qui Christo credunt, in cordibus suis certò per

suasi

ſuaſi ſunt , vt cum Petro dicant, Ioannis 6. Etijdem ne Angelo quidem,&c. Gal.1.

Arguuntur, qui in cauſa fidei & religionis ad hominum authoritatem reſpiciunt, vt Patrum,Principum,&c.Vel qui Concilij determinationem expectant. Iſti non Deo, ſed hominibus credunt. Atqui omnis homo mendax, Pſal.116. Homo item animalis non percipit, &c.1.Cor.2. Ideo illis conuenit quod habetur, Iſ.29.Matt.15. Tu Chriſtum audito.Matth.17.

Authoritatem hominum non ſpectat.

¶2. Cur non poſsint quieſcere ſuis cordibus, qui ſalutis ſpem non in vno Chriſto ſitam habent? Quia nullo certo teſtimonio intra ſe confirmantur.Hoc enim ſolus Chriſti Spiritus facit, qui in omnem veritatem inducit(Ioan.14.)dum in hoc nobis omnia monſtrat,extra quem ſalus nulla eſt. Act.4. 1.Cor.1. Huc facit quod Samaritidi dicitur Ioan. 4. Experiuntur hoc omnes,quos ſerium tangit ſuæ ſalutis ſtudium. Fac quod dicitur Iſa.55.

Spem ſalutis alibi quàm in Chriſto habentes certi eſſe non poſſunt.

II. E contra docet, quid ſit non credere huic teſtimonio Dei,vt euincat, ſine fide in Chriſtum non poſſe cultum Dei conſiſtere. Qui non credit, Deum mendacem facit,id eſt,mendacij inſimulat. Alioqui Deus non poteſt mendax fieri.Rom.3. Loquitur ergo

ex hominum consuetudine, qui si cui crede re dedignantur, eo ipso illum vanitatis arguunt. Ita qui Deo non credit testanti de Filio, vtiq; illum mendacij insimulat, si non verbis, certè facto, &c.

Deo non credere blasphemia est.

Vbi NOTA. ¶ 1. Blasphemiam hanc esse intolerabilem. Inter Dei attributa Veritas præstat, sine qua nihil aliorum constare potest. Hinc illa Psal. 102. Num. 23. Isa. 14. 40. Psalm. 33. &c. Qui ergo Deum mendacij insimulant, ipsum prorsus abnegant, &c. Id verò faciunt, qui non credunt in Christum, vt vnicum Seruatorem. Talem enim hic testatus est iam inde ab origine mundi. Gen. 3. 22. Per Mosem, Deut. 18. Ioan. 5. Per Prophetas, 1. Pet. 1. Act. 3. Per Baptismum, Ioan. 1. Ipse cœlitus, Matth. 3. 17. Qui ergo non fidunt Christo, annon Dei promissis fidem derogant? Huc Paulus respexit, quando dicit, se multos coegisse ad blasphemandum. Actorum 26. Item Polycarpus.

Cultus absque fide vacuus.

¶ 2. Euerti hic omnem cultum, qui absque fide instituitur. Vt non possunt grata esse officia, quæ præstantur ab ijs, qui te vanitatis insimulant. Ita quoad Deum. Solo enim ore appropinquant. Isa, vigesimonono. Hinc illa, Hebr. 11. Rom. 14. Rectè ergò Bapt. Ioan. 3.

¶ 3. Cau-

¶ 3. Causas malorum nostri seculi. Quid vulgarius hodie, quàm quòd Deus in verbo suo mendacij insimulatur, siue de fide, siue de moribus sermo sit? Punit ergo meritò. Nec possunt meliora sperari, nisi emendemur, & Oremus.

HOMILIA XLVI.

11 *Est autem hoc testimonium*, (nempe) *quod vitam æternā dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio eius est.*

12 *Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet.*

APostoli non solùm docent fidem in Christum, sed quia multa nos ab ea reuocant, hortantur quoque, vt eius doctrinam amplexemur, & in eadem simus constantes.

Et huc facit postrema huius Epistolæ pars, in qua argumentis aliquot Ioannes nos vrget.

1. Quòd fiducia hæc certa sit, vt quæ Spiritus sancti testimonio in animis nostris confirmetur, & proinde alijs testimonijs *Duo præcedentia argumēta.*

non opus habeat. Et hoc eſt, in quo fides Chriſtiana omnes ſectas ſuperat. Hæ enim dubios faciunt,&c.Ioan.4.

2. In Deum eſſe blaſphemos, qui Chriſto nolunt fidere: Quia illum mendacij arguant, qui omnibus ſeculis de Chriſto teſtatus ſit. Gen. 3.22. Per Moſem, Deut.18. Prophetas,Luc.24.Act. 3.1. Pet.1. Cœlitus, Matth.3.17.Quibus adde,quòd ipſe Dei Filius Apoſtolos ſuos teſtes fecit (Ioan. 15. Act.1.) qui hunc vnum tradunt.1.Corinth. 2.1.Acto 4.19.Gal. 1. Qui ergo hæc negant, illum falſi arguunt.

Sequitur in præſenti

Tertium. Tertium argumentum ab vtili. Exponit enim ſummam teſtimonij Dei , & huic neceſſariò credendum eſſe docet, eò quòd in eo ſalus omnis conſiſtat:Et hoc eſt,&c. Senſus:Non temerè iſta inculco. Nec enim de ſola Dei gloria hîc agitur , ſed etiam de veſtra ſalute.Summa enim eſt,quòd Deus nobis mortalibus vitam dederit in ſuo Filio. Qui ergo hunc habent,vitam habent:& contra. Quàm ergo vobis chara eſt veſtra vita, tam firmi ſtate in fide.

IN his obſerua.

Vitam vnde habeamus. I. Salutis noſtræ rationem,ad quam hæc pertinent. ¶ 1. Vitam nobis eſſe datam à Deo.

Deo. Ergo priusquam daretur, in nobis nulla erat. Sumus enim peccatores natura. Ps. 51. Gen. 5. 8. Peccati verò stipendium mors. Rom. 5. Deut. 27. Agnouerunt hoc in se omnes sancti, & ideo precantur: Psalm. 143. 130. 25. Et hæc cognitio initium est salutis; quia deprimit nostri ijpsius fiduciam, & cogit quærere medicum, &c.

¶2. Quis hic? Ioannes dicit, vitam esse in Filio. Ita etiam Ioan. 1. Ergo hic est medicus noster. Inest enim ei vita, non vt nobis & alijs animantibus, sed vt authori, qui eam alijs largitur, adeoq; mortuos in vitam reuocat, Ioan. 5. Imò ipse se vitam dicit. Ioan. 14. Confirmatur hoc miraculis. Mat. 9. Luc. 7. Ioan. 11.

Medicus noster quis

¶3. Modum vitæ huius consequendæ: Qui habet Filium, vitam habet. Nititur argumentum hoc communi sensu. At Filium Dei nō possumus habere corporaliter. Peracto enim nostræ redemptionis negotio, mundum reliquit, & abijt in cœlos, &c. Ioā. 12. 16. Act. 1. 3. Seipsum autem & dona sua nobis offert per Euangelium cum promissionibus. Ioan. 13. Luc. 10. Qui ergo huic credunt, hi fide hac supra cœlos euecti illum apprehendunt, inque eo assequuntur vitam, Ioannis sexto. Denique quia ille ipsis

Quomodo nos sanet.

iuſtitia à Deo eſt factus, ex morte in vitam tranſeunt(Ioan.5.) nec amplius damnatione tenentur. Rom.8.

Vſus. ¶ Vſus verò huius doctrinæ eſt multiplex. 1. Vt in nobis accendat Euangelij ſtudium, Matth.13. Huic enim eſt affixa ſalutis promiſsio, Ioan.17. Mar.16.

2. Vt Chriſto locum demus, vt eius ſpiritu animati, eum in nobis viuere teſtemur. Ideo enim in hoc electi, & ab eodem redempti ſumus. Eph.1. Ioan.15. 1. Pet.2. Hinc illud Pauli, Gal.3. Item. Iac.2. Vtinam omnes obſeruaremus.

3. Vt conſoletur in tentationibus maximis contra terrores mortis. Pſal.23. Ioan.5. Phil.1. Rom.14. Qui huius metu officium negligunt, ij Chriſtum nondum apprehenderunt.

II. Confirmationis loco ſententiam contrariam opponit: Qui nō habet Filium, &c. Sunt enim qui fatentur, eos qui Chriſtum apprehenderunt, vitam habere: ſed eam in illo vno haberi negant, ſed vnumquenque in ſua religione ſeruari poſſe aiunt. His reſpondens ait: Quicquid aliqui dicant, vita ſic in Chriſto concluſa eſt, vt extra hunc nulla habeatur. Et cōuenit hoc cum Baptiſta, Ioan.3. Itē cū Chriſti verbis, Ioā.14. Mar.16.

Sola fides in Chriſtū ſaluat.

Et in-

Et in primis huc pertinet illud Act.4.

¶ Vanissimum ergo est quicquid absque fide in hunc instituitur. Deus externis non iuuatur (Ioã.4.) neq; prosunt exercitia corporalia.1. Tim.4. Imò non profuerunt olim à Deo instituti ritus, &c. Ps.50. Mich. 6. Is.1. Vita enim ex peccatorũ remissione dependet, quæ in solo Christo habetur. Ioã.1. Is.53. 1.Ioã.1.2. Hoc ergo vno cõtenti simus Ioã.6.

Curemus autem, vt idem in nobis viuat & agat. Oremus.

HOMILIA XLVII.

13 *Hæc scripsi vobis qui creditis in nomen Filij Dei: vt sciatis vos vitam æternam habere, & vt credatis in nomen Filij Dei.*

14 *Et hæc est fiducia quam apud Deũ habemus, ipsum, si quid petierimus secundum voluntatem eius, nos audire.*

15 *Quod si scimus eum audire nos, quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones, quas ab eo petijmus.*

POst quam Ioannes hac epistola diligenter tradidit quæcunque nos in fide & vitæ Christianæ officijs possunt instituere,

ſubtexit modò epiſtolæ concluſionem, in qua repetit præcipua capita, & quidem ea in primis: quæ nos aduerſus omnis generis tentationes poſſunt confirmare. In præſenti autem hæc agit.

I. Docet quibus ſcripſerit. Hæc ſcripſi vobis, qui creditis, &c.

Etiam credentes instituendi.

¶ Ergo non ij ſolum, qui à fide omnino alieni ſunt, debent inſtitui, verumetiam qui iam crediderunt, doctrina ampliori opus habent. Idq; non quòd fidei negotium ſit tam perplexum (Rom. 10.) ſed quòd aliunde accedunt remoræ, quibus occurri oportet.

Credentiũ remora.

1. Satan zizania aſpergit, Matth. 13. &c.

2. Caro infirma, & tamen audax in figmentis ſuis.

3. Crux fidei comes. 2. Tim. 3. Ioan. 16. Opus ergo admonitionibus, hortationibus, correptione, conſolatione, &c. 2. Tim. 4. Ideo Apoſtoli viſitarunt eccleſias, Act. 14. 15. Rom. 1. Si id negatum fuit, ſcripſerunt.

Obſeruandum propter eos, qui hæc putant eſſe ſuperuacanea, vel etiam accuſant eos, qui alijs ſunt magis induſtrij.

II. Cauſas reddit, cur ſcribat? ¶ 1. Vt ſciatis vos vitam æternam habere. Nec enim ſatis eſt opinari, ſed ſalutis certos eſſe

oportet

oportet propter tentationes varias. Et huc referri debent, quæ dixit de testimonijs varijs.

Arguuntur qui negant hominem salutis posse certum fieri. Ita verò Christum mendacij insimulant, Ioan.4.6.10. At dicunt, se cauere ne qui sint securiores. Atqui ne Christus quidem securitatem docet, Matth.13. 26. Marc.13.1. Pet.5. Si qui securiores sunt, non propterea infirmis eripi debet consolatio necessaria. *Hominem salutis non posse certum fieri falsa doctrina est.*

¶2. Vt credatis in nomen Filij Dei. Atqui dixit, se scribere credentibus. Sed loquitur de perseuerantia fidei, sine qua nihil proficitur. Lucæ nono, Matthæi 24. 2. Timoth.2.

In primis autem obseruandum, salutem non simpliciter in fide, sed in ea fide monstrari, quæ nititur nomini Filij Dei, id est, quæ eum qui ex virgine natus est, agnoscit eum esse qui prędicatur: Iesum scilicet, Matthæi 1. Christum, id est, Regem & Sacerdotem. Ioan.6. Ps.2. 110. Hæc fides sola seruat, quia in solo Christo salus est, Act.4. Ioan.6. 4.14. Idem ad se solum vocat. Matth. 11. Ioannis septimo. Et solum prædicarunt Apostoli, 1. Corinth.2. Gal.6. Cur ergo hoc uobis vitio vertitur? *In qua fide salus sita.*

III. Quia fides hæc variè tentatur, incipit ea denuò cõmendare. Ijs enim, quæ de eius certitudine dixit, subijcit alium fructũ, quòd propter illam exaudiamur in nostris precibus. Vbi multa poterant dici de precatione, sed ea solùm videamus, quorum hîc fit mentio.

In precando fiducia. ¶ 1. Fiduciam precandi ait habere credentes. Hoc per se ingens bonum & magna gloria. Simile viri principis.

At nobis hoc licere constat. 1. Quia Deus sic iussit olim. Ps. 50. Ier. 2.

2. Quia Christus nobis aditum fecit, &c. Hebr. 4.

3. Quia Spiritus sanctus nos confirmat in eo. Vide Rom. 8. Gal. 4. &c.

¶ 2. Audiri nos ait. Sunt enim quibus licet clamare, sed nihil impetrant At non ita nobiscum agit Deus. Habemus promissiones Isa. 65. Psalm. 50. Matth. 6. 7. Ioan. 16. Exempla Exod. 3. 14. 17. &c. Imò nemo tam miser, qui non in seipso hoc aliquando sit expertus. Id vt nos solari debet, ita monet ne quos ipsi lædamus. Clamantes enim contra nos Deus exaudiet. Exo. 22. Deut. 24. Iac. 5. Vnum hoc rectè cõsideratum posset in officio continere. Oremus.

HOMIL.

HOMILIA. XLVIII.

16 *Si quis viderit fratrem suum peccare peccato (quod) non (est) ad mortem, petet, & dabit ei vitam: peccantibus (dico) non ad mortem.*

QVoniam multa sunt, quæ fidem nostram labefactant, Ioannes nõ temerè in epistolæ huius epilogo diligenter colligit præcipua, quæ illam possunt confirmare. Inter hæc nuper adduxit, quòd per fidẽ nobis obtingat precandi fiducia, & quòd Deus preces credentiũ exaudiat. Consentit cum hoc tota Scriptura. Ps. 50. Is. 65. Mat. 7. Imò fœdus Dei hoc docet, Gen. 17. Ex. 20.

Quia autem multi precando peccant, inter alia huius rationẽ vno verbo cõprehendit, quando Deus audire nos ait, si quid petamus secundum ipsius voluntatem. Qui enim homines rogant, ipsorum voluntati se accommodant, &c. *Precatio vera.*

At Deus hæc potissimũ requirit ¶. 1. Fidem. Exemplũ sume ex te, &c. Vide Mar. 11. Iac. 1. Quia verò illam multa labefactant, in Christũ respicere oportet. Matt. 3. 7. Neque terreat nos infirmitas nostra, sed clamemus cũ Apostolis, Luc. 16. Itẽ cum patre Mar. 9.

¶ 2. Vt non præscribamus, sed vota nostra Dei voluntati subijciamus. Necessariũ hoc, quia nos nescimus, &c. Rom. 8. Audiamus ergo spiritum lamentationum (Zach. 12.) & faciamus quod Christus docet, Matt. 6. Luc. 22. &c.

¶ 3. Perseuerantiam. Deus enim sæpe differt, vt fidem nostram exerceat. Meminerimus ergo tunc nos seruos esse, qui expectare debeant. Ps. 27. 63. Interim non cessemus clamando, 1. Thess. 5. Matth. 7. Luc. 18.

Vt verò magis confirmemur, amplius promittit, quòd precibus salutem alijs quoque possimus impetrare.

Preces pro alijs etiam fundendæ.

Si quis viderit, &c. Quasi dicat: Magnum est quod Deum precari, & quæ nobis sunt opus petere audemus. Atqui tanta est Dei bonitas, vt pro alijs quoque precantes audiat. Quia enim Christus iubet pro fratribus orare, facit vt preces ratæ sint, & quidem in ijs etiam, quæ ad peccatorum remissionem & salutem æternam faciunt. Admonet de hoc precatio dominica, Remitte nobis, &c. Estq; hoc confirmatũ exemplis, Mosis nimirũ Ex. 32. Nũ. 12. Iob. 42. 1. Sã. 12. &c.

¶ Obseruent hoc confidentes illi, qui quosuis præ se contemnunt, vt à quibus nihil possint sperare. Vt enim quis sit miserrimus,

ſimus,tamen pro te orare poteſt, & fortaſſis tempus erit,quo hæc petas ab eo.

Id nobis humilitatem & charitatem cõmendet.

Interim quoad hunc locum obſeruandum.

I. Si quis viderit fratrem peccantem, Chriſtiani ergo non ſuam modò, ſed etiam fratrum ſalutem debent curare,adeoq́ue vitam eorum inſpicere,&c. Requirit hoc fides,quæ nos eiuſdem corporis membra facit.1.Corinth.12.Itaque peccantes iuuemus & reducamus,&c.Exod.23.Deut.22. Quia verò hoc nõ ſemper poſſumus vel nihil proficimus,ſaltem precibus agamus. Facit huc præceptum Chriſti.Matth.5. Exemplum item Luc.23.Sic Stephanus Actor.7.Paulus, Rom.10.9.

¶. AT ſi orandum pro quibuſuis peccantibus, vtique pro ijs maximè ex quibus aliorum quoque ſalus pendet : quales ſunt Magiſtratus.Hinc illa Ier.29.1.Tim.2.Vetus Eccleſia.Miniſtri item.Eph. 6. Vide Actor. 4. & 12. *Pro quibus maxime orandum.*

II. Quam variè peccetur? ¶.1.Impatientia diſciplinæ. Nemo ferè vult ſuum vitã ab alijs inſpici, aut ſe admoneri. Imò ne ab ijs quidem , quibus hoc mandauit Deus *Quomodo hac in re peccetur.*

Ezech.3.33. Fit ergo his ferè quod phreneticis, vt seipsos perdant.

¶. 2. Alij officium negligunt. Parentes ferè Heli sunt.1.Samuel. 2. Ministri canes muti.Isa. 56.Mich. 2. Magistratus vel ignorant quæ fiunt, vel conniuent. Qui seriò agunt, dicuntur infamia hominum gaudere.

¶. 3. Quoad preces, num pro alijs orare eos putas, qui seipsos negligunt? Qui læsi sunt, vindictam meditantur, & ita preces sibijpsis faciunt noxias. Matth. 18. Diuites præ se alios contemnunt. Egeni diuitibus inuident. Denique vix sunt qui se collocent in rupturam muri, vt idem de nobis possit dici quod olim de Iudæis, Ezech.13.22.Hinc ira Dei exardescit.(1.Corinth. 11.) nec remittet, nisi conuersi assiduè Oremus.

HOMILIA. XLIX.

16 *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget.*

17 *Omnis iniquitas peccatum est: sed est peccatum* (quod) *non est ad mortem.*

Inter

INter fructus fidei, quibus nos Ioannes ad huius constantiam hortatur, eum quoque recensuit, quod propter illam preces nostras audiat Deus. Vtque minus dubitemus tantæ efficaciæ dixit esse credentium preces, vt fratribus quoque qui peccarunt, remissionem peccatorum & vitam possimus impetrare. Vbi didicimus, Christiani hominis esse, non suam modò salutem curare, sed aliorum quoque vitam inspicere, errantes in viam reducere, & si non possit aliud, pro illis intercedere apud Deum. Iac. 5. Matth. 5.

¶. At quærat aliquis, Num autem pro quouis, etiã palàm impio precari debemus? Etenim si id fiat, petemus quod iniquũ est, & illos simul cõfirmabimus. Præuenit ergo quæstionẽ hanc Ioan. quando disertè loquitur de fratre nõ peccante ad mortẽ. Et quia hoc obscurius videri potest, nunc explicat.

EST peccatum ad mortẽ, &c. Sensus: Dixi orandum esse pro ijs qui peccant. Id verò non ita accipi debet, quasi debeamus deuotè impijs apud Deum patrocinari. Sunt enim qui peccant ad mortem, pro quibus non iubeo orare. Id enim esset operam ludere & aduersari iustitiæ & veritati Dei. Interim etsi omnis ἀδικία sit peccatum, &

proinde mortem mereatur, attamen non omnes ad mortem peccant. Pro eo igitur orari debet.

Venit ergo hic nobis consideranda tota peccati ratio, quæ cognitu est necessaria, perinde vt morborum in medicina. Seruit enim institutioni, vt sciamus quid debeat caueri, & vt nos geramus cum alijs. Consolationi item, ne de salute nostra desperemus facile.

Peccatum quid?

I. Peccatum est ἀνομία, 1, Ioan. 3. Et sic dicitur quicquid Legi & voluntati Dei aduersatur. Sic peccauit Adam, Gen. 3. Et peccatum dicitur etiam ex hoc deriuata naturæ vitiositas, quia ipsa quoque Dei voluntati repugnat, & causa est, vt figmenta cordis, &c. Gen. 8. Agnouerunt hoc omnes sancti. Psalm. 51. 25, 143, 130. Iob. 14. Isa. 53. 64. &c.

¶. Obseruandū hoc propter eos, qui se iustos esse gloriantur, ne nosipsos fallamus. 1. Ioan. 1.

Omne peccatum mortale est.

2. Pœna peccati mors. Rom. 6. Sic statuit Deus. Gen. 2. 3. in lege item Deuter, 27. Omne ergo peccatum, si in se æstimetur, mortale est: Errant ergo Scholastici qui 7. modò peccata mortalia dicunt. Noxius omnino error, quia multos decipit, vt securi, nimis sibijpsis blandiantur. Psal. 36.

¶. Ne

¶. Ne ergo leue putemus quod Deo aduersatur. Et quomodo non sit mortale quod perperam fit & dicitur, cùm innatam vitiositatem Deus in infantibus morte mulctet?

3. Cur ergo Ioannes distinguit, & ait peccatum aliquod non esse ad mortem? Respicit ad verba Christi. Matth. 21. Mar. 3. Lu. 12. Ergo dicit peccatum non ad mortem, quod remittitur: Ad mortem verò, cui remissio negatur. Id verò non aliud est, quam peccatum in Spiritum sanctum. Hoc quod sit, ex locis citatis apparet. Matth. 12. loquitur de Pharisæis qui cum miraculis & Spiritus sancti testimonio intra animos conuicti scirent, Christum diuina virtute præditum & diaboli victoré esse, tamen illa ad Beelz. referebant, &c Luc. 12. de ijs, qui cùm illum Seruatoré vnicum esse ex fide norint, illú tamen abnegant malitiose, & hostiliter insectantur. Et his debent coniungi, qui non contenti peccasse, scientes volentes verbo Dei reluctantur, & in sua contumacia, incurabiles perseuerant. In Spiritum sanctum hi peccant, quia huius beneficium est Christi cognitio & cordis emollitio. 1. Cor. 12. Matth. 16. Ezech. 11.

Quid ergo est peccatū ad mortē? In Spiritū sanctum.

¶. Ergo discrimen hoc peccati in ho-

Peccati discrimen in quo.

minibus est, quia aliter peccát Electi, aliter Reprobi.

Electi vt peccent. Illi ex innata infirmitate non malitiosè, quod velint facere quod malè sit Deo. Ideo peccatum vel ipsi agnoscunt, vel admittunt verbi redargutionem. Fatentur, dolent, conuertuntur ad Deum per Christum. 1.Corinth.1.2.Corinth.5.Adhæc castigationem ferunt patienter,&c.Sic Dauid.2.Sam. 12.Psalm.51.25.2.Samuel.15.16. Psalm.119. Petrus.Matth.26.Ioan.20.21. Hierosolymitani. Actor. 2.3.&c. Inueniunt ergo quod Deus promisit.Ezech. 18. Isa.1. 43. 45. Micheæ 7.

Reprobi. Aliter reprobi, qui malitiosè peccant: nec eo contenti, peccato gloriantur, verbum oderunt & fugiunt,conuicti non dant gloriam Deo, sed contra hunc & propriam conscientiam litigant. Talis Saul,1.Samuel. 15.17.18.19.24.26.28.&c. Achab 1. Regum 21.22.&c.Pharao,Exod.5.9.14. Hodie multi.Talium peccata non remittuntur,& ideo pro illis non debet orari,quia non renouantur,per pœnitentiam.Hebr.6. Reijciunt enim Spiritum sanctum, qui solus eam in nobis perficit.Simile ceræ & luti.

Quid faciendum. 4. Vsus huius doctrinæ. ¶.1.Singuli sibi applicent: & quia vt omnino non peccemus

cemus,nō possumus effugere.(Iac.3. Rom. 7.) curemus ne peccemus in Spiritum sanctum,id est, ne contradicamus huius dictatis in scripturis loquentis, sed huic gloriam demus, nosq; fateamur dignos confusione. Psalm.51.Dan.9.Ita seruabimur.

¶. 2. Quoad alios, ne præcipitemus temere nostrum iudicium.Constat quidem nō remitti peccatum in Spiritum sanctum. Sed qui sic peccent,nobis non statim appa-ret. Multi enim in Filiū hominis modò peccant ex ignorantia,vt ij de quibus. Luc.23. Actor.3.1.Corinth.2. Quoad ergo non certa habes indicia, tu iudicium suspendito. 1.Corinth.13. Interim assiduè pro nobis ipsis & alijs,vt ex animo conuertantur, Oremus.

HOMILIA L.

18 *Scimus quod quisquis natus est ex Deo,nō peccat: sed qui genitus est ex Deo,conseruat seipsum,& malus ille non tangit eum.*

19 *Scimus nos ex Deo esse, & mundum totum in malo iacere.*

IOannes in epilogo epistolæ hoc agit, vt qui fidem in Christum didicerunt, in ea-

dem constanter perseuerent. Ideo fructus fidei exponit:Inter quos fuit,quod qui credunt, non sibi modò, verumetiam alijs remissionem & salutem impetrent. Vbi per occasionem de peccato disseruit: Omnem quidem iniquitatem peccatum esse, & mortem mereri, credentibus autem ad mortem non cedere.

AT possunt hæc accipi, quasi doctrina fidei licentiam & impunitatem peccandi inuehat,&c. Et hodie multi hoc calumniantur. Occurrit ergo,& docet, potius ex illa nasci indesinens studium rectè agendi. Qui nouus fidei fructus est.

I. Scimus quod qui ex,&c.Hæc ex præmissis infert: Audistis credentium peccata non esse ad mortem. Sed non ideo putet quis licere vt sub fidei prætextu peccemus, Hoc enim tam abest, vt potius peccare non possint qui ex fide renati & filij Dei facti sunt,&c.

De quibus hæc dicat. NOTA. ¶. 1. De quibus loquitur? Quoad enim carnis generationem, omnes ex Adamo peccatores & filij iræ nascimur. Gen.5.Rom.5.7. Opus igitur regeneratione.Ioan.3. Hanc autem nemo habet in sua manu. (Matth.5.6.) sed in Christo obtingit credentibus. Ioan.1. Is semen verbi nobis inserit,

inserit, quod spiritu viuificatum nos regenerat,&c. Quæ ergo de filijs Dei dicuntur, de credentibus solis debent intelligi.

¶. 2. Quid dicit de his? Non peccant. At modò iussit orare pro peccantibus. Vide item 1. Ioan. 1. Sed peccandi verbo vtitur bifariam. 1. In genere pro quouis transgressione. Sic omnes peccant. Iac. 3. 2. Pro deuoto peccandi studio, quo seruitur peccato. Ab hoc alieni sunt credentes. Cupiunt enim placere suo patri, & ideo lapsi resurgunt. Heb. 6.

Peccandi significatio duplex.

¶. 3. Id explicat. A. Seruat seipsum, id est custodiam sibi ponit. (Psalm. 34. & se continet in timore Dei. Agnoscunt enim pij suam imperfectionem. Isa. 64. Insidias diaboli. 1. Pet. 5. Mundi lubricitatem, 2. Cor. 4. Vigilant ergo, & cum timore, &c. Phil. 3. Et quia se nihil posse norunt, orant perpetuò, Ne inducas, &c. & exercent se in verbo Dei. Psalm. 1.

Credentes quomodo nō peccent.

B. Satan non tangit eum. Tentat quidem, sed nihil habet iuris propter Christū. Ioan. 14. Vide typum, Exo. 12. 1. Cor. 5. Item Apoc. 8. Officij admonet.

¶. Soletur etiam hoc contra diaboli insidias. Imitatur hic Thrasones qui vbi se timeri vident, ferociunt, &c. Resiste igitur. Si

Contra satanæ insidias solatium.

promittat, cogita mendacem esse. Ioan.8. Gē.3.Si minetur,recordare, iam olim victū esse. Ioannis 14. 16. Vide item Roman. decimo sexto.

II. Confirmat quod dixit, & amplius commendat sanctimoniam: Sunt enim qui timent,se à Deo non agnosci pro filijs:Item ne fortè mundi illecebris succumbāt, & per hūc inficiantur. Respondet ergo & fortiter ait:Scimus,&c.Quasi diceret:Dubitent qui fide carent, nos scimus nos esse filios Dei. Rom. 8. Galat 4. Ideo non timemus nobis à mundo, quo cum nihil nobis commune est,Quia nos per Christum redempti. (Co. 6.)ille totus in malo iacet.

Credentiū dignitas. NOTA. ¶. 1. Dignitatē credentium. Sciunt se filios Dei esse, & in Christo habent sapientiam veram.1.Cor.1.Colos.1.Ioan.1.In eo superant omnes philosophos.Vide Socratem.Confer cum hoc Christianum quemuis,&c.Stulti,qui extra Christum sapiunt.

Fælicitas. ¶. 2. Fructus huius scientiæ: Quod illis nihil potest nocere, & salutis securi sunt. Quia enim filij Dei, nouit hos Pater, seruare item vult & potest.2.Tim. 2.Psalm. 56.Isa.49. Neque obest eis mundus,ex quo Christus ipsos selegit. Iohan. 15. Fit ergo

quod

quod sæpe aliàs: Vt in diluuio. Gen.6.7.8.
9.Sodomis, Genes. 19. 2.Pet.3. In Ægypto.
Exod. 9. 10. Soli ergo Christiani felices sunt,&c.

Interim applicent hæc sibi singuli. Si Filij Dei sumus, testemur hoc factis. Diligamus Patrem Deum. Deuter. 6. Audiamus eius verbum. Ioan. 8. Obediamus ex animo. Is.29. E contra fugiamus mundi impuri studia. Isa.52.2.Cor.6. Oremus.

HOMILIA. LI.

20 *Scimus autem Filium Dei venisse, & dedisse nobis mentē vt cognoscamus illum qui verax est: & sumus in veracee illo,* (id est,) *in Filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus & vita æterna.*

QVoniam salus nostra in eo consistit, vt vnicum Seruatorem Iesum Christum vera fide amplectamur, & in ea perseueremus, Ioannes diligenter fructus fidei exponit, vt horum cōsideratione confirmemur. Inter hos postremum posuit, quod credentes non peccent ad mortem, & quòd

ſatan nihil in eos iuris habeat. Ioan. 14. 16. ſuperat hoc omnia huius mundi bona:& oportet ingens bonum ſit, quod ex vniuerſali totius mundi corruptiones nos ſeruare poteſt.

Facit ad confirmationem huius præſens locus, qui hæc habet.

I. Docet veniſſe promiſſum Seruatorem & eos confutat, qui alios expectant,& ideo de ſalute adhuc dubitant. Scimus,&c. Quaſi diceret: Alij quidem ſalutem quærũt hinc inde, & Meſsiam alium expectant. At nos ſcimus Dei Filium veniſſe & feciſſe quæcunque de Meſsia ſcripta ſunt. Ideo hoc vno contenti nihil præterea quærimus.

Meſſiam veniſſe vnde ſciuerint Apoſtoli.

Sciebant autem hoc Apoſtoli ex conuerſatione & inſtitutione. Erant enim ij, quibus dictum, Matth.13.1.Ioan.1. Acceſsit his Spiritus ſanctus.

Cur venerit.

At quoties hoc dicitur, obſeruemus. ¶ Cauſam, cur Dei Filius venerit. Nec enim quis temere miretur. Sed ipſe cauſam indicat. Matth. 9. 18. Paulus item 1.Tim.1. Ergo ſalutis noſtræ cauſa venit, & quidem ex æterno Patris decreto, qui ita dilexit nos,&c.1.Pet.1.Ioan.3.

Hoc vt nobis Dei bonitatem commendat, ita officij admonet, quod in duobus cõſiſtit.

¶ 1.

¶. 1. Vt vno Christo contenti simus, neque eos audiamus, qui vnumquemque in sua religione seruari putant, aut cum Christo coniungunt alia ita enim intellexerunt hoc mysterium Apostoli. Ioan. 6. Act. 4. Galat. 1. 5. Et prophetæ de Christianis prædixerunt hoc ipsum, quod Ioannes in præsenti protestatur. Mich. 4. *Officium nostrum erga seruatorem.*

¶. 2. Vt Deum redamemus, & vicissim vocantem Christum sectemur, vt huic viuamus, qui pro nobis est mortuus. 2. Cor. 5.

II. Ostendit quid Christus nobis conferat: Dedit nobis mentē, vt cognoscamus illum verum Deum. Ingens bonū. Vt enim solus Deus bonus. (Mar. 10.) ita ex eius cognitione salus omnis dependet. In ea autem errarunt omnes aliæ sectæ. Gentes, qui stulti facti sunt (Rom. 1.) & de omnibus dicitur, quod Samaritidi, Ioan. 4. Christus solus nobis enarrauit. Ioan. 1. Ideoq; nobis sapientia factus esse dicitur. 1. Cor. 1. *Quæ Christus in nos contulerit.*

¶. 1. Ipse enim per se est viua Dei imago. Heb. 1. Ideo dicit, Qui me videt, &c. Ioā. 14. Et ideo Deus in carne manifestatus est. 1. Tim. 3. &c.

¶. 2. In ipso spectamus quæcunq; in Deo sunt. Iustitiam. Isa. 53. 2. Cor. 5. Misericordiā, Ioan. 3. 1. Ioan. 4. Veritatem, 1. Corinth. 15.

Sapientiam. Omnipotentiam. In hanc imaginem intueantur, quotquot Deũ verè cognoſcere cupiunt.

III. Finem iſtorum omnium indicat: Et ſumus in vero illo, id eſt, Chriſtus non ſolũ mentem dedit, vt Deum verũ agnoſcamus, ſed cum hoc etiam nos conciliauit, vt huic omnino ſimus vniti. Probat: Quia ipſe eſt verus Deus & vita æterna. Vide Ioan. 1. Argumentum eſt tale: Quicunque credunt, ij Chriſto vniũtur, vt in ipſo ſint, & ipſe in eis. Ioan. 6. Atqui Chriſtus eſt verus Deus: Ergo qui credunt, ij vero Deo vniti, & in ipſo Deo vero ſunt.

Chriſtũ eſſe verum Deum. Eſt hoc irrefragabile teſtimonium verę Deitatis Chriſti: quãdo hoc argumento Apoſtolus probat, nos Deo eſſe inſitos. Deinde eundem vitam eſſe dicit, id eſt, eſſentiam ipſam rerum, ſiue Iehoua. Exo. 3. Talem prophetæ etiam agnouerunt. Iſa. 9. Mich. 5. Ier. 23. Et verè hæc de illo dici, opera teſtantur. Ioan. 5. 10. 7.

Finis euangelij. Interim obſeruem' hîc finẽ totius euãgelij, qui eſt, vt Deo vniamur per Chriſtũ, qui vnicus eſt Mediator. 1. Tim. 2. Sic ipſe, Io. 17. Rogo vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnũ ſint, vt credat mundus, quòd tu me miſeris. Et ego glori-

gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus: ego in eis, & tu in me, &c.

Effectus autem huius vnionis est, quòd dum hic viuimus, fructus ferimus. Ioan. 15. Iac. 2. Deinde cũ Christo in cœlis viuimus. Ioan. 12. 17.

¶. Arguuntur qui Christiani dici volunt, interim se totos mundo mancipant, & ita viuunt, vt eos à malo genio potius agitari dicas. Vide Matth. 7.

Vt ergo possimus dicere quod hic Ioannes, meminerimus, nos baptizatos esse in mortem Christi, & proinde cum eodem nobis resurgendum esse, vt ambulemus in vitę nouitate. Rom. 6. Oremus.

HOMILIA. LII.

21 *Filioli, cauete vobis ab idolis. Amen.*

POstquam Ioannes tota hac epistola veram Dei cognitionem & fidẽ in hunc tradidit, sub finem multa hucusq; ex ordine adduxit, quę nos vt in fide hac constantes simus, confirmare possunt. Quia autem interea, quę nos à fide & verò Dei cultu auocant, nihil nocentius & magis exosum Deo est idolis, de his quoq; præceptum ponit, quo epistolam concludit.

¶. Breuitate autem vtitur, vt vel sic doceat, rem hanc Christianis hominibus sic notam & cordi esse debere, vt verbis multis non sit opus.

Filioli (inquit) cauete, &c. Solet sic credentes appellare, quoties de re graui & necessaria agit. (Cap. 2.3.4.) vt partim suam beneuolentiam testetur, partim ipsos officij admoneat, qui sibi vt patri in Christo parêre debeant. 1. Corinthios, quarto, Galatas. quarto.

Itaque sensus est: Audistis quæcunque ad salutem sunt necessaria, hanc scilicet in solo Christo haberi, & solis credentibus communicari. In his ergo manete, & vt manere possitis, cauete vobis ab ijs, quæ cũ fide pugnant: Et quidem ab idolis præcipuè, quæ si caueritis puritatem fidei retinebitis.

Lex Dei de idolis.

Quia verò hanc doctrinam ex Lege petunt Apostoli, quam Christus hac parte nõ abrogauit. (Matth. 5.) præstat præceptum Dei excutere, Exo. 20. &c. Partes sunt tres.

I. Prohibet ne quam imaginem faciamus, siue ea sculpta, siue picta sit, & enumeratione vtitur omnium quæ sunt in mundo.

Quæ imagines prohibita.

Vbi NOTA. ¶. 1. De imaginibus quæ Deo fiunt hoc dici. Alioqui fuerunt imagines

gines florum,cherubim,boum,leonum, æ-nei serpentis, &c. Exod.25.28.36.1.Regum 7.&c. Itaq; vetat,ne ipsi alicuius creaturæ imaginem affingamus.Docet id ipsius Mosis exemplo,Deut.4.

Ita verò confutantur,qui gentium modò idola prohiberi putant. Eadem enim ratio idolorum inter Christianos, siue formam spectes,siue materiam. Vide Psal.115. Vsus quoque idem, vt Deum & Diuos representent,moneant,confirment, &c. Cultus similiter idem. Culpa eò grauior, quòd Sanctorum nominibus & authoritate nostri abutuntur. *Etiã Chri-stianorũ.*

¶ 1. Quare Deus vetet imagines fieri? *Cur?* 1. Quia qui immensus & infinitus est, non potest vlla forma exprimi. Isa.40. Mendaces ergo sunt imagines,&c.Lactant.

2. Quia maiestati Dei derogant, &c. Ps. 107.Rom.1. Tu conuitium putas,si quis te dicat idolum esse,Götz.

3. Quia spiritualem cultũ impediunt, & à Deo animos auocãt. Varro apud August. Pugnant ergo cum lege & Euangelio, Ioan. 4.Ideo veteres ita abhorruerũt,vt ne Christi quidem aut alicuius Diui imaginem fieri aut ferri voluerint. Epiphanius apud Hieronymum.

II. Quatenus non debeant fieri, & quid, nobis agendum, si ab alijs fiant? Non adorabis ea neque coles. Adorandi verbo omnis reuerentia tam externa quàm interna prohibetur. Cultus omne seruitium denotat. Vnde sequitur, nullum esse imaginum vsum in religione, & proinde neq; in templis, &c.

Idola non sunt libri laicorum.

NOTA. ¶ Errare eos, qui defendunt vt libros laicorum, qui his commonefiant atque doceantur. 1. In eo enim pars cultus consistit.

2. Tunc veteres illis magis opus habuissent, 1. Cor. 10.

3. Verbum doctrinæ destinatum. Ideo sola vox audita. Deut. 4. Vide item Deu. 18. Mal. 2. Isa. 8. 59.

4. Vbiq; occurrunt opera Dei, ex quibus parabolæ petitæ.

5. Veritas non potest disci ex mendacio, Hab. 2. Vidit hoc Democritus, &c. Sic de illo ad Damag. scribit Hippocrates: Indigna & inanimata diuitijs exornant. Peculium in statuis emendis erogant, eò quòd loqui sibi apparent: Qui verè loquuntur, illos oderunt.

III. Rationes adhibet, quibus docet non esse aliquam causam, quæ nos cogat imagines facere: vbi tria dicit.

1. Ego

1. Ego Dominus Deus tuus fortis: Talis nimirum, qui tibi sufficere possum. Conuenit hoc cum principio Decalogi, & Genes.17. Æquum ergo vt mihi obtemperes. *Idolis non est opus.*

2. Zelotes, qui non fero meam gloriam transferri in alios, & minimè in sculptilia. Isa.42.

3. Visito iniquitates patrum, &c. Exempla sunt in domo Solomonis, 1. Regum 11. 12. &c. Ieroboami, 1. Regum 13. 14. 15. Achabi, 1. Regum, 16. 22. 2. Reg. 1. 9. 10. Vide item Rom. 1. Inter Christianos idem factum, & hodie fit. Imò propter imagines scissum Imperium & Turcæ exorti, quibus adhuc Deus vtitur ceu scopis. Et sunt hodierna exempla.

¶ Rectè ergo faciunt magistratus Christiani, qui imagines tollunt. Notarunt olim Pontifices Romani aliquos Imperatores εἰκονομάχων nomine, vt Leonem III. Constantinum V. Leonem IIII. & Constantinum VI. Et hodie damnantur nostri patres eodem nomine. Sed hi fecerunt quod iussit Deus Deut.7. Et laudantur hoc nomine: Asa. 2. Paral. 15. 14. Ezechias, 2. Reg. 18. Iosias, 2. Regum 23. &c. *Tollenda sunt è templis.* *εἰκονόμαχοι pij Principes.*

Ne ergo moueamur hominum superstitiosorum calumnijs.

Retineamus autem doctrinam, quam nobis hac Epiſtola Ioannes tradidit. Docuit nos omnes peccatores eſſe. Remiſsionem & reconciliationem cum Deo monſtrauit in Chriſto, cui vni fidere oporteat. Commendauit fructus fidei, innocentiam vitæ & charitatem fraternam, vtq; in his perſeueremus monuit. Quoad cultum Dei imagines prohibendo nos ad ſpiritualem remittit, Ioan. 4. Huic ergo intenti ſimus, & indeſinenter Oremus.

26. Octobris 1576.

IN D. IOANNIS APOSTOLI EPISTOLAM SEcundam D. Rodolphi Gualtheri Ministri Ecclesiæ Tigurinæ Homiliarum syluæ vel archetypi.

HOMILIA I.

PResbyter electæ dominæ & liberis eius, quos ego verè diligo, nec ego solus, sed & omnes qui norunt veritatem,

2 *Propter veritatem, quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum.*

2. *Nouemb.* 1576.

VT bonus & fidus pastor non solùm toti gregi, prospicit, sed oues singulas nouit (Ioã.10.) & ne quã amittat, cauet: Ita verbi & Ecclesiæ ministri non in genere modò omnes instituere, sed singulis docendo, monendo, hortando, consolando instare debent, & in eo Christi exemplum sequi. Isa.40. Luc.15. Facit hoc Ioannes, vt eius Epistolæ te-

ſtantur. In priori complexus eſt generalem doctrinam totius Eccleſiæ. Sequuntur duæ priuatæ, vna ad fidelem quandam matronam & eius filios, altera ad C. fratrem ſingularem.

Argumentum huius Epiſtolæ. ¶ Priori illam cum ſuis hortatur ad conſtantiam fidei. Simul autem monet, vt fide non ſolùm glorientur, ſed eius veritatem charitatis Chriſtianæ operibus declarent. Iac.2. Erant enim iam tunc, qui doctrinam fidei adulterabant.1.Ioan.2.4.

Fideles ad monitione aßidua opus habēt. Admonet hoc: ¶ Quàm opus ſit apud fideles inſtare docendo & monendo Si enim viuentibus apoſtolis zizania errorum ſatan auſus eſt ſerere(Mat.13.) quid nunc ſperabimus, quando pleriq; dormiunt? Et ſi Apoſtolis hoc ſtudio opus fuit, quid hodie fieri oportet, quando palàm regnant ij de quibus olim Chriſtus & Apoſtoli præmonuerunt. Matth.24. Luc.18 2. Pet.2.2.Theſſal.2. 1.Tim.4.&c.

Faciant ergo miniſtri officium, & ſimul eorum laboribus faueant qui Chriſtiani dici volunt, neq; maiorē mundi quàm gloriæ Dei rationem habeant. Iac.4. Gal.1.

Sed videamus inſcriptionem, quæ duabus partibus conſtat.

I. Author. Vbi præter morem omittitur nomen

nomen propriū, sed Ioan. esse dictio & sententiæ satis probant. Et seniorē se dicit, quo nomine satis notus erat ijs, quib⁹ scribebat.

Interim hic obseruabis: ¶ Officij nomen fuisse. Dicebantur enim seniores partim ipsi pastores ecclesiæ, partim qui cum his eam administrabant, vt apparet Act.14.1.Tim.5. Tit.1. Et Petrus se quoq; Seniorem dicit. 1. Pet.5. Ratio nominis erat, non quòd non nisi senes admitterentur (fuit enim Timotheus iuuenis, 1. Tim.5.) sed quòd Patrum instar essent propter ministerium regenerationis (1. Corinth. 4.) & quòd tales senili prudentia & grauitate morum cæteris prę-stare oportet. *Senior vel presbyter quid?*

Pertinet idem titulus ad Reipub. præsides, quos Hebræi similiter Seniores dicunt (Ruth.4.1. Reg.21.) Latini Senatores, & P. C. Et prodest, vt vtriq; sui nominis & conditionis sæpe recordentur: Vt item populus quoque memor sciat, in quo pretio illos debeat habere. *Vsus.*

¶ Sed elucet hic nostri seculi corruptio, quando illi quidem ferè leuitati student, & authoritatem suam prostituunt, cuius mali præcipua causa est compotandi studium. Prou.23.20.31. Hos.4. Quòd si qui officiū faciunt seriò, ferè hoc ipso nomine à plerisq; contemnuntur, Mich.2.

Electa. II. Cui scribat? Dominæ electæ & filijs eius. Quæ fuerit incertum est, sed patet fuisse heroinam quandam, quales aliquæ Christo & Apostolis adhæserunt. Lucæ 8.10. Ioan.11.

Sexum fœminem. ¶ Et voluit Dominus hoc ita fieri, vt doceret, se huius quoq; sexus esse seruatorem: quod imprimis demonstrari oportuit. 1. Timoth.2. Ideo resurrectionis quoq; testes fecit, Luc.23.24.

SED interserit, quibus sibi beneuolentiam paret.

¶ 1. Quos diligo in veritate, ne q; ego solus, &c. Ergo ne fallatis spem tantam. Ita verò exprimit proprium charitatis, quæ ab omni simulatione aliena est. 1. Timoth.1. 1. Pet.1. Obseruent qui verbis modò diligunt, 1. Ioan.3. Iac.2.

Dilectionis causa vera. ¶ 2. Propter veritatem. Addit hoc, ne priuati commodi studio diligere putetur. Exprimitur vera & propria causa dilectionis Christianæ. Filij huius seculi diligũt etiam, sed propter alia, &c. & ideo eorum dilectio non est stabilis. Christiani diligunt propter veritatem, id est, propter Christum, in quo veritas est omnium promissionum. 2. Cor. 1. Ioan.1. In hoc enim & Deo reconciliati, & ipsi inter se fratres facti sunt. 1. Cor. 12. Quales er-

les ergo qui propter veritatem oderunt. Ioan. 18.

¶ 3. Veritas nobiscum erit in æternum. Sunt qui veritatem cœperunt amare: sed quando tyrannos vident, & multos deficere, incipiunt timere. Vt ergo hos consoletur, hoc adiecit. Vt enim veritas per se æterna est, ita neminē ipsa deserit. Christi enim promissio est, Ioan 14. Matth. 28. Hinc illud Pauli 1 Tim. 3.

Ergo qui falli nolunt, in Ecclesia & Euangelij veritate maneant. Oremus.

HOMILIA. II.

3 *Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Domino Iesu Christo Filio Patris, cum veritate & charitate.*

4 *Gauisus sum valde quòd inuenerim ex filijs tuis qui integrè incedant, sicut mandatum accepimus à Patre.*

D. Ioannes hoc epistolio heroinam quandam & eius filios, qui Christū amplexi erant, ad fidei constantiam hortatur, simulq; monet, vt nō solum glorientur fide, sed huius veritatem charitate decla-

Vsus huius epistolæ. rent. Quia autem Christus constantiam similiter à suis omnibus requirit (Luc.9.Matthæi 24.)nobis etiam hoc epistolium hodie seruit:& insuper admonemur, vt ipsi quoq; inter pericula alij alios confirmemus. Et hic omnibus animum addat, quod Apostolus nuper est testatus, Veritatem in nobis perpetuò mansuram esse. Est hæc ipse Christus (Ioan.14.) qui vt sibijpsi semper constat (Hebr.13.)ita suos non relinquit, Matth.28. Nam spiritum dat, qui manet,&c.Ioan.14. Quoad ergo nos non deficimus,non est periculum,quod ipse nos deserat. Sequitur,

I.Apostolica salutatio. Est hic vetus mos, vt sicut primo congressu amicos salutamus, ita literas quoq; ab eo exordiamur. Et quia hoc est charitatis, officiũ & amorem conciliat,Christus hoc ab Apostolis quoq; voluit obseruari.Matth.10.Luc.10. Et fuerunt in eo diligentissimi.

Salutationum Apostolicarum & vulgarium differentia. ¶ Differunt autem Apostolicæ salutationes à vulgaribus. Hæ significationem modò habent animi beneuoli : illis autem denunciantur quæ Christus nobis meruit, & quæ verè percipiunt omnes qui Apostolorum doctrinæ credunt. Matth.10.

Vsus. Pertinet hoc ad eos etiam, qui epistolas illorum dignè audiunt. Debent ergo hæ salutatio-

lutationes nobis consolationē afferre. Quia enim Christi testes sunt (Ioan. 15. Act. 1.) ratum erit quicquid illi pollicentur. Mar. 16.

¶ Vtuntur autem ferè eadem formula, in qua hæc nota.

¶ 1. Quæ verè bona sint, quę alij alijs precari, & pro quibus omnes debent laborare? Nimirum non quæ mundus admiratur, sed quæ precantur Apostoli. *Verè bona.*

1. Gratia. Significat hæc fauorem Dei, quo hic nos nihil huius meritos prosequitur. Quoad nos enim sumus filij irę. Rom. 3. 5. Opus igitur gratuito fauore: quia sine hoc miserrimi sumus, & vbiq; terrores nobis occursant.

2. Misericordia, quæ fauoris huius causa est. Quia enim nostri miseretur Deus, nos suo fauore dignatur. Vide Ezech. 16. Ps. 103.

3. Pax, quæ hinc sequitur. Hebræi sub hac omnem incolumitatem comprehendunt, in primis tamen intelligitur pax conscientiæ apud Deum, Rom. 5. Phil. 4. Hæc vera bona sunt quæ debent quæri. Sed hic elucet nostra vitiositas.

¶ 2. Per quem ista obtinentur? Per vnum Christum. Matth. 3. 17. Luc. 2. At in præsenti ab hoc ista promittit, & ita eum cum Patre coniungit, vt eiusdem essentiæ & potestatis esse doceat. Plura de hoc Ioan. 1. *Per quē obtineantur.*

Quomodo? ¶3. Modum, In veritate & charitate, id est, cum vera cognitione, quam charitas comitetur. Apostoli enim non docent implicitè credere, sed volunt nos omnium certos esse, secundum illud, Ioan. 17. Hinc Petrus, Ioan. 6. Vide item 1. Ioan. 1. Scientia autem hæc confirmata per fidem parit charitatem. Gal. 5. Ex qua discipuli Christi agnoscuntur. Ioan. 13. Matth. 25.

II. Exorditur à gratulatione, qua suum erga illos animum amplius declarat, vt magis beneuolos reddat. Ita ferè Paulus Roman. 1. 1. Cor. 1. Col. 1. &c.

Piorum gaudia. Sed NOTA. ¶1. Quibus rebus pij gaudere debeant? Si veritatem propagari, & in hac multos ambulare videant. Debet enim nobis ante omnia curæ esse gloria Dei, deinde salus proximi. Proba ex Deut. 6. Leuit. 19. Luc. 10. Vtrumq; autem promouetur, si multi veritatem norint, & in ea ambulant. Hinc vota illa Dauidis, Ps. 22 69. &c.

Vide quales censeri debeant, qui mundi gaudijs immersi ista negligunt, neque etiam contristantur Ecclesiarum dissipatione.

¶2. Quòd eos ambulasse dicit in veritate. Norunt multi veritatem, & ea etiam gloriantur: sed non ambulant in ea: & hi grauius vapulant. Luc. 12.

In ve-

In veritate autem ambulant, qui sua omnia instituunt ex fide secundum regulam præceptorum Dei. Huc pertinent Deuteronom.4.5.6.Et ideo hic addit:Sicut præceptum accepimus à Patre. Non dicit, Ab hoc aut illo, &c. Quia enim omnis homo mendax,non ambulant in veritate, nisi qui Deum audiunt. Is nobis doctorem dedit Filium,Ioan.1.Matth.17. *In veritate qui ambulent.*

¶ Arguuntur hic partim prophani, qui fidei prætextu ad licentiam abutuntur: partim superstitiosi, qui religionem metiuntur ex hominum placitis.Isa.vigesimo-nono, Matthæi decimoquinto. Veræ oues Christi vnius vocem audiunt,Ioannis decimo.Oremus.

HOMILIA III.

5 *Et nunc rogo te, domina,non vt mandatum nouum scribens tibi, sed quòd habuimus à principio, vt diligamus alij alios.*

6 *Hæc autem est charitas, vt incedamus secundum doctrinam eius.*

QVoniam Christus Apostolos suæ ecclesię œconomos fecit(1.Cor.4.)

ſtudent ijdem, vt non ſolum nouos quotidie diſcipulos quærant, ſed vt iam quæſitos ſeruent, neq; eos alicuius laboris piget. Exemplum huius ſtudij hoc epiſtolio præbet Ioannes, cui non graue fuit ad fœminam & eius filios ſcribere, & de ijs admonere, quæ tunc cognitu & obſeruatu erant neceſſaria. Vtq; magis moueat, initio omnia adhibet, quibus ſibi beneuolos reddat. Inter quæ poſtremum fuit, quòd ſe gauiſum dixit ipſorũ fide & obedientia. Vbi didicimus, quæ nobis gaudij cauſa eſſe debeat.

I. Status epiſtolæ: Rogo te domina, &c. Mandare poterat, ſed rogat, &c. Et dominã dicit, quæ erat ſoror in Chriſto. Sed etſi fideles alij alios pro talibus agnoſcant, non obſtat tamẽ hoc, quò minus titulis vtantur vulgò receptis. Sic Lucas, Cap. I. Et præceptum Pauli eſt, vt alij alios honore præueniant. Rom. 12. Minimè ergo audiendi Anabaptiſtæ, qui fraternitatis prætextu ad contemptum abutuntur.

Titulorũ vſus non illicitus.

Porrò ſumma eſt, Diligamus nos mutuò. Et quia ferè exoſa ſunt in religione, quæ noua ſunt, proteſtatur, ſe non aliud quàm vetus præceptum afferre, quod Chriſtus initio dederit.

¶ Obſeruemus autem quòd de fidei obedientia

dientia & perseuerantia in hac dicturus, à dilectione orditur. Familiare hoc Ioanni. *A dilectione cur incipiat.*

1. Quia Deus vult cultores spontaneos habere, qui nō seruili metu vrgeantur. Ps. 110. Rom. 8. At tales facit charitas, 1. Ioan. 4. Id verò non abolet disciplinam. Etsi enim ea non opus habeant, qui spiritu Dei ducuntur, propter alios tamen adhibenda, & sunt quos cogi oportet. Luc. 14.

2. Quia charitas est legis impletio. Rō. 13. Id verò Dei bonitatatem cōmendat, qui nō alijs præceptis grauat, quàm quæ per charitatem præstantur, qua nihil vtilius, suauius, & quæ alia nobis leuia reddit. Inexcusabiles ergo qui non obediunt.

Opus ergo videre: ¶ 1. Quid sit dilectio? Propensio animi, qua bene volumus alicui, nō nostri, sed ipsius causa. Est ergo sedes dilectionis animus, qui omniū studiorū & volūtatis fons est. Mat. 15. Nō ergo diligūt, qui etsi nō noceāt, tamē oderūt, malè volūt, &c. Itē q sui cōmodi causa bene volūt, Matth. 5. *Dilectio quid.*

¶ 2. Quibus datum sit hoc præceptum? In Lege omnibus loquitur Deus, Deuteronom. 6. Leuit. 19. Christus quoque Ioannis 13. Nemo igitur excipitur. Arguuntur, qui charitatem ab alijs exigunt, se verò exemptos putant propter egestatem, *A quibus requiratur*

& ferè inuident opulentioribus. Qui enim iubet benefacere, idem iubet nemini inuidere, vnicuiq; reddere quod suum est (Rom. 13.) gratum esse benefactori, neminem item grauare. Eph. 4. 2. Thess. 3. 1. Tim. 5. &c.

Qui diligendi.

¶ 3. Quis diligi debeat? Proximus, id est, quiuis obuius nostræ opis egens. Luc. 10, Sumus omnes ὁμοιοπαθεῖς, & alij alijs opus habemus vt membra. 1. Cor. 12. Minimè ergo admitti debent odiosa personarum aut gentium discrimina. Col. 3.

Quomodo.

¶ 4 Modus, Vt teipsum. Non potest igitur ignorantia prætexi. Nemo sibijpsi inuidet, nemo carnem suam odit, Eph. 5. Dolemus nostris malis, nobis consultum volumus, non fatigamur nosipsos amando, & nobisipsis facilè ignoscimus. HEc omnia Ioannes in præsenti comprehendit.

II. At sunt qui cum dilectionis legem facilè negligant, quando de suis priuatis commodis agitur, illam verò prætexunt, quando de religione controuertitur. Ideo addit Ioannes: Et hæc est charitas, vt ambulemus secundùm præceptum eius. Quasi diceret; Quando charitatem exigo, nolim indulgentiores esse, qui sui erga Deum officij obliuiscantur. Obedientia enim charitatis veræ indicium est. Simile patris & filij. Mal. 1. Ita Christus Ioan. 14. 15. Vbi

Vbi NOTA. ¶. Quod sit præceptum hoc magnum? Vide Deuter. 6. Mar. 12. Primum locum Deus sibi apud nos vendicat, vt cui nosipsos & nostra omnia debemus. Comprehendit hoc fidem in vnum Deum per Christum, &c. Ioan. 17. 1. Ioan. 3. Obedientiam in alijs quoque. Rom. 6. 12. Dilectionem fraternam. *Præceptum magnum.*

HÆC doctrina vetus, & religio vetustissima est. Huic ergo studeamus, & in eadem simus constantes. Oremus.

HOMILIA. IIII.

6 *Hæc est doctrina, vt sicut audistis à principio,* (ita) *in eo ambuletis.*

7 *Nam multi impostores ingreßi sunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carne. Qui est eiusmodi, impostor est, & antichristus.*

IOannes heroniam, cui scribit, ad perseuerantiam in fide & eius obedientiam hortaturus, non temere à dilectione orditur. 1. Quia per hanc lex impletur. (Rom. 13.) & nisi huic studeamus, alia omnia non prosunt. 1. Corinth. 13. 2. Voluntarios facit.

(Psal.110.)& leuia reddit quæ carni sunt difficilia. Et hæc causa est, ob quam Christus eam commendat.Ioan.13.14.

¶. Quia autem multi sub charitatis prætextu in hominum gratiam in fidem & religionem peccant,docuit nuper de charitate ea se loqui,cuius regula sit præceptumDei, hoc nimirum,de quoDominus Mar.12. Vbi cùm Deus primas partes sibi vendicet, constat eam modò dilectionem probari, quę ex fide manat.Id nunc exponit.

I. Hoc est præceptum,sicut audiuistis, &c.Rursus declinat nouitatis suspicionem, quæ in religione omnino vitanda est. Gal. 1. Temerarij nimis, qui sibi quiduis licere putant. Ijs insistamus,quæ tradita sunt ab initio.

Quæ sit doctrina ab initio tradita.

¶. 1. Quid verò hoc est? Vide Gen.3. Ponam inimitias,&c. Redemptionem promittit per semen mulieris, & ita simul in hoc sperare iubet. At si hoc quæras,solum Christū inuenies,qui sic natᵒest,vt ita possit dici.Vide Luc.1.Matth.1. Hoc Dei mandatum Adam filijs suis tradidit, vt in Abele apparet,Hebr.11. Idem à diluuio instauratum cum patriarchis,Genes.12.17.22.26.&c. Ad hunc Moses & Prophetæ remittunt. Ioan. 5.Luc.24.Actor.3.1.Pet.1.Ioannes Baptista,

Ioan.

Ioan.13.Christus ad se vnum vocat.Matth. 11.Ioannis 7.4. 14.Marc.16. Apostoli Actorum.4.

¶. 2. Quòd subinde inculcat, vt in hoc praecepto ambulemus. Non enim sufficit fidem profiteri, nisi eadem vita testemur. Matth.7.Id in primis fit, si charitati studeamus,Dei nimirum & proximi. Per hanc agit fides,Galat.5. Ex hac igitur Christi germanos discipulos agnosce. Ioannis decimo tertio. *In hoc ambulandum.*

II. Causam reddit, cur de eo admoneat: Quia multi seductores ingressi sunt in mundum,&c.

NOTA. ¶. Scripturam passim non solùm veritatem obiter tradere, sed insuper de seductoribus admonere. Moses,Deuter. 13.Prophetae Isa.3.28.56.Christus,Matth. 7 15.23.Ioan.10.Apostoli hîc,& 1. Ioan.2.4. 2.Pet.2.Actor.20. 1. Timoth.4.2.Timoth.3. 2.Thess.2. *Scriptura sacra passim de seductoribus admonet.*

Causa, quia tales semper erunt,satana eos excitante.Matth.13. Deinde,quia homines natura mendaces sunt (Psalm.116.) & se talibus propinant. Falluntur, qui hodie eiusmodi admonitiones putant superuacaneas.2.Tim.4. *Cur.*

III. Docet,qui illi sint: Qui non faten-

Christus. tur,&c. Sic loquitur propter eius sæculi impostores, & simul hac locutione comprehendit totum Christi negotium.

1. Quòd ab æterno fuerit.

2. Quod homo factus in carne venerit.Ioan.1. His autem subest causa Incarnationis,de qua iam dictum,

Antichristi ¶. Sed erant tunc,qui in omnibus istis errabant.Alij Deitatem negabant.Alij Incarnationem. Multi eius fructũ exinaniebant, cùm illi Legem coniungerent.Acto.15.Gal. 5. Hos omnes dicit seductores & Antichristos, qui scilicet magno illi viam sternant, 2.Thess.2.

¶. Transfer hoc ad nostra tempora. Damnantur Ariani noui.Ioan. 5. Eutychiani & Vbiquarij.Iustitiarij.Rom. 10. Omnes Antichristi spiritu aguntur.

¶. In summa, fidem antiquissimã esse, qui Christo vni nititur.Apoc. 13. 1.Cor.10. Huic ergo constanter inhæreamus.Ioan.6. Eandem verò referamus syncera dilectione & obedientia.Matth.5.Oremus.

HOMILIA V.

8 *Attendite vobis ipsis, ne perdamus quæ operati sumus,sed vt mercedem plenam*

plenam recipiamus.

9 *Quisquis transgreditur, nec manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui manet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet.*

QVàmuis Ioannes heroinæ, cui scribit, & filiorum eius fidem atq; conuersationem Christianam initiò commendarit, eosdem tamen ad perseuerantiam grauiter hortatur: Nimirum quòd sciret, quam facilè ad deteriora relabamur.

Vsus autem est hucusque argumentis duobus. 1. Doctrinã de fide in Christum esse antiquissimã, Gen. 3. & proinde turpe esse, ab ea deficere. 2. Periculum esse à falsis doctoribus. Quia autem vtrumque argumentum etiam hodie valet. (Matth. 24. 1. Tim. 4. 2. Pet. 2. 2. Tim. 3. 4.) nobis dici putemus quod illi scribitur.

¶. Sequitur confirmatio, qua docet, agi hîc non de re leuicula, sed animarum salute, & proinde studio opus esse.

Proponit, Cauete vobisipsis, &c. Vt mercenario non satis est, si aliquot horis in opere sit, sed totum diem duret oportet, si mercedem velit plenam recipere: Ita qui per fidem opus Dei aggressi sunt, nihil profici- *Constantia opus esse Christianis*

ent, nisi in eo constantes sint. Matthæi 24. Luc. 9. 2. Timoth. 2. Imò qui nõ perstant, ij, quod iam acquisiuere, amittunt, & fiunt postrema eorum peiora primis. Matth. 12. 2. Pet. 2.

. Debet hoc etiam in vitæ emendatione obseruari. Ezech. 18. Vide Niniuitas, Ioan. 3. Nahum. 1. Item Hos. 6.

Iterim NOTA. ¶. Mercedis vocabulũ quo Christus etiam vtitur Matth. 6. 20. Ex eo enim aliqui meritum astruunt, & ex contrario etiam argumentantur: Malis operibus meremur mortem: ergo bonis vitam.

Contra meritum bonorum operum.

Sed obseruemus. 1. Nos quicquid boni facimus, ex officio facere, & proinde Deũ nihil nobis debere, &c. Luc. 17.

2. Inter opus & mercedem oportere esse æquiparationem. Atqui hîc nulla est. Rõ. 8. Isa. 64. 1. Cor. 2.

3. Vitam æternam esse hæreditatem, quæ non nisi filijs debetur. Tales autem simus sola fide ex gratia. Ioan. 1.

4. Alia est operum malorum ratio quã bonorum. Illa ex nobis facimus, bona non item. Ioan. 15. 2. Corinth. 3. Illa item perfectè mala sunt, & quoduis per se mortem meretur. Deut. 27. Bonis semper aliqua labes concurrit. Isa. 64.

¶. Cur

¶. Cur ergo mercedis vocabulo v-
itur Spiritus sanctus? Vt se nobis accom-
nodet, qui præmijs ducimur, & ijs occur-
at, qui negant Deũ nostra opera curare. I-
em vt Dei paternam bonitatem nobis
commendet, qui suum opus in nobis co-
onat.

Cur ergo mercedis meminit?

Sed minis & promissionibus confirmat
Ioannes quod dixit.

I. Omnis qui transgreditur, & non ma
net, &c. Coniungit duo hæc, vt transgresso-
es esse doceat eos, qui non simpliciter per
tant in Christi doctrina. Quid verò mina-
ur? Quòd non habeant Deum. Nihil pote-
at grauius dici. Quia Deus boni omnis
ons est. (Matth. 19.) qui hoc caret, ab omni
bono excidit. At Deum non possumus ha-
bere absque Christo. Vide Ioan. 14. Vbi ve-
rò non habet locum Deus, ibi satan re-
gnat.

Inconstantes in doctrina.

¶. Quales ergo censendi, qui non mo-
dò non manent in Christi doctrina, sed ean-
dem persequuntur? Hi non solùm sunt abs-
que Deo, sed hostes Dei sunt. Vide Ioan. 5.
Actor. 9.

Persequutores.

II. Qui manet in doctrina Christi, &c.
d verò ex ore Christi sumit. Ioan. 14. Est
æc summa in aduersis consolatio. Rom. 8.

Nam etsi aliquando videatur diuersum, tamen spiritu confirmantur, & experiuntur quod dicitur, Rom.5.

Beatitudinis consequendæ ratio.

In his NOTA. ¶. Beatitudinis consequendæ rationem. Disputarunt de hac omnes philosophi. Sed in eo consistit, vt Deo coniungamur omnis boni fonti. Fit hoc, si Christum amplexi in eius doctrina maneamus, quæ sola verbum vitæ æternæ est. Ioan.6. Est hæc certa & expedita. Roman.10. Deut.30. Docet fidem in Christum. Ioan.6. Charitatē & vitæ puritatē. Ioan.15.15. Qui his student, ij in eius doctrina manent, & beati sunt. Mar.16. Ioan.5.

¶. Ista monent, vnde nostri sæculi calamitates sint? Plerique doctrinam istam negligunt. Multi hostiliter persequuntur. Alij quod profitentur ore, factis negant. Tit.1. Punit ergo Deus. Ista emendemus, constantes simus & Oremus.

HOMILIA. VI.

10 *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec Aue ei dicite.*

11 *Qui enim dicit ei Aue, communicat operibus eius malis.*

12 *Quum*

12 *Quum multa haberem vobis scribenda, nolui per chartam, & atramentum: sed spero me venturum ad vos, & præsentem præsentibus loquuturum, vt gaudium nostrum sit completum.*
13 *Salutant te filij sororis tuæ electæ: Amen.*

VT syncera verbi doctrina veram Christi cognitionem & eam fidem tradit, per quam Deo reconciliati seruamur: ita falsę hominum traditiones mysteriũ Christi obscurant, & ab hoc abducunt, vt salutis in eo participes non posimus fieri. Hæc causa est, quod dum hac epistola Ioannes eam, cui scribit, ad fidei constantiá hortatur, tam diligenter de doctrina admonet. Et vt magis moueat, docuit nuper quid eos maneat, qui non manent in Christi doctrina? Nimirum quòd sese alienent à Deo. E contra eos qui maneant, Patrem & Filum habere. Ioan. 14.

HIS subijcit, quam seriò Christiani sibi cauere debeant.

I. Si quis venit, &c. Grauis admonitio, & necessaria. Si enim obiter agatur de falsa doctrina, omnes hanc cauendam esse faten-

tur. At à falsis doctorib⁹ nõ omnes perinde ab horrent. Itaq; fit eis quod dicitur Ec. 13.

Quos iubeat arcere domo.

Interim ne putes omnibus renuntiandum esse, qui non idem tecum sentiunt & credunt, NOTA.

¶. 1. De quibus loquatur? De doctoribus & expressè ait, Qui non affert hanc, &c. Quam? Christi, de qua nuper & ipse Ioan. 7. Ea est Euangeliũ vel verbũ fidei, Rom. 10. quo docetur.

Vera doctrina.

1. Fides in vnum Christum, (Ioan. 6.) qualem prædicarunt Apostoli. Ioan. 17. At hi non historiam modò prædicarunt, sed in illo vno omnem saluté monstrarunt. 1. Cor. 1. 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2. Actor. 4.

2. Cultus ratio, quæ spiritu constat, &c. Ioan. 4. 3. Vitæ officia, quæ partim dilectione continentur. (Ioan. 13. 15.) partim sanctimonia. 1. Thess. 4. Heb. 12. Tit. 3. Rom. 12. Qui ab hac doctrina quid diuersum tradunt, anathema sunt (Gal. 1.) & eos Ioannes reijcit.

Quomodo cauendi pseudoprophetæ.

¶. 2. Quid cum talibus agendum? Ne receperitis in domum. Familiaritaté & consuetudinem prohibet. Ne dixeritis Aue: Omnem amoris significationem vetat. Quia non debent verè amari, simulatio autem à Christianis etiam debet esse aliena.

Ita

Ita verò eos confutat, qui eiusmodi consortia excusant charitatis prætextu, & abutuntur præcepto Christi. Matth. 5. At de nostris hostibus illic loquitur, nõ de suis. Sunt aũt hostes Christi, quicunq; nos ab eo auocant, & ijs renuntiandũ etsi fuerint parẽtes, fratres, &c. Matth. 10. Luc. 14. Simile vxoris. Multò magis, si insuper Ecclesiam turbent falsa doctrina. Tales puniri debẽt, Deut. 13. Zach. 13. Si cesset magistratus, singuli faciãt quod hic iubemur. Vide Dauidẽ. Psal. 139. 16. *Contra obiectionẽ ex Matth. 5.*

¶. 3. Reddit causam tam seueri præcepti. Vbi poterat adducere periculum seductionis. Psal. 116. 2. Tim. 2. Sed quia cũ ijs agit, qui se ita instructos putãt, vt seduci nõ posint, aliã adducit: Qui dicit Aue, &c. Quasi diceret: Esto, non seducaris, attamen qui talibus familiariter conuersatur, is eorum malis operibus communicat. *Reddit causam.*

1. Tacendo & dissimilando.
2. Ipsos confirmando in errore, & superstitione.
3. Alios offendendo. 1. Cor. 8. 10. &c.

Hæc obseruant qui Anabaptistas fouent. Item monachorũ conuiuæ, quibus ferè accidit quod Petro ad Caiaphæ prunas sedenti. Matth. 26.

II. Concludit, & excusat breuitatẽ: Quod

noluerit ſcribere atramento & charta, ſed ipſe breui venturus ſit,&c. Et ſanè fruſtra habetur verbum Dei in libris, niſi cordibus inhæreat.Ier.31.

¶. Obſeruemus autem, cur Apoſtoli aliquando Eccleſias inuiſerint? Non vt pecunias colligerent,vt Stationarij,&c. vel vt in verba ſua iurare cogerent, ſed vt vnà cũ illis gauderent in Chriſto Vide exempla, Actor.14.15.Item Rom.1.De hoc erat laborandum Epiſcopis.

III. Salutem dicit ex nepotibus.Ita ſolent Apoſtoli,& ſeruádus hîc mos,ne omittamus ea, quæ charitati & amicitijs ſeruandis poſſunt ſeruire.

¶. Vidimus autem in hoc epiſtolio,quę ſit Chriſti doctrina,quę eius dignitas:Quid item conſequantur, qui in ea conſtantes perſeuerant. Caueamus ergo impoſtores, & quia hodie immane furit Antichriſtus, vt Deus publicè Eccleſias, & priuatim ſingulos ſeruet atq; cõfirmet, Oremus.

7. Decemb. 1576.

IN D. IOANNIS APOSTOLI EPISTOLAM TERtiam D. Rodolphi Gualtheri Ministri Ecclesiæ Tigurinæ Homiliarum syluæ vel archetypi.

HOMILIA I.

Senior Caio dilecto, quem ego verè diligo.
2 Dilecte, in primis opto, vt prospere agas & valeas, sicut prospere agit anima tua.

14. Decemb. 1576.



CAIVS iste, cui hoc epistoliū Ioan. scripsit, Corinth. fuit, vir diues, quē Paulus non suum modò, sed totius Ecclesiæ hospitem dicit: nimirum quòd fratres exules reciperet, foueret, deduceret, & omni officio prosequeretur. 1. Cor. 1. Rom. 16. Habuit autem aduersarium Diotreph. qui non contentus fratres neglexisse, insuper ijs molestus erat, qui eos fouebant. Itaque scribit Caio Ioan-

nes & studium eius commendat, vtque in eo pergat hortatur.

Fidelium sors in hoc seculo. Interim NOTA. ¶. Sortem fidelium in hoc sæculo. Quia eos Christus ex mundo elegit, (Ioan. 15.) & ijdem penes se habent lucem veritatis, odit eos mundus. Ioan. 3. 2. Timoth. 3. Hinc fit, quòd alij eos hostiliter persequuntur, alij calumniantur & alijs inuisos faciunt: imò eorum fautoribus obtrectant. At neminem offendat hoc. Nec enim suis deest Deus, & idem vtique nutricios dat. Talis olim Abdias. 1. Regum 18. Abdemelech, Ierem. 38. Apostolis quoque nihil defuit. Luc. 22. Ecclesiæ primitiuæ, Actor. 4. Ex his pij consolationem petant, vt ne dubitent de promissionibus Matt. 6. Psa. 147. Lucæ duodecimo, Psal. 37. Marci decimo.

HIS præmissis videamus locum præsentem.

I. Inscriptio authorem indicat, & eum, cui scripta est. Quoad Authorem dicit se Seniorem, ex officio nimirum, &c. De Caio iam diximus. Addit, Quem diligo in veritate.

Charitas vera. ¶. Obseruemus hoc in charitate. Debet enim ad Christi exemplum componi. Ioan. 13. 15. Hic vt veritas est & omnis

doli

doli expers, Isa. 53. Ita nos in veritate dilexit, vt se pro nobis daret. (Galat. 2.) neque suorum vnquam obliuiscitur. Isa. 49. Debemus ergo & nos charitati studere ἀνυπόκριτον. 1. Tim. 1.

Arguuntur, qui sui commodi gratia diligunt, & non nisi verbis. Vide primam Ioannis tertio.

II. Salutatio, quæ variat à communi formula, sed non à sensu. Quod alibi per gratiam & pacem exprimit, id in præsenti: Opto te sicut anima, &c. Sensus, vt sit mens sana in corpore sano, &c.

NOTA. ¶. Quòd potissimum animæ meminit, & huius incolumitatem vult reliquæ fortunæ regulam esse. Causa, quòd si anima malè habeat, nihil iuuant vires & valetudo bona, nihil honores, clientes, opes, &c. Quin his omnibus abutitur homo. Nec redimi potest amissa animæ salus. Matth. decimo sexto. Bene habet autem anima, si cum Deo sit coniuncta, in quo vno acquiescit.

Salus hominis ex animo pendet.

Est enim natura hominis animus appetentissimus, neque est aliquid in rerum natura, quo possit satiari. Vide opes, quæ potius accendunt desiderium, & animum in-

Qui appettissimus est

quietant. 1. Timoth. 6. Eccles. 6. Honores, Vide Saulem, 1. Samuel. 18. 19. &c. Alexandrum Macedon. Iulium. Voluptates, Scientiam. Socratem. Imò cultus omnes, qui absque Dei verbo instituuntur. Ioan. 4. Isa. 29. 55.

In solo Deo est satietas. Psalm. 16. Genes. 17.

Quomodo cum Deo coniungamur.

¶. 2. Quomodo autem huic coniungimur? Fide sola in Christum. Hic enim qui illum nobis placauit. Isa. 42. Matth. 3. 17. 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2. Luc. 2. Hic nobis omnia factus est, vt qui hunc habet, nihil præterea possit desiderare. 1. Corinth. 1. Col. 1. Ioan. 4. 6. Matth. 11. Idem fide sola apprehenditur. Ioan. 6. Et qui ei fidunt, ex fide eundem diligunt, & eidem obediunt. Fit ergo quod promittitur. Ioan. 14. Ex eo nascitur fiducia illa, de qua Rom. 8.

Fides ante omnia comparetur.

¶. 3. Prima igitur fidei cura sit, vt per hanc ante omnia regnum Dei quæramus. Ita nihil nobis deerit. Matth. 6. 1. Tim. 4. Leuit. 26. Deuter. 28. Applicent hoc sibi magistratus publicè. Priuatim singuli. Psal. 127.

calamitatū

¶. Causa omnium clamantium, quòd pleriq; solis corporeis intenti negligunt spiritualia & quæ ad Deū spectant. Ier. 2. Itaq; cum Ioanne Oremus.

HOMI-

HOMILIA. II.

3 *Gauisus sum enim valde quum venissent fratres, & testimonio suo commendassent integritatem tuam, pro vt tu integrè incedis.*

4 *Maius istis gaudium non habeo, quum* (videlicet) *audio filios meos integrè incedere.*

DApostoli epistolas suas hanc ob causam scripserunt, vt eos qui Iesum Christum amplexi erant, in fide confirmarent, & in officio retinerent. Eòdem etiam etiam hæc Ioannis ad Caium debet referri. Quia enim hic non modò ipse crediderat, sed insuper credentes omni officiorum genere prosequebatur, æmulos autem habebat, qui ipsi molestiam faciebant, sedulò hoc agit, vt ipsum confirmet, ne in hoc tam sancto studio deficiat, &c.

Et ne videatur priuatum cõmodum quærere, ita scripsit totam epistolam, vt in singulis partibus sui erga illum studij argumenta præbeat.

Idem in præsenti facit.

I. Exorditur ab eius commendatione, exponens quam laudem iam nunc obtinue-

rit,& quod ipse hoc nomine gaudeat: Gauisus sum valdè,&c. Verba pauca & clara sũt, sed quæ nos de quibusdam necessarijs obseruatu admonent.

¶ 1. Fratrum istorum ingenuitas occurrit. Acceperant beneficium à Caio. Sunt ergo grati,& cum non aliud possint, eius pietatem prędicãt. Nec terrentur eius æmulis.

Gratitudo Imitemur. Charitatis lex est, vt de omnibus bene sentiamus & loquamur. 1. Cor. 13. 1. Pet. 4. Pro. 10. Quantò magis ergo hoc fieri debet, si qui hoc meruerunt? Hic certè lex naturæ id iubet, quę gratitudinis sensum omnibus creaturis inseuit. Isa. 1. Deinde publicum salutis studium, eò quod nullus ad virtutem stimulus efficacior. Viderunt hoc gentes in Repub. Idem ergo obseruandum inter Christianos.

Qui hoc negligunt à natura conuincuntur. Qui insuper calumniantur, diaboli sunt. Iob. 1. 2.

Interim non debet hoc quenquam offendere, vt propterea in officio cesset. Est enim remunerator fidelis Deus, Heb. 11. Etsi omnes fallant, erit iusti memoria cum laude. Psal. 112. Prou. 10. Luc. 10. Exempla passim occurrunt.

¶ Quid isti prædicarunt de Caio? Testati sunt

ſunt de eius veritate,&c. Veritas propriè eſt ipſe Chriſtus.2.Cor.1.Ioan.1.18.In verita te ergo ſunt,qui hunc amplexantur.At Ioã-nes hoc fratrum teſtimonium quaſi expo-nens & confirmans,illum in Veritate ambu lare ait,id eſt Chriſtianũ eſſe reuera, & hoc teſtari totius vitæ conuerſatione.Nec enim ſatis eſt profiteri Chriſtum, ſed hunc referre,& omnia ſecundùm eius præcepta inſti-tuere oportet.Obſeruandum hoc in fide & religione. Vult vt in ſe vnũ credamus.Ioá. 4.14.17.Matth.11.&c.Vt Deum colamus in Spiritu & Veritate.Ioan.4. Id præſtemus reipſa,Ioan.6. Nec ſimus vt de quibus Iſa. 29.In vita item & moribus.Luc.11.Matth.5. Rom.12.Iac.2.&c.

Veritas,et in hac am bu lare.

Arguuntur,qui euangelium profitentur, interim verò vel otioſi torpent, vel etiá ex carnis libidine omnia faciunt. His ſeruit quod habetur Matth.7.

II Rationem ſui dicti affert.Maius enim gaudium non habeo,&c. Filios ſuos dicit, qui per ipſum in fide inſtituti & renati erãt. Sic Paulus 1.Cor.4.Gal.4.

¶ Officij admonentur miniſtri, vt patres agant, & profectu credentiũ gaudeant.Hic enim de ipſorũ fide teſtatur;Mat.25.2.Co.3.

Miniſtro-rum offi-cium.

Interim hoc ad ſe alij quoq; transferant. Magiſtratus.Singuli priuatim.Mundus va-

Gaudia mundi. nitatibus gaudet, & ideo gaudia illius non sunt diuturna. Ioannis decimosexto. Item Iob.29.

Piorum. At pij in Domino gaudent, quando multos ad hunc accedere, in fide proficere, & ita illius gloriam propagari vident. Ita Angelos referunt (Lucæ 15.) & gaudebunt æternum.

¶ Hæc si nostro seculo accommodes, videbis, quàm ampla sit dolendi causa. Prædicatur quidem Euangelium, & hoc multi profitentur. Sed qui secundum hoc ambulent, pauci sunt. E contra multi deficiunt & mundum sequuntur. Alibi Ecclesiæ euertuntur. His dolere debebamus, vt Loth. 2. Pet. 2. Paulus. 2. Cor. 11. Sed pleriq; ludunt, perpotant, & fit quod prædictum Matth. 24. Sed veniet Dominus. Vigilemus ergo & Oremus.

HOMILIA III.

5 *Dilecte, fideliter agis quicquid facis erga fratres & erga peregrinos.*

6 *Qui testimonio suo commendarunt charitatem tuam in conspectu Ecclesiæ: quos rectè facies si prosequutus fueris vt Deo dignum est.*

7 *Nam pro nomine eius profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus.*

8 *Nos ergo debemus recipere huiusmodi, vt administri simus veritati.*

IOannes hoc breui epistolio Cai in fratres beneficentiam celebrat, & ne propter aliquorum calumnias in hoc studio deficiat, hortatur. Id verò sic facit, vt in eius exemplo perfectam hominis Christiani formam proponat. *Christiani hominis forma.*

1. Veritatem illi tribuit, quę Christus est. Ea opus ante omnia, quia sine illa nihil proficitur, Ioan. 17.

2. Quòd in veritate ambulet, laudat. Nec enim sufficit illius cognitio, nisi reipsa præstemus quod veritatis verbo iubemur. Luc. 11. Matth. 7.

Quia autem inter ea primas tenet charitas (Roman. 13.) cuius exemplum singulare præbuit, nunc de hac diligentius agit.

I. Laudat quod hactenus fecit. Ne tamen adulari putetur, paucis rem agit. Imitandum hoc in amicorum & benè meritorum laudibus.

NOTA. ¶ 1. Quomodo nominet opus eius: πιστὸν, id est opus fidei, & quòd fidelem deceat. Obseruemus hoc in beneficentia. *Beneficentia ex fide fiat.*

Sunt enim qui huic videntur ſtudere,& pro digi quoq; ſunt. Sed quia non ex fide faciũt, ne charitas quidem eis ineſt,& proinde peccatum eſt, quicquid faciunt, Rom.14.1. Cor. 13. Fidei ergo prima cura ſit.&c.Mat.6.

Peregrini fratres.

¶ 2. Quibus benefecerit: fratribus: ſed coniungit his hoſpites. Ita oſtendit peregrinitatem non obeſſe, quò minus nobis fratres ſint, qui eundem nobiſcum Chriſtũ profitentur. Vt enim huius regnum ad omnes gentes extenditur (Pſalm.2.72. Iſa.60.) ita in eodem non eſt diſcrimen gentis aut perſonæ. Col.3. Gal.3. Acto.10. Imò nulla eſt tam arcta fraternitas, quàm quæ in Chriſto intercedit, Eph.4.

Arguuntur, qui propter gentem aliquos oderunt, aut ſaltem putant peregrinos impunè negligi poſſe. Atqui hi præ alijs commendantur, Ex.22. Heb.13. Luc.10. Vnde illud cognouerit, docet.

Gratitudo

¶ 3. Quod iſti acceptum beneficium prædicarunt. Commendatur eorum ingenuitas & gratitudo, quæ iuſtitiæ pars eſt. Et certè beneficio indigni ſunt, qui accepta vel diſsimulant, vel etiam omninò negant, vel rependunt calumnijs. Eſt hoc nimis vulgare, cùm apud eos, quibus propter luxum nihil ſatis eſt, tum apud pauperes inuidos atque querulos, Act.6.

¶ 2. At

¶2. At simul obserua fructum & præmiũ quod Caius retulit. Prędicarũt olim fratres eius beneficentiam, & hodie adhuc prædicatur in ecclesia. Itaq; in illo impletũ quod promittitur, Ps.112. Is.58. Item Mar.14. *Beneficentiæ fructus.*

¶ Obseruare hoc debebant, qui laudem & gloriam venantur illicitis rationibus, dũ opes quauis ratione corradunt, belligerantur, ædificant, &c. Hos ferè manet quod Sacerdotes cũ agro sanguinis, Mat.27. Hab.2.

II. Hortatur, vt pergat idẽ facere: Quos bene feceris, si deduxeris dignè Deo, id est, vt debẽt deduci, qui Dei ministri sunt. Comprehendit autem deducendi verbo omnia charitatis officia, vt scilicet detur securitas, viaticum, &c. *Prosequit.*

Interserit aũt rationes. 1. Quia honestũ, vt qui Dei cultores sunt, eos iuuent, qui eius nomine egressi sunt, siue in exilium, siue vt prædicẽt. Sunt enim mẽbra nostra, & Christus sibi factũ putabit quod illis fit. Mat.25. Interim distinguit eos ab erroribus. 2. Thess.3.

2. A necessario. Nihil acceperant à gentibus. Nimirũ ne quid petendo, euangeliũ inuisum facerent. At hæc causa est, quòd nunc non habent, vnde viuant.

3. Infert ab vtili. Debemus ergo iuuare tales, vt veritatis cooperarij simus, &c. Ita verò alludit ad promissiones Matt.10.

Quomodo gratis prædicarint Apostoli.

NOTA. ¶ 1. Vt Euangelium propagatum sit Apostolorum tempore? & vt hi gratis prædicarint? Non quòd nefas sit accipere stipendium, Matth.10.1.Cor.9.1.Timoth.5. Sed quia à multis non fuissent admissi, si quid petijssent, cesserunt suo iure. Interim acceperunt ab alijs, secundum Christi exemplum, Luc.8. Et fuerunt pij alij, qui ex suis suppeditabant. Ita Paulus fecit.2.Corinth.11.12.Phil.4. Quia ergo Apostoli suam operam sedulò contulerunt, non de salario potissimum soliciti, ditiores verò suas fortunas impenderunt, factum est, vt Euangelium mirificè sit propagatum.

Corruptio nostri seculi.

¶ 2. Arguunt hæc nostri seculi mores, quando inter ministros prima quæstio est de stipendio. Inter auditores autem non modò de suo nemo confert aliquid, sed quę olim donata sunt Ecclesijs omnes rapiunt, vel saltem inuident. Quid ergo mirum, si nihil proficiamus. Discant omnes, non posse Deo officium acceptius præstari, quàm si veritatis simus cooperarij. Oremus.

HOMILIA IIII.

9 *Scripsi Ecclesiæ, sed qui primatum inter eos ambit Diotrephes, non recipit nos.* 10 *Pro-*

10 *Propterea, si venero, suggeram ipsius facinora quæ facit, verbis improbis garriens in nos: quiq; etiam his nō contentus, neq; ipse recipit fratres, & qui volunt* (recipere) *prohibet, & ex Ecclesia eijcit.*

VT Christus suæ Ecclesiæ & singulis credentibus semper fidos nutritios & tutores dat, qui eos alant, tueantur, excipiant, &c. Isa. 49. Ita habet etiam vbiq; satan suos satellites, qui eos oderunt, persequuntur, spoliant, contumelijs afficiunt. Et inter hos nocentissimi sunt falsi fratres, qui cùm fidem profiteantur, eiusmodi turbas dant. Vtriusq; generis exempla in hoc epistolio Ioannes proponit, sic vt simul doceat, quid cum vtrisq; agendum.

1. In Caio habetur, de quo audiuimus, &c. Hunc laudat magnificè. Ita omninò fieri debet, &c.

2. Opponitur quidam superbus, qui Caio & alijs bonis negotiũ fecit. De hoc in præsenti.

1. Ecclesiæ se scripsisse ait: nimirum Corinth. Rom. 16. 1. Cor. 1. Et videtur de hac ipsa re scripsisse: vt nimirum commendaret Caium, & ecclesiam totam ad simile officiũ hortaretur.

Studium Apostoli imitandū. ¶ Est hoc argumentum magni studij in Apostolo. Quia enim Christus suos iubet fœnerari (Mat.25.) non satis fuit Apostolis aliquos lucrifecisse, nisi indies studerēt plures adijcere, 1.Cor.9. Et requirit hoc ipsum conditio Ecclesiæ, quæ vt ager & vinea opus habet iugi cultura. Qui omissa hac se dedunt alijs studijs, testantur, se nescire, quid sit ministerium.

Scripta sanctorum non omnia extant. ¶ Obseruemus autem quòd epistolæ meminit, quæ nuspiá extat: Nimirū, quòd isti ecclesiæ potissimū seruiret, & cōmodè possemus ea carere. Ita Paul⁹ meminit epistolæ cuiusdá Col.4. Nec scripta omnia habētur. Noluit enim Deus grauare Ecclesiā. Num. 21. Ios. 10. &c. Id verò faciat ad commendationem eorum, qui extant. Nam & à Deo seruati sunt, & sufficiunt. 2. Tim. 3.

II. Opponitur Caio Diotrephes, de quo conqueritur.

Ioannes aduersarium habuit. NOTA. ¶ 1. Ne Ioanni quidem defuisse aduersarium, idq; inter Christianos. At quid hic nō habuit, quod ei posset authoritatem conciliare. Dilectus discipulus Ioan. 13. 19. 20. 21. Christi cōsobrinus. Diutissimè vixit. Inter primos semper, Luc. 8. Matth. 17. Actor. 3. 8. &c.

Sors ecclesiæ. Sed est hæc sors Ecclesiæ perpetua, vt ferè se

rè ſe opponant, qui iuuare debebant. Sic Moſi accidit & Aaroni. Num. 12. 16. Sic Prophetis, 1. Reg. 22. Am. 7. Ier. 28. Sic Chriſtus inter diſcipulos Iudam habuit, Ioan. 6. 13. Apoſtoli ferè experti ſunt. 2. Cor. 11. Et ita prædictum Act. 20. Luc. 2. Ne ergo offendamur hodie, ſed potius nos præparemus.

¶ 2. Qualis iſte fuerit, & quales ferè ſint, qui Apoſtolorum doctrinæ & Eccleſiarum conſtitutioni aduerſantur? *Apoſtolicæ doctrinæ aduerſarij quales.*

¶ A. φιλοπρωτεύων. Ambitionem notat, & videtur ei nomen quoq; affingi ex re. Ita verò indicatur initium omnis mali. Eccleſ. 10. Qui enim tales ſunt, neminem ferunt. Exempla ſunt in Saule, 1. Samuel. 18. 19. 20. &c. Abſolone. 2. Samuel. 15. 16. &c. In hiſtorijs prophanis. In primis in Eccleſia. Arius. Et noſtro tempore nihil plus nocuit, &c. Ideo Chriſtus tam grauiter agit cum Apoſtolis, Matth. 18. 20. Luc. 22. Ioan. 13. Ipſi Apoſtoli. 1. Pet. 4. Phil. 2. *Ambitio.*

¶ B. Garrit aduerſus nos, maledicus nimirum. Conſequens prioris, & proprius fructus ambitionis Nō poſſunt enim iſti emergere, niſi alios deprimant. Id ſi non poſſunt iure, calumniantur. Abſolon. 2. Sam. 15. Saul, &c. Ita hodie de legibus & magiſtratu multi. In primis hoc miniſtris fit. *Maledicentia.*

Pontifices Romani. ¶ C. Non contentus propria inhumanitate aliorum quoq; beneficentiam prohibet, & pios ex Ecclesia eijcit, ne scilicet horum exemplo ipsi arguantur. Ita verò fit ambitio intolerabilis.

Quàm multi verò hodie similes? Quid aliud agunt Pontifices? Volunt primi haberi, 2. Thess. 2. Loquuntur grandia. Dan. 7. 11. Excommunicant cum credentibus ipsos quoq; principes. Nec contenti opes intercepisse ecclesijs, non docent, interim ne alij doceant prohibent. Sunt ergo Diotrephes.

III. Quid cum talibus agendum? Num dissimulat Ioannes, & tacet? Imò queritur priuatim apud Caium. Publicè scribit Ecclesiæ. Minatur coràm grauiora, si veniat.

Quomodo hi tractandi. ¶ Sic agendum cum talibus. Sic prophetæ. Is. 56. Ier. 23. Ezec. 34. Christus ipse Matt. 15. 23. 21. Ioan. 2. Apostoli venturos quoque detexerunt, 1. Tim. 4. 2. Pet. 2. 2. Tim. 3. 2. Thess. 2. Magistratui plus quid mandatum. Deut. 13. Falluntur, qui hodie omnia putant dissimulanda esse. Vigilemus & Oremus.

HOMILIA. V.

11 *Dilecte, ne imiteris quod malũ est, sed quod bonum est, qui benefacit ex Deo est: qui autẽ malè facit, nõ vidit Deũ.*

12 De-

12 *Demetrio testimonium redditũ est ab*
omnibus, & ab ipsa veritate: sed &
nos testimoniũ perhibemus: & nostis
testimonium nostrum verum esse.
13 *Multa possem scribere, sed nolo per a-*
tramentum et calamum tibi scribere.
14 *Spero autẽ fore, vt statim te videam,*
& vt coràm loquamur.
15 *Pax tibi. Salutant te amici, saluta ami*
cos nominatim.

ETsi Ioannes hoc epistolium Caio priuatim inscripserit, eo tamen comprehenditur generalis doctrina, vt qui Christiani dici volunt, benefici sint erga quosuis, maximè erga fratres extorres & egentes. Necessaria doctrina. propter communem fidelium sortem 2. Tim. 3. Matth. 10. Ioan. 16. Ideo pasśim commendatur.

Vt verò melius persuadeat Ioannes, exemplis agit.

1. Cai, quem laudat, & ab alijs quoq; laudari testatur. Laudem ergo referunt benefici. Ps. 112. Is. 58.

2. Diotrephes, quem taxat propter ambitionem, calumnias, inhumanitatem. Ita malè audient semper qui tales sunt.

Quia verò ijdem sępe ab omnibus timen

tur,& fœlices esse videntur, idque multos offendit, nunc isti etiam scandalo medetur.

Aemuleris legit. Alij imiteris.

Zelus quid?

I. Dilecte,ne æmuleris,&c. Zelus vel æmulatio est dolor ex alterius fœlicitate natus,quo fit,vt vel ipsum imitemur, vel etiam impatienter murmuremus.

¶ Iubet ergo,ne quod malum est,æmulemur,vt nimirum vel malos imitemur, vel Deo obloquamur. Quasi dicat : Scio vri pios,quando improbos bene agere,pios affligi vident : sed non est indulgendum huic æmulationi,&c.Sic.Ps.37.

Quid æmulandum.

Estq; admonitio hæc admodum necessaria,quando pijssimi quoq; interdum grauiter tentantur.Vide Ps.73.Ier.12. Impij verò etiam erumpunt in blasphemiam.Mal.3.Tenenda ergo regula, vt non nisi bonum æmulemur.Bonus reuera est solus Deus, Matt, 19.Ab hoc bonum dicitur,quicquid eius ingenio & voluntati conuenit, quodq; nos ei conciliat. Id verò ex eius verbo solo discitur. Itaq; ad hoc examinentur omnia, vtut in hoc seculo res gerantur.Qui secus agunt, ij bonum dicunt malum (Isa.5.)& damnant filios Dei.Vide Ps.73.

Benefici Dei filij sunt.

¶ Rationem adducit ex Dei ingenio: Qui bene facit,ex Deo est, &c. In hoc enim præcipuum est beneficentia.Ps.145.Matt.5. Itaq; qui hanc colunt ex fide vera, Dei filij

ſunt, vtut videantur miſeri eſſe. Qui malè faciunt,non viderunt Deum,id eſt, nihil eis cum hoc eſt commune, etiamſi beatiſsimi dicantur.

Obſeruent qui ex rapto & ſanguine ſuperbiunt,voluptuantur. In lubrico ſtant & breui pereũt,Pſ.73.& 37.Exẽplũ habes Luc.16.

II.Quia Diotrephæ meminerat, qui multis erat timori , opponit huic Demetrium, vt intelligat Caius ſe non ſolum eſſe, ſed alios adhuc inueniri , qui non tanti faciant Diotrephen.

¶ Diligenter autem de eo teſtatur.1.Omnes,&c.2.Ipſa veritas.3.Sed & nos.4. Scitis,&c. Ita verò monet, ne temerè de aliquo teſtemur.Peccatur ſæpe nimia bonitate.Ita autem obtruduntur alijs indigni. Seipſos ſuſpectos reddunt,quod poſtea bonis officit.Huc ergo refer illud Pauli,Manus ne citò,&c.1.Tim.5.

Interim obſerua. ¶ Deum ſemper inuenire quos ſuis coniungat in ſuo miniſterio. Caio additur Demetrius. Sic Moſi Aaron. Ex.4.Alij poſtea, Num.11. Ioſepho Nicod. Mat.27.Ioã.19.PauloBarnab.Sylas,&c.Act. 13. 14. 16. &c. Quid quod ferè vulgo plures ſunt pij,quã putentur? Vide Eliæ tempora. 1.Re.17. 18. Iſtud excitet nos. Arguũtur qui alios accuſant,ipſi ignauiſsimi.

Deus miniſtris ſuis addit coadiutores.

III. Concludit epistolam ijsdem ferè verbis, quibus præcedentem. ¶ 1. Excusat breuitatem. Quod noluerit atraméto rem exequi, sed breui se venturum speret.

Cõmendatur sedulitas Apostolorũ, qui in omnem occasioné semper intenti fuerũt,

Arguuntur Apostolici personati.

Imitentur ministri, Matth. 25.

¶ 2. Salutationes subijcit pro more. Nihil omittendum quod facit ad fouendam dilectionem mutuam & concordiam.

Summa epistolarum Ioannis. Audiuimus omnes Ioannis epistolas, quibus cõprehenditur totus Christianismus. Prima compendium habet doctrinæ Apostolicæ de fide & vitæ Christianæ officio. Secunda hortatur ad constantiam in agnita veritate, sine qua nihil proficitur. Luc. 9. Mat. 24. Postrema charitatem & beneficentiam commendat, ex qua Christiani agnoscuntur. Ioan. 13. Matt. 25. Restat, vt hæc non audiuerimus modò, sed cordibus inscripta gestemus, & vt spiritus virtute viuificata fructus ferant. Id vt fiat, indesinenter Oremus.

11. *Ianuarij* 1577.

IND.

IN D. IVDAE APOSTOLI EPISTOLAM CATHOlicam D. Rodolphi Gualtheri Ministri Ecclesiæ Tigurinæ Homiliarum syluæ vel archetypi.

HOMILIA I.

IVdas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, vocatis, à Deo Patre sanctificatis, & Iesu Christo seruatis:

2 *Misericordia vobis & pax & charitas multiplicetur.*

23. *Nouemb.* 1551.

EXPOSITA est nuper secunda D. Petri epistola, huic eam, quæ Iudæ apostolo inscribitur, subijcere visum est: Partim quidē quod eadē cum Petro tractat: Partim vero quod nostro seculo cum primis seruit.

Author huius scripti Iudas est, non Iscariotes ille proditor, sed Iacobi Alphæi frater. Luc. 6. Idem alibi Lebbæus & cogno- *Author.*

mento Taddæus dictus est. Matth. 10. Mar. 3. Vixit adhuc sub Domitiano, reliquis Apostolis omnibus, vno Ioanne excepto, sublatis. Quare cum in corruptissima tempora incidisset, & quid fururum esset, spiritu prouideret, hanc epistolam scripsit.

Argumentum. Inuehitur in impostores, qui Christianismum professi simpliciores in Dei & religionis contemptum abducere student. Monet pios ne à puritate religionis deficiant, & impostoribus horribilem pœnam prædicit.

Vbique vero D. Petri verbis vtitur, vt videri possit, non aliud facere voluisse, quá vt Petri præmonitiones pijs in memoriam reuocaret.

Cur de moribus nouissimi seculi toties nos moneat Spiritus sanctus. Vbi ¶. NOTA. ¶. Quod peculiarem epistolam de nouissimi seculi moribus conscribi voluit Spiritus sanctus. Poterant sufficientia videri, quæ extant Matth. 24. Luc. 17. 18. 21. 1. Tim. 4. 2. Timoth. 3. 4. 2. Pet, 2. 3. 2. Thess. 2. &c. Et sufficerent quidem hæc, nisi nos eorum obliuionem nobis obrepere pateremur. Crebro ergo repetenda. ¶. Arguuntur qui conciones de his rebus superuacaneas & inutiles putant. Imò nil perinde necessarium.

Inscriptio. Sequitur Inscriptio, quæ hæc habet.

1. No-

I. Nomen authoris, Iudas. Exprimit officium quoque seruus Iesu Christi. Hoc autem titulo Apostolatum comprehendit, vt Paulus Rom.1.Phil.1.&c.

Addit frater Iacobi. Vt maior sit scripti authoritas. Iacobus enim is est, cuius epistola extat, filius Alphæi & Mariæ Cleophæ, quæ soror erat Diuæ Virginis. NOTA.

1. Neminem in Ecclesia loqui vel audiri debere, nisi qui seruus Christi sit. Tales sunt, qui vnius Dei seruitio sese addixerunt, iuxta illud Deut.6.Matth.6.Vides ergo quid de mancipijs ventris & gulæ iudicari oporteat. *Quibus in ecclesia dicendum.*

2. Ministri eorum habeant rationem, quæ authoritatem ipsis conciliare possunt. Quia in ministro ferè ministerium contemnitur.1.Samuel.8.Hinc illa Pauli. Galat 1.2. 1.Corinth.9.2 Corinth.11.12..Absit tamen ambitio,&c. *Authoritate illis opus est.*

II. Quibus scribat? Omnibus vocatis, qui sunt sanctificati Deo Patri, & custoditi in Iesu Christo. Est hæc definitio Christianorum, in qua NOTA.

1. Ordinem, quo ad salutem peruenitur. A. Vocatio ponitur. Comprehendit hæc electionem. Rom. 8. Electio ab æterno *Salutis ordo.*

facta 1.Pet.1.Eph.1.Vocatio fit ſuo tempore intus & foris. Sine his nemo venit ad ſalutem. Ioan. 6. & 15. Salus ergo eſt ex mera gratia.

B. Sanctificatio. Natura corrupti ſumus,& proinde Deo noſtro non poſſumus coniungi.Pſal.51.Geneſ. 6, 8. 33.Sanctificat Deus, quando ſpiritu ſuo regeneratos ſibi conſecrat.Ioan.3.1.Pet.2.

C. Cuſtodimur in Chriſto. Opus hac cuſtodia propter inſidias ſatanæ.1.Pet.5.Niſi hæc fiant omnia, non ſaluamur.

Dei beneficentia erga nos.

¶. 2. Beneficentiam Dei erga nos.Elegit & vocat ex gratia,Matt.11.Ioan.4.7. &c. Impuros nos ſanctificat,vt filij ipſius ſimus, 1.Ioan.3.Ezech.20.31. Cuſtodit in Chriſto, ne excidamus è gratia. 2.Tim. 2. Vide Ioan. 10.17.Matth.28. Seruiunt hæc conſolationi & inſtitutioni noſtræ.

III. Salutatio vel benedictio Apoſtolica. NOTA, ¶. 1. Quæ verè expetenda bona.1.Miſericordia quæ & gratiam comprehendit.Opus hac, quia coram iudicio Dei non ſubſiſtimus.Pſal.130.145. 2. Pax eſt conſcientiæ tranquilitas. Superat intellectum omnem. Phil.4. 3. Charitas erga Deum & proximum.Nota verè fideliũ. Ioan. 15.&c.

2. Multiplicetur.Luc.17.&c. Oremus.

HOMIL.

HOMILIA. II.

3 *Dilecti, quum omne studium adhibe-*
am vt scribam ad vos de communi sa
lute, necesse habui vobis scribere, ad
vos hortandos vt decertetis pro fide
quæ semel tradita est sanctis.
4 *Nam subrepserunt quidam homines,*
prius iam olim descripti ad hanc dam
nationem, impij, qui Dei nostri grati-
am transferunt ad lasciuiam, & so-
lum illum herum Deum ac Domi-
num nostrum Iesum Christum ne-
gant.

QVandoquidem Deus homines vult saluos fieri, & in cognitionem veritatis peruenire (1.Tim.2.) non obiter modo & semel de ijs, quæ saluti ipsorum seruiunt, admonet: verum etiam eadem crebro repetit, ne illorum obliuio obrepat. Patet hoc tũ in alijs articulis, tum in nouissimorum temporum periculis, de quibus passim admonemur. Vide Prophetas, Dan.7.9.11.12. Christum ipsum. Matth.24.25. Luc.17.18.21. &c. Apostolos.1.Tim.4.2.Tim.2.3.1.Thess. 4.5. 2.Thess.2.2.Pet.2.3.1.Ioan.3.&c.

Nec tamen his contentus omnia hac

præſenti epiſtola, ceu compendio breui, proponere voluit. Debet nos hoc ſtudium Dei ad curam diligentem & vigilantiam excitare. Præſens locus hæc habet.

Exordium epiſtolæ.

I. Exordium quo duo tractat, & vtrumq; ad beneuolentiam captandam pertinet, 1. Cauſas exponit, quæ eum ad ſcribendum impulerũt. Fui per me promptus vt qui vos amem: Simul vero incidit neceſſitas, vt non potuerim ſilere diutius.

Boni paſtoris officium

NOTA. ¶. Officium boni paſtoris. Amet gregem commiſſum Ioan. 10.21. Et perinde intentus ſit, ceu bonus ſpeculator, ne alicubi ſuo officio deſit. Grauis enim reddenda ratio. Ezech. 3.33. Actorum.20. &c. Accomodet doctrinam ergo, vt præſentibus malis occurrat. Vide de hoc 2. Tim.2. Matth.24.

Scopus epiſtolæ.

2. Finem indicat & ſcopum epiſtolæ. Vt certando adiuuetis fidem, quæ ſanctis ſemel tradita eſt. Id eſt, vt omni ſtudio incumbatis perſeuerantiæ fidei, quam didiciſtis.

Semel tradita.

NOTA. ¶. 1. Fides ſemel tradita: Bifariam poteſt accipi. Significat enim certitudinem cui nihil poteſt adijci. Quaſi diceret: Non eſt quod aliquid melius & vtilius expectetis. Huc pertinet quæ ſunt 2.

Pet.

Pet.1.Galat.1.2.Timoth.3.Ioannis 14. Deinde ſtudium hanc retinendi commendat. Quaſi diceret: Semel traditur. Amiſſa non recuperatur. Verbum Dei enim eſt nimbus tranſiens, Iſa.55. Imò ſatius eſſet, nunquam cognouiſſe, quàm à cognita deficere. Matt. 12. Heb.6. 2. Pet.2. Id nobis hodie erat obſeruandum.

¶. 2. Certando adiuuetis. Paleſtra Chriſtianis proponitur. Non enim quieta eſt fidei profeſsio. Odit mundus. Ioan.3.15. Caro oppugnat. Rom.7. Satan inſidiatur & perpetuo nobis bellum mouet. 1. Pet.5. Eph.6.&c. ¶. Hic igitur indeſinenter vigilare & pugnare oportet. Typus habetur huius rei. Neh.4. *Chriſtianorum palaeſtra.*

II. Narratione probat non vanum eſſe timorem & ſolicitudinem, qua teneatur. Subingreſsi enim ſunt, qui caput ſalutis oppugnant, Chriſtum & finem eius. Horum deſcriptionem NOTA. *Narratio.*

¶. 1. Homines ἀσεβεῖς, ſine religione. Eſt hæc radix omnis corruptelæ. Pſalm.14. 36.&.53. Interim patet non iuuare quales nos nominemur. Nam & hi volebant Chriſtiani haberi. *Impoſtorum deſcriptio.*

¶. 2. Præſcripti in hoc iudicium. Alludit ad libros diuinæ prouidentiæ. Dan.7. *Prouidentia Dei.*

12.&c.Docemur. ¶. A. Nihil euenire nobis nisi ex præſcripto Dei.Habet is vaſa iræ etiam.Rom. 9. Sed nihil poſſunt nocere, niſi permiſſu Dei, vt nec diabolus. Iob. 1. & 2. Matth. 8. &c. In Dei enim prouidentia ſumus,qui non ſinit tentari vltra vires, Matt. 10.1.Cor.10.

¶. B. Vitandos impoſtores.Alioquin iudicio & nos inuoluemur,Matth.15.Apo. 18.2.Pet.2.

¶. 3. Modus ſeductionis παρεισέδυσαν. Id eſt,obiter & quaſi aliud agentes obrepſerunt.Incautis enim ſuperuenit ſatan, Matt. 13.In primis etiam Lezim notantur, qui ridentes nocent,1.Corinth.15. ¶.4.Opera ponit. ¶. A. Gratiam Dei transferunt in peccandi licentiam. Tales omnibus ſeculis fuerunt. Sed pugnat hoc cum fine gratiæ per Chriſtum exhibitæ.Tit.2.Eph. 1.Roman.6. Col.3.Ioan.13.1.Ioan.3.

¶. B. Deum qui ſolus herus eſt,& Dominum Chriſtum abnegarunt. Factis nimirum.Tit.1. Sequitur hoc ex priori. Vide Matth. 7. Quanto ergo ſtudio opus hodie, cum tales paſsim regnent? Oremus.

HOMI.

HOMILIA. III.

5 *Volo autem vos istorum commonefacere, vt qui semel hoc sciatis, Dominum, quum populum ex Aegypto liberasset, rursus eos qui non credebant perdidisse.*

6 *Et angelos, qui non seruata sua origine reliquerunt suum domiciliũ, iudicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reseruasse.*

7 *Sicut Sodoma & Gomorrha & his finitimæ ciuitates, simili modo atq; illæ scortatæ, & carnem alienam sectatæ, propositæ sunt exemplo, ignis æterni pœnam sustinentes.*

DIui Iudæ institutum, & epistolæ huius scopus est, fideles hortari, vt fidẽ semel traditam & cognitam, ceu strenui milites, tueri, & in illa perseuerare velint. Cæterum ne inanẽ quis putaret Apostoli solicitudinem, periculũ imminere nobis docuit ex impostoribus, qui omnis religionis contemptum inuehere conentur.

Describit hoc diligenter. 1. Sunt irreligiosi. Psal. 14. 36. 53. 2. Clam obrepunt, dum Christum professi omnem fidei certitudinem *Impostorũ in religione descriptio.*

euertere ſtudent: id per luſum & iocum, vt audiuimus. 2. Pet. 3. 3. Finem ſibi propoſitū habent, carnis licentiam, quæ & Chriſti abnegatores facit. Tit. 1. 1. Ioan. 3. &c. Sunt tales multi hodie. Neceſſaria ergo hæc admonitio. Sequitur.

Commonefacere vos volo, &c. Pœnam, quæ & hos & horum ſectatores manet exponere vult. Præmittit igitur quæ ipſos attentos reddant. Quaſi diceret: Scitis quam horribiliter Deus ſui contemptum ſemper punit. Quia tamen omnia hæc eludit mundus, denuo & ſæpius in memoriam reuocari oportet, quo magis moueat.

NOTA. ¶. Vſum verbi Dei non modo in docendo conſiſtere, verum etiam excitando, ne frigida & inani notitia torpeamus. Executores enim ſuæ voluntatis vult Deus, Matt. 7. Ioan. 14. Luc 11. 1. Cor. 4. &c. Hinc illud 2. Tim. 4.

Populi Iſraelitici exemplum.

Demonſtrationis loco autem tria exempla adducit. 1. Populi Iſraelitici eſt. Cuius ſimili ratione meminit Paulus 1. Cor. 10. Videndum qui fuerint. A. Deus ex gratia electos ſuum peculium fecerat. Exo. 13. 19. Amoz. 3. Ezech. 16. Mal. 1. &c.

B. Oppreſſos in Ægypto aſſeruit, & infinitis beneficijs cumulauit. Mich. 6. Exod.

xod.12.& 14. Vide Psalm. 78. 105.

C. Ipsi increduli murmurant, tentant Dominum, contra Mosem insurgunt, nolunt ingredi in terram,&c. Exod.14.17.16. Numer.11.13 14.16.20.21.25,&c. Misere ergo prostrati sunt.

NOTA. ¶. 1. Vt nobis hoc exemplum conueniat. Elegit & nos Deus ex mera gratia. 1. Pet. 2. Ephes. 1.&c. Oppressos tyrannide satanica asseruit per suũ Filium, Ioan.3.16.1.Ioan.3.&c. Benefacit nobis quotidie per verbum, &c. Hic nos mumuramus, nolumus periclitari, fastidimus verbum eius, ridemus & contemnimus. Imò multi sponte in Ægyptum redeunt. An non ergo digni excidio, vt illi? Non iuuat enim gloriatio gratiæ Dei, nisi vocatione eiusdem respondeamus. Malach. 1. Matthæi 7. Rom.11.&c. *Collatum nobis.*

¶. 2. Causam huius corruptionis. Incredulitas olim fuit, vt patet Exod. decimo quarto, Numer. decimo tertio. Eadem hodie nobis nocet. Quia verbo Dei non credimus, eidem non obedimus, nec in periculis sumus animosi,&c.

II. Angelorum est, de quo & 2. Pet. 2. Vide Ioan.8. Applicat comparatione à maiore ad minus. *Angelorũ exemplum*

Nulla dignitas contra Deum nos defendit.

NOTA. ¶. Nullam excellentiam nos tueri posse, si contra Deum insurgamus, & simus inobedientes. Ipse enim omnipotens & inuictus est. Nah.1. Deus exercituũ. Imò quò altior est nostræ gloriæ maiestas, eo ruina grauior, &c. Exempla sunt infinita.

¶. Consideremus hæc, quos in filios adoptauit & gloriæ filij sui consortes fecit. Ioan.1.17.1.Ioan.3. Nisi in hac statione manserimus actum est.

Sodomæorum.

III. Sodomæorũ, quod generalius est, & ad omnes pertinet, qui beneficijs Dei abutuntur. De illorum terra vide Genes.13. Hac elati lasciuierunt. Ezech.16. Ideo euersi horribili exemplo, quod typus fuit æterni incendij. Gen.18.19.&c.

Iudiciorũ Dei vsus.

NOTA. ¶. Quorsum exempla iudiciorum Dei nobis seruire debeant? Vt emendemur, & caueamus ea propter quæ illa euenerunt 2.Pet.2.1.Cor. 10. Hodie ferè ad omnem mali sensum obsurduimus, &c. Oremus.

HOMILIA. IIII.

8 *Similiter tamen & isti sopiti, carnem quidem polluunt, dominatũ vero reijciunt, & dignitates cõuitijs incessunt.*

9 *At*

9 *At Michael Archangelus, quum aduersus diabolum certans, desceptaret de corpore Mosis, non ausus est illi impingere notam maledicti, sed dixit: Increpet te Dominus.*

10 *At isti, quæ non nouerunt, ea conuitijs incessunt: quæ vero naturaliter, vt animantia rationis expertia, sciunt, in eis corrumpuntur.*

QVamuis multa sint, quæ fidelibus in salutis negotio incōmodare possunt, nulla tamē grauiora pericula sunt, quā quæ per falsos fratres satan nobis struit. Sunt inter hos doctores falsi, qui rectà superstitionem obtrudere conantur. Sunt item Epicurei, qui omnem fidem & religionem in contemptum adducere student. Vtri autem admittantur fides & salus euertitur. Ideo tam diligenter nos præmonet scriptura, vt Matth.24. Luc.21. 1.Timoth.4. 2.Timoth.3.4. 2.Pet.2.3.&c. Huc etiam tota epistola hæc pertinet, qua posteriores illos, prophanos scilicet Dei contemptores, impugnat. Prædixit pœnam, quæ certò sit euentura. *Falsi fratres.*

Sequuntur flagitiorum, quibus illi prorsus sunt obruti, diligēs & copiosa expositio.

Sopiti. I. Somniatores sunt. Fontem omnis mali indicat, quod nimirum deludantur rationibus cæcæ carnis, quæ fœlicitatem statuit in ijs, quibus hæc minimè inest. Euenit ergo eis idem, quod ijs qui in somnis se diuites & fœlices putant.

Caro nostra de fœlicitate peruerse iudicat. NOTA. ¶. Vanas esse omnes carnis nostræ rationes de fœlicitate. Hanc enim in rebus terrenis constituit, quæ omnes momentaneæ sunt. Eccl. 1. 2. 3. 4. &c. Isa. 40. Iacob. 1. &c. Nisi ergo tam pestilentibus somnijs deludi velimus, ad Dei verbum discamus respicere, quod thesauros inaccessibiles in cœlis monstrat. Matthæi 6. Psalm. 31. &c.

II. Polluunt carnem. Denotat mundi studia, qui totus in malo & impuritate constitutus est. 1. Ioan. 5. Horū fructus est quod polluunt suos sectatores.

Mundi studia Christianismo contraria. NOTA. ¶. Carnis & mundi studia cum Christianismo pugnare ex diametro. Is enim purificationem nostri requirit. 1. Ioan. 3. Sic omnis scriptura docet. Leuit. 19. 20. Isa. 1. 33. Psalm. 15. &c. Christus Ioan. 13. Apostoli 1. Cor. 5. 6. 1. Thess. 4. 2. Pet. 1. Eph. 5. Tit. 2. Coloss. 3. &c. Quia ergo mundus se polluit, eius studia semper nobis suspecta esse debent.

III. Magiſtratus vilipendunt.

NOTA. ¶. 1. Quibus nominibus magiſtratum appellet. ¶. A. Dominatio. Indicat hoc ſuperioritatem, qua eminet. Eſt autem hæc à Domino. Rom. 13. Pſal 113. *Magiſtratui data nomina.*

¶. B. Gloria authoritatem ſignificat, qua Deus illos ornauit. Communicat illis nomen ſuum, vt patet Exod. 22. 21. Pſal. 82. Omnibus gentibus hunc communem ſenſum indidit, &c.

¶. Sed hoc ipſum magiſtratus ſui offi cij admonere debet circa religionem.

¶. 2. Quantum ſcelus ſit, magiſtratum contemnere. Contemnitur ordinatio Dei. Rom. 13. Exod. 22. Sed Iudas exemplo hoc indicat, quod applicatur comparatione à maiori ad minus. Vtinam huius memores eſſent, qui hodie omnibus pijs magiſtratibus illudunt. Nihil vulgarius. *Magiſtratũ contemnere magnũ ſcelus.*

¶. Interim obſerua quod de contentione circa corpus Moſis dicitur. Deut. 34. Aſtus ſatanæ, qui per cultores Dei, quos maximè odit, impietatem plantat. Hinc illa ſuperſtitio circa reliquias ſanctorum, &c. *Contentio de corpore Moſis.*

IIII. Quæ natura exigat, & brutis quoq; cõmunia ſunt, in illis ipſis omnino corrumpuntur. Intemperantiã notat in cibo, potu, venere, qua pecudes quoq; ſuperent. *In naturalibus vt corrumpantur*

Seculi nostri mores. NOTA. ¶. Quid de seculi nostri moribus iudicari debeat. Regnant omnia ista impunè. Decipimur somnijs nostræ rationis. Toti polluimur. Magistratuum nulla authoritas. Intemperantia effrenis. An ergo iniustè punimur? Oremus

HOMILIA V.

11 *Væ ipsis: nam viam Cain ingreßi sunt, & deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effusi sunt, & contradictione Core perierunt.*

Deus ferre eos non potest, qui aliorum saluti officiunt

QVamuis Spiritus sanctus mansuetudinis & benignitatis spiritus sit, magno tamen zelo & singulari seueritate eos impugnat, qui aliorum salutem euersam cupiunt. Quia enim Deus homines diligit & saluos vult, Ioan. 3. 1. Timot. 2. eos nullo modo ferre potest, qui eosdem à via salutis auocant. Ideo Christus in falsos doctores tanta vehementia inuehitur. Matth. 7. 15. 23. 21. Ioan. 8. 10. &c. Idem faciunt & Apostoli, qui in nouissimo seculo venturos impostores oppugnant. 1 Timoth. 4. 2. Timoth. 3. 4. 2. Pet. 2. 3. Eiusdem argumenti & hæc epistola est, quę eosdem graphicè depingit. Scopus vero omni-

rò omnium eſt, vt illos fugere diſcamus. Quare & pœnam ſubinde interſerit.

Fit hoc ipſum in præſenti, vbi tribus exemplis illos deſcribit.

I. Caini viam ingreſsi ſunt. Vide Gen. 4. 1. Ioan. 3. Sed diligenti collatione opus eſt.

NOTA. ¶ 1. Cain vnũ & eundem Deum profeſſus eſt & coluit cum Abelo. Sed ſub huius prætextu non niſi ſuum commodum quæſiuit. Animus ergo prauus, & à Deo alienus fuit. Iſa. 29. Non placet ergo Deo.

Caini exemplũ pſeudoprophetis confertur.

Sic iſti profitentur quidem Deum, ſed ideo vt hæc profeſsio ipſorum vtilitati ſeruiat. Ideo factis negant, & non poſſunt probari Deo.

1. In religione terrena quærunt.

¶ 2. Cain vbi ſpe fruſtratur, fratrem odit & perſequitur, quaſi hoc ſublato, nemo illi ſit obfuturus. Et non fert fratris exemplo ſe argui, quare eundem & occidit.

2. Pios perſequuntur.

Sic iſti quicquid malorum patiuntur, verè fidelibus imputant. Nolunt ab illis argui, Ioan. 3. Ita ergo in eos inſurgunt, quaſi ipſorum ſalus in fidelium morte ſita ſit, Ioan. 15. 16. Matth. 10. 16. 2. Tim. 3. &c.

¶ 3. Cainum fratris mors non iuuat. Imò ſanguis clamat pro vindicta, & ipſe reijcitur.

Sic iſti proprium malum ſibi conflant.

3. Puniuntur ab vltore Deo. quia ad Deum tendũt gemitus & voces pro Christo morientium, Psal. 12.56. Apoc. 7. Et horribiles pœnæ sequuntur. Zach. 2.12. Exempla eius generis infinita sunt.

Balaami merces. II. Balaami errore decepti, mercede scilicet, effunduntur. Auaritiam taxat, qua moti nihil non faciunt. Vide Nũ. 22.23.24. Item 2. Pet. 2. Sed NOTA.

1. Nouit veritatem. ¶ 1. Balaã didicit diuina reuelatione quid faceret. Ita isti non ignorant quid faciendũ. Habent scripturas, orationem Dominicam, articulos fidei, Decalogum, &c.

2. Per auaritiam ab hac abstrahitur. ¶ 2. Balaam amore lucri superatus in conscientiam peccat. Ita isti, Volunt magni fieri. Deinde luxus illorum ingentes opes postulat. Has ergo vt retinere possint, quiduis faciunt.

3. Emendari non potest. ¶ 3. Balaam nullis admonitionibus emendatur, ne asinæ quidem. Similiter isti, licet totum mundum apertis oculis veritatem videre sentiãt, &c. Eueniet ergo eis idẽ quod Balaamo euenit. Num. 31. Vide Matt. 23. 24. &c.

Corita. III. Contradictione Core perierunt. Obijcit superbiam, quæ seditiosos reddit. Vide Num. 16. NOTA.

Ex ambitione. ¶ 1. Coritas ambitio & priuatum commodum mouet. Eadem ratione isti non nisi

sua

ſua quærunt, quia illorum venter Deus eſt. Phil. 3. &c.

¶ 2. Coritæ publicum bonum prætexũt, & accuſant Moſem ſuperbiæ & mendacij, imò publici exitij. *Prætextu publicæ vtilitatis.*

Sic noſtri miniſtros veritatis accuſant, & publicas clades illis acceptas ferunt.

¶ 3. Coritæ viui deſcendunt ad inferos, vnà cum fortunis ſuis. Idem iudiciũ omnes manet, qui ſeditionibus veritatis doctrinam opprimere conantur. *Aduerſus veritatem inſurgunt.*

Simus nos iſtis exemplis cautiores, &c. Oremus.

HOMILIA VI.

12 *Hi ſunt macularum inſtar in agapis veſtris, dum vobiſcum conuiuantur, abſque vllius metu ſeipſos paſcentes, nubes aqua carentes, ventis circumactæ, arbores emarcidæ, infrugiferæ, bis emortuæ, eradicatæ:*

13 *Vndæ maris efferatæ, deſpumantes ſua ipſorum dedecora, ſtellæ erraticæ, quibus caligo tenebrarum in æternũ ſeruata eſt.*

QVemadmodum in re militari hoſtes & illorũ arma ac artes nouiſſe cum

Pseudodoctores nosse necessarium est.

primis oportet:Ita in vitæ nostræ conuersatione maximè necessarium est, vt salutis nostræ hostem satanam, & eos nouerimus, quorum opera ille contra nos vtitur. Sunt inter hos præcipui falsi doctores, & impostores, qui vel falsas salutis vias monstrant, vel prophanum Dei contemptũ nobis persuadere student. Describit hos pulchrè hac epistola Iudas. Et in præcedentibus tribus exemplis illos pinxit, quibus ostendit in illis regnare inuidiam & odium erga pios, auaritiam & ambitionem, tum seditionum studia.

Sequitur præsens locus, qui maximè ad falsos doctores pertinet.

ἀγάπαι.

I. Vitam taxat dissolutam. Sunt in fraternis vestris conuiuijs maculæ. ἀγάπαι erant collationes publicæ, ex quibus publice etiam alebantur pauperes ecclesiæ, & à ditioribus quoq; inuitabantur. Has illi polluunt. Nam conuiuantur in his luxuriosè, & illic bonis seipsos pascunt. Vide 2. Pet. 2. NOTA.

Collationes

¶ I. Vt hoc fiat hodie. Collationes olim factæ in ecclesias à principibus & pijs viris. Finis, vt hæ opes sustentent ministerium, religionem, pauperes.

Abusus eorum.

Quid factum? Bona ista inuaserunt Episcopi, Abbates, Canonici, &c. Et per ea principes

cipes facti sunt. Ex his helluantur, pergræcantur, scortantur, &c. Alij item, qui Euangelio illuminati sunt, parum aut nihil reformant in istis. Pleriq; Iudam imitantur, Ioannis duodecimo.

¶ 2. Quid de omnibus istis censeri debeat. Papistici illi volunt sancti, adeoq; ipsa Ecclesia videri. *Quales sint qui his abutuntur.*

Nostri defensores verbi & Euangelij dicuntur. Sed labes sunt & maculæ. Per hos enim infamatur religio & doctrina. Hinc est quòd tanta diligentia semper de bonis istis egit spiritus sanctus. Numer. 18. Nehem. 13. Actor. 6.

II. Similibus eos pingit, quales docendo sint.

1. Nubes sunt sine aqua, & quæ à vento feruntur. Nubes & alibi doctores figurant, vt & doctrinam pluuia. Isa. 60. & 55. Sed hic taxat vanam ostentationem & instabilitatem.

NOTA. ¶ Quales in Ecclesia doctores esse debeant. Qui docere possint. Mal. 1. 1. Tim. 3. Tit. 1. Item qui firmi sint, nec quouis vento ferantur. Eph. 4. *Doctores quales esse debeant.*

¶ 2. Arbores emarcidæ, infrugiferæ, & eradicatæ. Incurabilitatem in illis taxat, & quòd omnino deplorati sint.

De apertis hostibus ecclesiae nihil sperandum

NOTA. ¶ Falli turpiter, qui nescio quae bona sperant ex apertis hostibus veritatis, qui agnitam quoque persequuntur. Peccant in Spiritum sanctum. Matth. 12. Ideo illum non possunt accipere, Ioannis decimoquarto.

¶ 3. Seui fluctus maris, despumantes sua dedecora. Vide Isa. 75. Motus & turbae notantur, quas contra Euangelium excitát, Ps. 2. Zach. 12. &c.

Impij seipsos infamant.

NOTA. ¶ Impij seipsos infamant suis contra veritatem conatibus. Dominus illorum consilia dissipat. Vide 1. Corinth. 1. Ierem. 9. &c. Exemplum. Matth. 27. 28.

¶ 4. Stellae erraticae. Doctores stellis conferuntur. Apo. 1. 9. Sed isti errant.

NOTA. ¶ Non posse non errare eos, qui tales sequuntur. Quare vnâ pereunt. Matth. 15. &c.

III. Poenam subiungit, quae exprimitur etiam 2. Pet. secundo. Tenebrae aeternae illis destinatae sunt. Vide Isa. 66. Matth. 24. & 25. Apocal. 19. Has vt fugiamus, perseueremus in luce veritatis, Ioan. 8. 12. &c. Oremus.

HOMI.

HOMILIA VII.

14 *Prophetauit autem etiam de istis septimus ab Adam Enoch, dicens, Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis.*

15 *Vt ferat iudicium aduersus omnes, & redarguat quicunq; ex ipsis sunt impij, de factis omnibus, quæ impiè patrarint, deq; omnib⁹ duris quæ locuti fuerint aduersus ipsum peccatores impij.*

16 *Hi sunt murmuratores, queruli, in cupiditatibus suis incedentes: & quorũ os loquitur prætumida, admirantes personas vtilitatis gratia.*

QVamuis hominũ saluti nulla maior pernities incumbat, quàm ex falsis doctoribus, qui vel falsas religiones vel omnis religionis contemptum inuehunt. Paucos tamen inuenire licet, qui hos ex animo auersentur. Quia enim veritatis lucem mundus odit, Ioan. 3. eiusmodi seductores sibi sponte coaceruat. 2. Tim. 4. Hæc causa est, quòd toties de his in scripturis admonemur. Et Iudas Apostolus de his sic agit, vt subinde cũ illorũ descriptione pœnas quoque cõmemoret, quo maiori stomacho illos auersemur.

Fit idem in præsenti loco, qui vtrumque tractat hoc ordine.

Enochi vaticinium. I. Vaticinio Enoch probat quod de illorum pœna præmisit. Habuit hoc vel ex apocryphis, vel ex communi traditione. De Enoch Gen. 5. ¶ Scopus Apostoli est, *Scopus.* Deum iam ab exordio mundi impostoribus pœnã decreuisse, quam non effugient.

Deus semper dat monitores. ¶ Patet verò Dei bonitas, qui omnibus seculis monitores dedit. 1. Noe, Gen. 6. 2. Pet. 3. 2. Loth, Gen. 13. & 19. 3. Prophetas, 2. Paral. 36. Ier. 11. 7. Discimus hanc bonitatem non contemnere. Luc. 19.

Iudicis descriptio. Sed in vaticinio NOTA. ¶ 1. Descriptionem iudicis. Dominus veniet, hoc est, certò veniet. Veniet autem in decem millibus sanctorum. Sic Dan. 7. Matt. 25. Marc. 8. Eò seruit, vt sciamus nullam mundi potentiam ei resistere posse. Vide Matth. 24.

¶ Simul autem obseruemus, quòd eundem nihil celari potest. Psalm. 7. Ierem. 11. 17. 20. &c.

Omnes iudicabit, nemine excepto. ¶ 2. Quos iudicabit? Omnes. Quia omnium Deus & Dominus. Sic exprimitur & Matth. 25. Rom. 14. 2. Cor. 5. Neminem ergo vel dignitas vel potentia excusabit, quò minus comparere cogatur. Hoc semper ob oculos versetur.

¶ 3. Cau-

¶ 3. Causas damnationis quorundam. *Damnationis quorundam causa*

A. Opera impietatis. Sunt hæc quæ contra Dei verbum deuoto animo & impœnitenti committuntur. Vide Psal. 14. 13. 1. Cor. 6. Col. 3. Talia non fert Deus. Ps. 5. Isa. 33.

B. Duri sermones: Qui scilicet vel in Dei contemptum, vel in offendiculum infirmorum tendunt, 1. Cor. 15. Vide Matth. 12. 18. Vtinam hæc expenderemus, & maius esset innocentiæ studium.

II. Redit ad descriptionem morum. Vbi hæc NOTA.

¶ 1. Murmuratores sunt & queruli. A. Indicat impatientes esse disciplinæ, & contra hanc murmurare. *Seductorū ingenium.*

B. Nunquam contenti sunt sua sorte. Semper habent quod quiritentur. Tales hodie nimium multos est videre.

¶ 2. Ambulant secundum sua desideria. Politicos enim magistratus spernũt, nec illis volunt subijci. Immunitas Ecclesiastica. Et si quis scripturas contra eos proferat, penes se esse dicunt harum interpretationem. *Vita.*

¶ 3. Magnifica loquuntur. Nimirum de sua potestate & sanctimonia, quam sibi vendicant. Habet enim Antichristus os loquens grandia. Dan. 7. Apoc. 13. & 17. Vide etiam 2. Thessal. 2. *Doctrina.*

Amici. ¶ 4. Admirantur personas, lucri & priuati commodi gratia. Vt enim insolentes & feroces sunt vbi timentur. Ita si quos videt, ex quibus periculũ ipsis poterat imminere, illis seruiliter possunt adulari. Legantur historiæ pontificum, & monachorum, & hæc clare intelliges. Ne hi nos turbent Oremus.

HOMILIA VIII.

17 *Vos autem, dilecti, memores estote verborum quæ prædicta fuerunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi.*
18 *Quod videlicet dixerũt vobis, in extremo tẽpore futuros irrisores, qui in impijs suis cupiditatibus incedant.*
19 *Hi sunt qui seipsos segregãt, animales, spiritum non habentes.*
20 *Vos autem, dilecti, sanctissimæ vestræ fidei superstruentes vos ipsos, per spiritum sanctum orantes.*
21 *Alij alios in charitate Dei conseruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitã æternã.*

D. Iudas Apostolus epistolá hanc ideo scripsit, vt de nouissimi seculi impostoribus plenè admoneamur, & eosdem vitemus.

temus. Duo igitur potissimum tractat.

A. Describit illorum mores vnà cũ omnibus, quæ ab illis fiunt. 1. Somniatores sunt, qui falsis carnis rationibus seducuntur. Toti affectibus dediti, studijs mundi indulgẽt. 2. Disciplinã omnem oderunt, quare & Dei verbum & legitimos magistratus contemnunt. 3. Intemperantes sunt, & hoc vnum student, vt & omnes alios seducant, &c.

Duo potissimum in hac epistola tractat Iudas.

B. Pœnam indicat, quam exemplis illustrauit, & vltimi iudicij descriptione.

Sequitur præsens locus, qui duo proponit.

1. Offendiculis occurrit, quæ multa & grauia fore Christus quoq; prædixit, Matt. 18.24. Allegat autem vaticinia reliquorum Apostolorũ, qualia extant, 2. Pet. 2. & 3. Item 1. Ioan. 2. & 4. Adhæc 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. & 4. 2. Thessal. 2. Adde his & Christi, Matth. 24. Luc. 17. 21.

Offendicula multa semper, & grauia.

¶ Meditemur ista, ne tanquam insolitis & inauditis offendamur. Interim NOTA.

¶ 1. Modestiam Apostolorum, qui se mutuò non contempserunt insolenter. Simile exemplum 2. Pet. 3. Agnosci enim debent cum gratulatione dona Spiritus sancti in alijs. Facit huc parabola, 1. Cor. 12. 14. ¶ Arguit hoc nostri seculi arrogantiam.

Apostolorũ modestia.

Impostorum descriptio. ¶ 2. Descriptionem horum, quam repetit. Illusores dicit, & ambulare iuxta concupiscentias suas. De quibus supra dictum. Hic addit duo. A. Segregant sese, & scindunt *Schismatici.* vnitatem Ecclesiæ. Iuxta id quod habetur, 2. Pet. 2. fit hoc vel doctrina, vt 1. Cor. 1. & 13. vel quod disciplinam ecclesiasticã ferre nolunt, id quod omnes Epicuræi faciunt.

Carni dediti. B. Animales sunt, & toti spiritu carent. Anima hic opponitur spiritui, vt 1. Cor. 2. Significat illos non nisi præsentibus duci, & carnis studia sequi, de quibus Galat. 5. Vide quid de spiritualissimis patribus nostri seculi iudices.

II. Admonet quid faciendum, & fortissimis rationibus ac armis instruit, quæ ordine NOTA.

Fundamentum fidei. ¶ 1. Ædificemur super fidem sanctam. Duo requirit.

A. Teneamus fundamentum fidei, nec inde nos patiamur diuelli. Est illud Christus. 1. Cor. 3. Matth. 16. Isa. 9. 1. Pet. 2. Excludit hoc omnes errores circa fidem.

Aedificatio. B. Super ædificemur, viui lapides. Comprehendit hoc profectum. Vide 1. Pet. 2. Vt primum subsistimus retrò labimur.

¶ 2. Oremus in spiritu sancto. Ex nobis non sumus ad quicquam idonei. 2. Cor. 3.

Peta-

Petamus ergo è supernis,Iac.1.

¶ Obserua autem modum orandi, qui in spiritu consistit.Ioan.4. Partim quia hic animum in Dei consyderationem rapit:Partim quia nos certificat, & fidem orantium fulcit.Rom.8.Gal.4.2.Cor.1.5. &c. ¶ Arguuntur, qui labijs Deo appropinquant. Isa.29. *Orandi modus.*

¶ 3. Seruemus nos ipsos in charitate Dei. Est hæc vitæ regula & obedientiæ veræ radix.Ioan.14.1.Ioan.2. Ideo tessera fidelium & legis impletio.Ioá.15.Rom.13.Vide Ioan.13.1.Ioan.3.4.1.Cor.13. Vt primum ergo odijs locum damus,de nobis actum est, &c. *Charitas.*

¶ 4. Expectemus misericordiam Christi in vitam ęternam.Admonet & hoc de duobus.Sed de ijs in sequentibus copiosius dicetur.Oremus.

HOMILIA IX.

22 ***Et alios quidem habito delectu commiseramini.***

23 ***Alios verò terrore seruate, ex flamma rapientes: odio habentes vel eam tunicam quæ à carnis contactu sit maculata.***

24 ***Cæterum ei qui potest vos seruare à peccato immunes, & statuere in con-***

spectu gloriæ suæ inculpatos cum exul tatione.

25 (Id est) *Soli sapienti Deo Seruatori nostro, gloria, & magnificentia & robur, & potestas, & nunc & in omnia secula. Amen.*

QVemadmodum bonus Imperator suos non modò de hostibus admonet, verumetiã docet vt vinci possint: Ia Iudas Apostolus non modo describit nouissimi seculi impostores, sed qua ratione nos illis opponere debeamus ostendit.

Expectate misericordiã Domini, &c. Loquitur de huius aduentu, & duo monet.

Scopus Christianorum. A. Non inhærendũ mundo, alioquin facilè offendemur, Psal. 37. 73. Sed in cœlestium meditatione versemur, quæ nobis in Christi aduentu sunt reposita, Is. 64. Ps. 31. Matt. 6. Phil. 3.

Fiducia. B. Fiduciam habeamus non in nostris meritis, sed in misericordia, Christi merito nobis impetrata. Ad hanc respexerunt omnes sancti. Ps. 143. 130. Rom. 7.

Sequitur.

Quomodo tractandi. 1. Quales nos in tanta nouissimi seculi corruptione erga alios gerere debeamus? Vbi duo præscribit.

¶ 1. Dum

¶1.Dum iudicatis, alios quidem miseramini,alios verò in timore seruate ex igne eripientes. Duo igitur proponit genera hominum.

A. Incurabiles,qui nullis admonitionibus emendantur, quales describuntur Psal. 14.53.Mat.24.De illorum interitu non gaudere,sed dolere conuenit. Postulat hoc charitas,quæ omniũ salutẽ expetit.1.Co.13.Rõ. 12.Exempla habes 1.Sã.15.16.Thren.1.2.&c. Rom.9.Imò Christi,Luc.19. *Incurabiles.*

B. Curabiles, quorum liberationi & saluti studere conuenit. Quantum verò studium exigatur, periculi magnitudine docet,quod igni confert. Iubet ergo timorem illis incutere,nimirũ extremi iudicij,dequo multa habentur in scripturis.If.66. Dan.12. Matth. 24.25. &c. Idem iubemur etiam. Exod.23. Deuteronom. 22.Matt.18.1. Corinth.5. *Curabiles.*

¶ At hodie vtrumque negligitur. 1.Neminem errantem reuocamus. 2. Interim nullius exitio & miseriæ condolemus.

¶2. Tunicam quoq; à carne maculatam odio habete. Cauet ne dum impijs conuersamur incautius, ipsi quoq; inficiamur.Eccles.13.Horrere ergo iubet quicquid carnis ingenium sapit, quæ omnino mortificari *In conuersatione cauti simus.*

debet. Col. 3. Gal. 5. Simile matronæ, quæ ne vestes quidem meretricis cōtrectare dignatur. Sic Paulus ab omni specie mali abstinere iubet, 1. Thess. 5. His qui student illis nulla nocere poterit seculi corruptio.

Vnde vitæ continentia

II. Δοξολογία epistolá concludit, NOTA.

¶. 1. Vnde obtingat, vt hic inculpate viuamus, & coram iudicio Christi subsistamus. E nobis nihil nisi peccatum & corruptio. Gen. 6. 8. Psalm. 51. Rom. 7. Omnis autem amplitudo operandi quod bonum est, ex Deo datur. 1. Cor. 3. Ioan. 6. 15. Nisi ergo is in nobis operetur, nullis vel admonitionibus vel adhortationibus quicquam effici poterit. Nihil itaque habent ministri quod sibi vendicent, 1. Corinth. 3.

aptitudo

Quomodo impetretur à Deo.

¶. 2. Quomodo à Deo hæc gratia impetranda? Precibus Iacob. 1. Sic iubemur. Matth. 6. 7. Ioan. 14. & 16. Luc. 18. Adsit hic asiduitas & fides. Sic fecerunt sancti Psal. 15. Luc. 17. Mar. 9. &c.

¶. Hinc patet, cur hodie frustra prædicetur. Quia nemo cupit emendari, nec quisquam orat pro gratia. Accedimus vt qui describuntur Ezech. 33.

Gratitudo.

¶. 3. Quid debetur Deo pro suis donis? Gratiarum actio, & glorificatio. Sic ipse admonet Psalm. 50. At non in verbis nudis

hæc

hæc consistit, sed ipsæ res exiguntur: Vt nimirum permittamus Deo in nos omne imperium, & omnem potestatem. Sic totos nos ipsi statuamus viuentem hostiam. Roman. 12. &c.

¶. Obseruemus nouissimi sæculi impostores, cauti simus, & vt illi Dei spiritu coerceantur,

Oremus.

22. *Decemb.* 1551.

QVONIAM PAGELLAE QVAEDAM VACARVNT,

visum est adijcere concionem huius authoris quam habuit in inauguratione Ministri cuisdam Ecclesiæ.

EX SECVNDA EPISTOLA PAVli ad Corinthios Cap. V.

HÆC *autem omnia* (sunt) *ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditq́ nobis ministerium reconciliationis:*

19 *Nempe quia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipsorum: posuitq́ue in nobis sermonem hunc reconciliationis.*

20 *Itaq; nomine Christi legatione fungimur, velut Deo* (vos) *precante per nos: Oramus Christi nomine, reconciliamini Deo.*

21 *Fecit enim* (vt) *qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum* (esset,) *vt nos efficeremur iustitia Dei in eo.*

IN

N præcedentibus Paulus summã fidei & religionis Christianę proposuit: Homines scilicet, qui natura peccatores & filiæ iræ sunt, Christi, merito redemptos eiusdemque spiritu innouatos esse, ideoq; huic vni viuere debere, sic vt omnibus quæ carni magnifica videntur renuntiét. Quia autem in his salus omnis consistit, nunc quod paucis dixit illustrat, docens: I Qua ratione Deus homines sibi conciliarit. II. Vt nos huius reconciliationis participes reddamur. Habetur hîc doctrina verè Apostolica, quæ semper in Ecclesia seruari debet.

Propositio. Omnia ex Deo sunt, qui nos, &c. Omnia ex Deo esse ait, quod in genere verum est. Psal.115.113. Ioan.1. Matth. 6.10. At hîc de ijs agitur, quę ad salutem pertinent, & de quibus dixerat Christum pro nobis mortuum, & ideo nos ei viuere debere, vt in ipso simus noua creatura. Ioan. 3. Hæc omnia ex Deo qui nos, &c. *Propositio.*

NOTA. ¶. Authoré totius salutis ostendit Deũ, sic vt nobis nihil relinquat. Deplorata omnia. Peccatores nascimur. Psalm.51, Gé.5.8. Vires nullę.1.Cor.2.2.Cor.3. Lapsus quotidie. Iac.3. Psa.19. Omnib⁹ ergo clamãdum. Lu.15. Ps.143.130. Quod ergo Christus *Salutis author.*

venit,quod pro nobis mortuus,peccata nostra expiauit,noua creatura efficimur,quod item ministri dantur, qui bona tanta prædicant,&c: id omne ex Deo est, qui dilexit nos,&c. Ioan.3. 1, Ioan.4.Eph.4.Rom.10. 2.Corinth.3.

Confutatur hîc omnis nostri meriti fiducia.1.Cor.4.Quia autem summam proposuit;nunc singula explicat.

Cur in Christo reconciliati.

I. Cur in Christo reconciliatos dixerit.Hîc ferè offendit caro,quia non videt,vt vnus omnibus seruandis sufficiat,&c. Dicit ergo,Deus erat,&c.Nimirum σωματικῶς.Col. 2.Quasi diceret.Ne miremini,nos vnũ Christũ prædicare,neq; eius species aliquem offendat.Qui enimex Virgine natus,esuriuit, alsit,&c.insuper DeiFilius est,Patri ὁμοούσιος καὶ συναΐδιος.Potuit ergo,&c. Ita ipse Christus argumentatur.Ioan.10,14.

Christus mediator gratiæ.

NOTA. ¶.Mediatorem gratiæ & salutis proponi vnum Christum. Sic Pater, Isa. 42.Matth.3.17.Ipse,Ioan.14.Apostoli,Acto. 4.1.Tim.2.Falluntur qui alios fingunt.Si enim opus fuit,vt Deus esset in Christo,non possunt huic aliqui æquari, nisi eos quoque Deos faciamus. Id verò fidei est aduersissimum.Exod.20.Deut.6.1.Cor.8.

II. Modum reconciliationis docet:

Non

Non imputans, &c. Seruamur ergo, non quod peccatores esse desinamus. (Prou.24. Rom.5.1.Ioan.1.) sed quòd Deus non imputat. Simile creditoris & debitoris, Matth. 18. Sic omnis scriptura. Psalm. 32. Isa.43.44. Mich.7. Inter orandum idem fatemur, Mat. 6. Isa. 64. *Reconciliationis modus.*

NOTA. ¶. Euerti his omnes satisfactiones, &c.

III. Vt nobis Deus salutē offerat, nosque eius participes efficiamur. Dixit: Dedit nobis ministerium. Id nunc exponit: Posuit in nobis verbum, &c. i. mandauit, vt gratiam hanc prædicemus, & seruentur, qui prædicationi credunt. Faciunt huc quæ habentur Luc.24. Mar.16. *Salutis quomodo participes efficiamur.*

NOTA. ¶. Euangelium esse medium illud, quo tota salus nobis applicatur. Ioan. 5.17. Hinc illæ locutiones, Actor. 11. & 16. Rom.1. Et hæ claues sunt, Matt. 16. Ioan.21. Euangelio subseruiunt sacramenta. Hæc in Ecclesia retineri, & circa hæc ministros occupari conuenit.

HVC facit, quod docet, vt ipse & Apostoli suum munus obeant: Itaque nomine Christi, &c.

NOTA. ¶. 1. Qui sint? Supra ministros dixit. Ergo non domini Ecclesiæ. 1. Pet.5. *Ministrorū officium.*

Luc.12.Sed quales ministri? Legati Christi per quos Deus ipse loquitur. Luc.10.21.Ideo Apostoli dicti.Mal.2.Ergo nihil dicant, quam quod in mandatis acceperunt. In eo autem sint fortes & intrepidi. Ier. 1.Act.18. Ezech.3.Matth. 10.Graues item & honesti, ne propter ipsos malè audiat Euangelium. Mal.1.2.Hinc illa,Matth 5.1.Tim.3.Tit.1.

¶. 2. Quomodo loquantur? Velut Deo precante per nos.Magna bonitas Dei, qui cum posit mandare, precibus vtitur. Simile patris. Exempla sunt in Prophetis, 2.Par.36.Isa.65.In Christo,Matth.11.In Apostolis,Acto.20.2.Cor.11. Hos omnes imitentur ministri.Arguitur autem hîc nostra durities. Quid hodie non facit Deus? Rogat per ministros. Per magistratus. Terret signis. Virgas exerit.Sed ἀνάλγητοι pergimus.

Euangelij summa. ¶. 3. Argumentum efficacissimũ subtexit, quo summam Euangelij ponit,quæ duo comprehendit.

A. Salutis rationem : Fecit eum peccatum,&c.De Christo loquitur.Isa.53. Vide 1. Cor. 1. Ita verò rursus patet, salutem omnem gratuitam esse , & in vno Christo haberi.

B. Officium nostrum.Num vt amplius peccemus? Minimè.Sed vt simus iustitia

Dei.

Dei. Id est, vt qui natura peccatores sumus, iusti censeamur ad tribunal Dei. At qui iustus est, iustitiam agit. 1. Ioá. 3. Discant ergo singuli bonitatem Dei agnoscere, peccatum detestari, iustitiam in Christo amplecti, & sanctè viuere.

Oremus.

14. *Septemb.* 1572.